






D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA LATINA



CURAVIT

CHRISTOPH. STEPH. THEOPH. ELSPERGER

PHIL. DOCT. ET REGII GYMNASII ERLANGENSIS PROFESSOR.

TOMUS I.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN CAP. I—IV, 7.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXXIX.

PRAEFATIO.

Iam prodeunt Lutheri scripta exegetica, ita digesta, ut sacrorum librorum ordo servaretur, poscente instituti nostri ratione, quam etiam in Latina editione curanda retinere malui, quam cum summa legentium molestia operisque perturbatione commutare. Ita autem evenit, ut ab eo potissimum libro exordiri necesse esset, quem ultimum Lutherus, antequam vitam deponeret, perfecit. Ac nescio, unde, etiamsi optio data fuisset, auspicatius initium sumere potuissem, quam ab his Enarrationibus in Genesin, quas veluti cygneum canticum vir egregius reliquit, in quibus omnia et mentis et animi lumina ita collegit, tantumque pietatis sensum, ac verae religionis promovendae studium exhibuit, mixtum illud temperatumque doctrinae subtilitate et inquirendi libertate, ut, quamvis Lutheri ingenium in omnibus, etiam mi-

nutissimis, quos scripsit, libellis, sat eluceat, tamen ex hoc commentario maxime eminere videatur.

Enarrare incepit Lutherus Genesi scholis academicis A. MDXXXVI. a) paulo post, ut videtur, quam universitas literarum Vitebergae denuo aperta es Opus multis negotiis, quibus etiam sene distringebatur, valetudinis quoque infirmitate saepe interruptum, nunquam vero ita depositum est, ut etiam resumendi consilium abjiceretur, unde fit, u paene singulis annis, qui inter has enarrationes inchoatas perfectasque intercesserunt, studia ejus in hoc commentari fuisse versata, passim et ex libro ipso et ex epistolis ejus in promtu sit animadvertere b). Nam cum magni ad om

a) Apparet id ex Mathesii verbis infra (s. I. c.) citandis, quibus clare indicatur, decem Lutherum in his lectionibus consumsisse annos. Ne autem sub finem anni proxime antecedentis earum initium factum esse putem, impedit pestilentia eo anno Vitebergae exorta, cujus metu literarum studiosi inde diffugerunt, mox etiam universitatis sedes Ienam translata est. Cum Lutherus Vitebergae remansisset, per sex fere menses scholae ejus intermissae fuere.

b) A. MDXXXVI vel VII. Speciosae illae Pauli III. Pontificis Maximi actiones de restituenda ecclesiae pace memorantur. Cap. IV. Tom. I. fol. 78 b. ed. nostr. Tom. II. p. 5. Walch Tom. I. p. 500.

A. MDXXXVIII. Sabbathariorum perversae

nem religionem Christianam momenti esse duceret, primum Mosis librum bene

opiniones obiter perstringuntur. Cap. XIII. T. II. fol. 37 b. Walch Tom. I. p. 1316. qui locus eodem anno scriptus esse videtur, quo Lutherus librum in Sabbatharios edidit.

Eodem anno apud Puteolos satis magna agri pars terrae motu et aquis effusis periisse narratur. Cap. XIX. Tom. II. fol. 140 a. Walch I. p. 1920. cf. Giannone hist. Neap. Vers. Germ. Tom. IV. p. 93.

A. MDXXXIX. D. II. mensis Martii ita ad Melanchthonem scribit: „Ego sic mixtae valetudinis coepi hodie resumtum in Genesi." De Wette epp. Luth. Tom. V. p. 171.

Eod. a. Ad marginem Cap. XXII. (Tom. II. fol. 187 b. Walch Tom. I. p. 2222.) ita legitur: „Incepit hoc caput Lutherus anno XXXIX. die Octobris vigesima septima, cum pridie sepultus esset clarissimus et optimus vir D. Sebaldus Munsterer, Noribergensis, et paulo ante eum duo optimae spei adolescentes, Geuderi, patricii Noribergenses. Fecit igitur initium lectionis in hunc modum: Non ideo lego, quod cupiam vos hoc tempore hic retinere, quo timetur periculum pestiferae luis; quodsi pestis imminet, fugiat, qui volet, ac praecipue isti, qui sunt pavidi. Hos enim scriptura sancta jubet excedere castris, ne faciant pavere corda fratrum. Ego quidem grassantem luem hoc tempore non metuo, sed judico, pavorem praecipuam hujus mali causam esse."

A. MDXL. Melanchthonis mense Junio Vimariae aegrotantis mentio fit. Cap. XXIV. Tom. II. fol. 240 b. Walch Tom. I. p. 2549.

Eodem anno. D. XXIV. m. Nov. haecce ad Melanchthonem: „Ego, vobis absentibus iterum meum Moisen flagello, et ipse me vicissim flagellat, praesertim in Iacob et Esau: ita exercemur, donec redeatis, et receptui canam". cf. De

explicuisse, et ita quasi aditum ad totam S, S. patefecisse, inceptum laborem usque recoluit, nec prius destitit, quam eo post decem annorum assiduam operam plane absoluto. Finivit vero has lectiones anno MDXLV. D. XVII. m. Novembris, postquam Merseburgio, quo propter depravatos Vitebergensis civitatis mores, fortasse etiam senili quadam tristitia se contulerat, in hanc urbem revertit. Extrema ejus verba haec fuere: „Das ist nu der liebe Genesis. Unser Herr Gott geb', daſs andere nach mir besser machen. Ich kann nit mehr, ich bin schwach, orate Deum pro me, daſs er mir ein seliges Stündlein verleihe" c). Iam cum hunc com-

---

Wette epp. Luth. Tom. V. p. 318. Versabatur igitur Lutherus eo tempore in explicando Cap. XXVII.

A. MDXLII vel MDXLIII. dissidia inter Ioannem Fridericum Electorem et Mauritium Ducem Saxoniae de oppido Wurzen nuper orta memorantur, Cap. XXX. Tom. III. fol. 123 a. Walch Tom. II. p. 858.

Ibidem jam sexagenarium senem Lutherus se esse dicit. Aliquamdiu igitur lectiones suas intermisisse videtur.

A. MDXLIII vel MDXLIV. Eccii nuper mortui fit mentio. Cap. XXXIX. Tom. IV. fol. 53 b. Walch Tom. II. p. 1867.

A. MDXLV. mense Ianuario in Cap. XLV. sese esse ad Wenz. Linkium scribit. De Wette epp. Tom. V. p. 714.

c) Mathesius in Vit. Luth. fol. 169 b. Wie er wi-

mentarium exorsus esset, dixisse fertur, supremum se jam opus aggredi, et valde avere, simul cum Genesi ut etiam vitam sibi deponere liceret. Idem mortis desiderium exprimit etiam epistola ad Wenz. Linkium in hanc potissimum sententiam data: „Dominus det hujus vitae mortuae et peccatricis mihi cum finita Genesi finem, vel etiam, si placuerit, ante: id quod orabis pro me" d). Nec frustrata eum spes est.

Minus in hoc commentario sibi Lutherus satisfecit e), ideoque eum divulgare noluit. Sed appellatus ab amicis, non recusavit, quin a familiaribus, qui eum in scholis audierant, ederetur. Tres inprimis fuerunt, D. Casparus Cruciger (Kreuziger) f), M. Georgius Rorarius (Rörer) et M. Vitus Theodorus

---

der heim kompt, vollendet er seinen Genesim, am 17. Tag Novembris, dran er zehn Jar mit höchstem Fleiss gearbeitet hette: mit sehr sehnlichen Worten beschleusst er diese seine Lection öffentlich.

d) De Wette epp. Luth. V. p. 714.

e) Ibid. ita scribit: „Illi (Rorario) ignoscas, si tibi non melius, quam mihi, placuerint. — Nam mihi displicent nimis, cum tanta sit verbositas et rerum poterat majus pondus addi". cf. etiam Lutheri praefationem.

f) Theologiae Doctor et Prof. Vitebergensis. De ejus in scribendo mira celeritate cf. Ph. Melanchth. declamat. Tom. III. p. 305. quem locum citat Walchius in introductione sua ad h. comm. I. §. 4.

(Dietrich) g), ex quibus negotium ea quae quisque in scholis loquentis ex or excepisset, inter se comparandi atque in ordinem digerendi, Dietrichio demandatum est. Operosa sane provincia, cui Dietrichius, haud multum abfuit, quin succubuerit. Itaque Hieronym. Besoldus in praefatione h), quam quarto hujus commentarii volumini praemisit, haec scribit: „Vitum Theodorum, insigni „pietate ac doctrina praeditum virum „saepe de difficultate horum laborum „queri memini, atque optare, haec a D. „Luthero, praeceptore nostro, conscribi, „et in publicum edi, quae in schola „magna gravitate, elegantia, et copia re„rum et verborum docuerat, cum diffi„cile esset, singula verba inter praelegen„dum quamvis celeri calamo assequi et „excipere, aut pari felicitate disponere, „qua ab auctore ipso scribi aut dici po„tuissent. Atqui in Vito singularem „dexteritatem in hoc studiorum genere „fuisse, norunt omnes pii, et testantur „monumenta Lutheri ab eo posteritati „consecrata, ac vidi ipsum non ex suis „tantum, sed et Crucigeri et Rorarii „collectaneis magna industria pleraque „alia et hujus commentarii priorem par„tem describere".

g) De Rorario et Dietrichio cf. praefat. ad Tom. I. nost. edit. Germ. p. VI.

h) fol. 1.

His tantis difficultatibus afflictum Lutherus ipse, imperante, ut ait, M. Rorario, per literas i) admonuit, ne susceptum munus deponeret, et in Genesi sua curanda, ut coepisset, pergeret. Prodiit denique primum volumen anno MDXLIV. Vitebergae, impressum per Petrum Seitz, continens commentarium in undecim priora capita, cum praefatione Lutheri, et Dietrichii editoris epistola ad Ioannem Ernestum, Saxoniae Ducem, datam. Lutherum hunc librum, cum jam typis excuderetur, legisse et quaedam adjecisse existimo, cujus rei maximum illud est argumentum, quod passim in eo res attinguntur, aliquanto temporis spatio secretae ab eo anno, quo ea, quibus illa postmodo interserta sunt, dictata esse videntur k). Dietrichius etiam reliquam enar-

---

i) De Wette epp. Luth. V. p. 601. Etiam a Melanchthone admonitus est, ne suscepto officio deesset. Epp. IV. p. 203.: „Quare prorsus tibi hortator sum, ut ὑπομνήματα in primum librum Moyses pertexas, praesertim cum restat pars multo jucundior ac dulcior superiore. Scio, multos prudentes ubique delectari lectione talium enarrationum". Strobel Miscell. I. p. 171.

k) Cap. IV. Tom. I. fol. 83. Walch. I. p. 530. Celebratur D. Antonius Anglus, qui pro veritate evangelii mortem perpessus est. Fuit is Robertus Barnesius, qui sub nomine Antonii Vitebergae commoratus erat, et d. XXX. m. Iulii MDXL. Henrici VIII. regis jussu supplicio affectus est.

Cap. IX. Tom. I. fol. 143. Walch. Tom. I. p.

rationum partem edere constituerat; sed
cum magna assiduitate diligentiaque in
eo labore versaretur, operi, quod molie
batur, morte ereptus est anno MDXLIX
„Postquam, inquit Besoldus in praefatio
„ne sua *l*), exemtus est rebus humanis
„Vitus Theodorus anno MDXLIX., hi
„commentarius doctore suo et organo fi
„delissimo orbatus est, quem ille, quan
„tum per valetudinem afflictam poterat
„fieri, assiduo in manibus versarat, tan
„quam unicum tot cruciatuum levamen
„et solatium, ita ut paulo ante emigra-
„tionem ex hac vita, cum manus calamo
„non posset admovere amplius, tamen
„dictando coeptum laborem urgeret, ac
„speraret se absoluturum historiam Abra-
„hae, quem deduxerat tum (ut solebat
„dicere) ad montem Moria, ut cum *illa*
„vitam finire, cumque Abrahamo sepeliri
„posset. Nec fuit spes ejus et desiderium
„liberationis ex aerumnis hujus vitae ir-
„ritum. Priusquam enim summam ma-
„num illi parti imponeret, de monte Mo-
„ria, ubi peregrinari animo solebat, ad
„aeternam consuetudinem Christi, Pa-

---

897. Locustae anno MDXLII. Poloniam et Silesiam vastantes memorantur.

Ibidem etiam siccitas anno MDXL. orta et continui imbres, quibus sequentes duo anni infesti fuerunt, attinguntur.

l) fol. 1.

„triarcharum et Prophetarum evocatus „est".

Reliqua hujus commentarii quasi facta ex ejusdem viri praefatione cognoscas:

„Grassabatur eo tempore in universa Germania tenebrarum dira potestas, „excitata furiis Antichristi ad delendam „Evangelii lucem divinitus monstratam, „et ad opprimendas ecclesias earumque „hospitia, in quibus sonuerat vox Filii „Dei per pios doctores et ministros. Et „in tanta trepidatione ac consternatione „bonarum mentium ad inusitatam et „tristissimam omnium rerum faciem etiam „hic metus accedebat, ne in haec scrip„ta inquirerent, neve potestatem ea eden„di concessam antea ecclesiis a piis gu„bernatoribus adimerent Antichristi satel„lites, id quod moliri eos, et crudeliter „minitari aliquoties audivimus. Eo igi„tur metu perculsi amici et haeredes Vi„ti receptum quaesiverunt huic com„mentario apud clarissimum virum D. „Hieronymum Bomgartnerum (Baumgaert„ner) m), ubi, tanquam apud Obadiam „centum prophetae, latitaret".

„Etsi vero in tanta perturbatione exi„gua spes pristinae libertatis erat, nisi „divinitus frenum injiceretur hostibus

m) Patricius Noribergensis et doctrinae et animi candoris laude insignis, deque republica sua optime meritus.

„Christi, tamen nec piorum gemitus r
„quirentium tristissimo suo tempore cy
„neam illam cantionem prophetae et p
„storis sui, diutius eum latere passi
„est, et D. Hieronymus, ut in lucem sa
„tem ea prodirent, quae descripserat V
„tus, magno studio egit, frementibu
„adhuc, et varia machinantibus adversa
„riis, cumque integrae historiae editic
„nem omnes flagitaturos esse facile con
„jiceret, petiit a me, qui in schola Vi
„tebergensi eadem docentem D. Luthe
„rum audivissem, ut reliquam parten
„pertexerem. Probabatur idem D. Phi
„lippo et Rorario, praeceptoribus meis
„et offerebat M. Stolsius ea, quae ips
„collegerat, quorum lectio valde expedi
„ta est; ipse etiam ex ore praelegenti
„Lutheri plurima exceperam, quae non
„dum assuetum ad alienam manum ad
„modum juverunt, et pergratum erat
„quod exemplaria omnia pulcherrime
„congruere videbam".

„Cum igitur multis magnis beneficiis
„illis, qui operam hanc mihi injungebant,
„devinctus essem, eorumque et Viti *com*-
„mendatione in familiam D. Lutheri per-
„venissem, neutiquam auctoritatem *tan*-
„torum virorum mihi detrectare licuit,
„ac omnino sperabam lectorem candid*um*
„et aequum in optimam partem interpre-
„taturum, si intelligeret, me nec judic*io*,
„nec voluntate mea, sed officio et sim-

„plici studio conservandi explicationes „istas, hoc onus subiisse [n])“.

Ita alterum hujus commentarii volumen prodiit Noribergae A. MDL. in officina Ioannis Montani et Ulrici Neuberi cum praefatione Michaëlis Rotingii [o]), quod eum continuavit usque ad XXV. caput. Id excepit A. MDLII. pars tertia, cui inest commentarius in XI sequentia capita, praemissa praefatione Ph. Melanchthonis. Tandem totum opus absolutum est A. MDLIV., cui volumini editor ipse Hier. Besoldus praefationem adjecit [p]).

Cum hoc opus maximis a plerisque nostrae ecclesiae theologis ornaretur laudibus, duo viri docti Basilius Faber et

---

n) Hieronymum Besoldum apud Noribergenses concionatorem fuisse notum est.

o) De Rotingio cf. praefat. ad Tom. I. nostr. edit. Germ. p. VI.

p) In epistola ad Wenzesl. Linkium d. XVII. m. Ianuar. a. MDXLV. data (De Wette epp. Luth. Tom. V. p. 714.) ita Lutherus: „Mitto vicissim tibi meas Lecturas in Genesin 41. Cap. per M. Georg. Rorarium, qui et ipse occupatissimus et servus servorum in typographia est“. Inde fortasse argumentari possis, jam vivo Luthero priora quadraginta unum capita hujus commentarii, vel, si verba per compendia notata quadragesimum primum caput significant, hoc saltem caput fuisse excusum. Quod quum aperte cum veritate pugnet, loco 41 legendum esse puto 11, ut his ipsis verbis hujus commentarii prima pars, paucis ante diebus prelo absoluta, indicetur.

Ioannes Gudenius Germanice vertere i stituerunt, ut etiam Latinarum literaru imperiti, familiarum praecipue patr aliique illiterati homines ex hoc optim rum rerum thesauro fructus percipere et utilitatis et emendationis et consolati nis. Ii viri hoc munus ita inter se partiti sunt, ut Faber duo priora vol mina verteret, Guldenius posteriora: qu rum suum uterque librum inscripsit n bilissimo equiti Christophoro de Stei berg q).

Cum postmodo a Flacianis passi spargerentur rumores, multa maxime i extrema hujus commentarii parte ab edi toribus esse depravata, quippe quae mi nus cum sententia illorum ecclesiae no strae turbatorum essent consentanea, di luerunt hoc crimen theologi Vitebergen ses et Lipsienses in Declaratione sua (*Vi teb.* 1570. 4.) r).

De nostro in hac editione adornand consilio in pauca conferre licet. Primun

q) Basilius Faber Sorauensis compluribus in op pidis ad scholas regendas adhibitus est. Dien obiit Erfurdtii a. MDLXXV. Ioannes Gudeniu Hassus Brunsvici fuit concionator. Mortuus es a. MDLXVI.

r) cf. Strobeli Miscell. liter. I. p. 171., qui etiam literas a Baumgaertnero ad Brentium et a Bren tio ad illum datas affert, quibus etiam Baum gaertnerus depravationis suspicionem sustinuis se apparet.

id egi, ut librum accurate ex principe editione exscribendum curarem, nisi qua manifesta in ea deprehenderentur menda: ea statim sustuli. Ubi vel aliquantulum excusationis habere videretur principis editionis lectio, eam vel ad marginem rejiciebam, emendatione ipsa in textum recepta, vel ita servabam, ut in ora paginae inferiore adnotarem, quid mihi de corrigendo loco videretur. Deinde id egi, ut, cum in editione principe mira in scribendis vocabulis esset varietas, orthographiam ad hodiernam rationem accommodarem, iis forsitan verbis exceptis, in quibus constans veterum editorum usus horum potius consuetudinem retineri juberet. Quod quidem negotium quam molestum sit, quantumque injucunditatis afferat, scient ii, qui et ipsi sunt experti, et ignoscent, si vel ipse, quemadmodum jam nunc video, hac in re non satis mihi constans fui. Hebraica vocabula, a prioribus editoribus Latinis literis scripta, Hebraicis exhibui. Porro curam in interpungendo textu collocavi. Denique loca ex libris sacris, et scriptoribus, quos vocant, classicis, desumta, quantum quidem potui, accuratius indicavi. De Patribus, id facere omisi, quod ubivis fere Lutherus non ipsa verba, sed sensus et sententias eorum profert.

Restat, ut Deum T. O. M. precemur, ne nostram hujus libri editionem prorsus

inutilem esse velit, sed ut ex opere p tantum temporis intervallum denuo e cuso etiam hac aetate ad quam plurim legentium non eruditionis solum s pietatis redundet fructus. Multa etia in theologicis studiis nova et antea i cognita dies tulit, multis, quae patres n stri summa fide amplexi erant, eripu auctoritatem et honorem: nec deerun quibus tam in hoc commentario, quam i caeteris Lutheri scriptis non nulla partir inutilia, partim falsa et prava videantu nec fortasse immerito, quamquam his d rebus judicium ferre non meae persona est. Sed sic quoque perquam multa ho in libro supersunt, quae ne nostrae quidem aetatis homines sine magna utilitate perlegent: et juvat tanti viri etiam commenta cognosse, in quibus non nunquam plus verae sapientiae inest, quam in iis, quae mediocria ingenia non inscite disputarunt.

Scribebam Erlangae d. XVI. m. Februarii MDCCCXXIX.

IN PRIMUM LIBRUM MOSE

ENARRATIONES

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

PLENAE SALUTARIS ET CHRISTIANAE ERUDITIONIS,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTAE.

Hebr. XI.

Fide Abel praestantiorem hostiam quam *Cain* obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est, quod esset iustus, testimonium perhibente eius muneribus Deo, et per illam defunctus adhuc *loquitur*.

DOCTOR MARTINUS LUTHERUS

PIO LECTORI.

Lectiones meas in Genesin non in hoc institui, ut cogitarem aliquando edendas et invulgandas esse, sed ut praesenti scholae pro tempore inservirem, et tum auditorium, tum me ipsum in verbo Dei exercerem, ne desidiosa et prorsus inutili senectute mortem corporis huius finirem, sicut Psalmus (146, 2.) me excitavit: „Psallam Deo meo, quamdiu fuero"; simul, ut decessurus invenirer in grege illo parvulo et parvulorum, ex quorum Deus perficit laudem, qua destruat inimicum et ultorem. Abunde enim satis alias mundus habet monstrorum et Diabolorum, qui verbum Dei blasphemant, depravant et pervertunt, ne Deus gloria sua ornetur, sed Satan adoretur.

Inciderunt autem lectiones istae in duos collectores, bonos quidem et pios homines, Doctorem Casparum Crucigerum, quem sua ipsius opera satis testantur, quanto Dei spiritu et studio feratur, et M. Georgium Rorarium, nostrae ecclesiae Presbyterum. Quorum operam secutus M. Vitus Theodorus, ecclesiae Norinbergensis concionator, etiam suam adiecit. Omnes sane fideles et studiosi verbi Dei ministri, qui omnino iudicaverunt eas edendas esse. Quos equidem sino abundare sensu suo, ut Pauli verbo utar, et video eos pio studio moveri ad ecclesias Dei iuvandas, eorumque voluntatem valde probo, precorque eis benedictionem largam Dei.

Mallem tamen tam pias operas, et bonas horas in meliorem auctorem collocatas esse. Neque enim ego is sum, de quo dici possit: fecit, neque is, de quo dicere possis: faciebat. In ultimo consisto ordine, qui vix dicere audet: volui facere. Et utinam essem dignus in hoc ordine ultimo ultimus esse. Extemporaliter enim et populariter omnia dicta sunt, prout in buccam venerunt verba, crebro et mixtim etiam Germanica, verbosius certe, quam vellem.

Non quod falsa me dixisse mihi conscius sim; unum hoc spectavi, ut quantum possem, vitarem obscuritatem, et pro ingenii viribus perspicue traderem, quae intelligi volebam. Sentio quidem satis superque, res tantas a me tenuius esse tractatas, quam decuit aut oportuit. Sed consolor me trito proverbio: Infelix esto, qui meliora facit, quam possit. Et illo: Ultra posse viri non vult Deus ulla requiri.

Quid opus verbis? Scriptura est, scriptura, inquam, Spiritus sancti, quam tractamus? Ad quam

teste Paulo, quis idoneus? Fluvius est, ut Gregorius dixit, in quo agnus peditat, et elephas natat. Sapientia Dei est, quae stultos facit sapientes mundi, et ipsum principem mundi, quae infantes facit disertos, et eloquentes facit infantes.

Denique non ille optimus est, qui omnia comprehendit aut nusquam defecit (nullus enim talis fuit, est, aut erit), sed qui maxime dilexerit, ut Psal. 1. (v. 2.) dicit: „Beatus, qui amat, et meditatur legem Domini." Sufficit abunde nimis, hanc sapientiam nobis placere, amari, et meditatam haberi die ac nocte.

Videmus Patrum commentarios; certe et ipsis velle non defuit, sed perficere non invenerunt. Et quam ridiculi sunt hodie, qui egregia, seu, ut volunt, pura Latinitate res scripturae, seu paraphrases tentaverunt, ipsi spiritu et intellectu prorsus inanes, et, ut dicitur, asini ad lyram!

Recte dixit S. Hieronymus: Unusquisque offert ad tabernaculum Domini, quod potest, alius aurum, argentum, gemmas, alius pelles aut pilos caprarum. Omnibus enim his opus habet Dominus, et placet voluntas aequaliter eorum, qui inaequaliter offerunt.

Quare et hos pilos exiguos caprarum mearum edi permitto, in offertorium et sacrificium Dei. Quem rogo in Christo Domino nostro, ut per me occasionem datam velit aliis, meliora vel saltem melius omnia faciendi. Nam adversariis et Diabolo, eorum Deo, spero superbus et gloriabundus in Domino, me occasiones satis multas (sicut ab initio feci semper et libenter) calumniandi et cavillandi dedisse, sicuti merentur et digni sunt facere, dum boni aliquid facere neque volunt neque possunt, ut

Paulus Tit. 1. (v. 16) ait: „Mente corrupti, et ad omne opus bonum reprobi."

Dominus noster Iesus Christus perficiat opus suum, quod incepit in nobis, et acceleret diem illum redemptionis nostrae, quem (Dei gratia) levatis capitibus petimus, suspiramus et exspectamus fide pura, et conscientia bona, qua servivimus mundo ingrato, et hosti incorrigibili etiam propriae, nedum nostrae salutis. Veni Domine Iesu! Et qui te amat, dicat: Veni Domine Iesu, Amen.

Die Natali Christi Anno MDXLIIII.

E N A R R A T I O

IN

PRIMUM CAPUT GENESIS PER REVERENDUM PATREM DOMINUM D. MARTINUM LUTHERUM IN SCHOLA WITTEMBERGENSI.

Primum caput simplicissimis quidem verbis est scriptum, sed res continet maximas et obscurissimas. Quare apud Ebraeos, sicut D. Hieronymus testatur, prohibitum fuit, ne quis ante annum aetatis trigesimum illud legeret aut enarraret aliis. Voluerunt enim, prius totam scripturam bene cognitam esse, quam ad hoc caput perveniretur. Sed neque ista ratione aliquid promoverunt Iudaeorum Rabini; nam etiam bis triginta annos et amplius nati pueriliter in suis commentariis de his gravissimis rebus nugantur.

Neque in ecclesia hactenus quisquam exstitit, qui satis dextre ubique omnia explicaret. Adeo enim variis, diversis et infinitis quaestionibus omnia miscuerunt interpretes, ut satis appareat, Deum hanc sapientiae majestatem et sanum intellectum hujus capitis sibi soli reservasse, relicta ista generali notitia nobis, quod scimus, mundum coepisse et conditum

esse per Deum ex nihilo. Haec generalis notitia ex textu clare sumitur. In particularibus autem sunt plurima, de quibus ambigitur, et infinitae quaestiones hinc inde moventur.

Nos ex Mose scimus, mundum ante sex millia annorum nondum exstitisse. Id philosopho homini nullo modo poterit persuaderi, quia secundum Aristotelem primus homo et ultimus non potest dari. Quanquam autem Aristoteles relinquit, dubium problema hoc esse, an sit mundus aeternus, tamen in eam sententiam inclinat, quod sit aeternus. Neque enim humana ratio altius potest adscendere, quam ut statuat, mundum esse aeternum, et infinitos homines praecessisse nos, ac sequi; hic cogitur subsistere. Sed ex hac ipsa sententia sequitur periculosissima opinio, quod anima sit mortalis, quia philosophia nescit plura infinita. Necesse enim est, rationem humanam majestate harum rerum obrui et impingere.

Plato fortasse, ut videtur, collegit in Aegypto scintillas, quasi ex Patrum ac Prophetarum sermonibus, ideoque accessit propius. Is materiam quidem ponit et ideam aeternam; mundum autem dicit coepisse, et factum esse ex materia. Sed desino philosophorum opiniones allegare; nam istas Lyra recitat, quanquam non explicat.

Ita neque inter Ebraeos, neque Latinos, nec Graecos dux est, quem in hoc spatio tuto possimus sequi. Quare nos quoque merebimur veniam, si, quantum possumus, fecerimus. Nam praeter istam generalem sententiam, quod mundus ex nihilo coeperit esse, nihil fere est, de quo pariter inter omnes theologos constet.

Hilarius et Augustinus, quasi duo maxima eccle-

siae lumina, sentiunt, mundum creatum subito et simul, non successive per sex dies. Ac Augustinus mirabiliter ludit in tractatione sex dierum, quos facit mysticos dies cognitionis in Angelis, non naturales. Hinc in scholis et ecclesiis usitatae sunt disputationes de cognitione vespertina et matutina, quas Augustinus invexit, et a Lyra diligenter recitantur; qui volet eas scire, petat ex Lyra.

Haec etsi subtiliter disputantur, tamen nihil faciunt ad rem. Quid enim opus est facere duplicem cognitionem? Nec etiam utile est, Mosen in principio tam facere mysticum et allegoricum. Quia enim nos vult docere, non de creaturis allegoricis, et mundo allegorico, sed de creaturis essentialibus et mundo visibili ac exposito sensibus, appellat, ut proverbio dicitur, scapham scapham, hoc est, diem et vesperam vocat, sicut nos solemus, sine allegoria, sicut Evangelista Matthaeus capite ultimo hanc phrasin quoque retinet, cum scribit, Christum resurrexisse vespera Sabbatorum, quae in unam Sabbatorum illucescebat. Quodsi non satis assequimur rationem dierum, nec intelligimus, cur intervallis his temporis Deus voluerit uti, fateamur potius ignorantiam nostram, quam ut verba praeter rem ad alienum sensum torqueamus.

Quod igitur ad hanc Augustini sententiam attinet, statuimus, Mosen proprie locutum, non allegorice aut figurate, hoc est, mundum cum omnibus creaturis intra sex dies, ut verba sonant, creatum esse. Quodsi causam non adsequimur, maneamus discipuli, et relinquamus magisterium Spiritui sancto. Hi autem dies sic distincti sunt, quod primo die creata est massa rudis coeli et terrae, cui postea ad-

dita lux est; secundo firmamentum; tertio terra pro ducta ex aquis cum fructibus suis; quarto ornatur coelum creatione solis, lunae, et stellarum; quinto pisces maris, et volucres coeli; sexto animalia terrae, et homo est conditus. Omitto autem illud quoque, quod ista distinguunt in opus creationis, distinctionis et ornatus, quia haud scio, an ubique belle ista quadrent. Et tamen, si quem ista delectant, Lyram consulat.

Quod autem Lyra putat necessariam cognitionem sententiae philosophorum de materia, quod ex ea dependeat intellectus operationis sex dierum, nescio, an Lyra intellexerit, quid Aristoteles vocaverit materiam. Neque enim Aristoteles, sicut Ovidius, materiam vocat informe et rude illud chaos. Quare omissis istis non necessariis, accedamus ad Mosen, tanquam meliorem doctorem, quem tutius possimus sequi, quam philosophos sine verbo de rebus ignotis disputantes.

Opus primi diei.

In principio creavit Deus coelum et terram.

Hic necessaria movetur et satis obscura quaestio, quod Moses meminit creationis coeli et terrae, et tamen neque diei, neque verbi, quo creata sunt, mentionem facit. Dubitatur enim, cur non potius sic posuerit verba Moses, sicut in reliquis, ubi fit mentio verbi in hunc modum: In principio dixit Deus: Fiat coelum et terra. Nam prius ponit coelum et terram creatam, quam Deus aliquid dixerit, cum tamen decalogus et tota scriptura testetur, Deum sex diebus fecisse coelum et terram, et omnia, quae in

eis sunt. Dixi autem antea, nos hoc iter siccas aquas ingredi; quare relinquemus hic aliis suum judicium; et nos, quid nobis videatur, exponemus.

Coelum et terram vocat, non qualia nunc sunt, sed rudia adhuc et informia corpora. Aqua fuit tenebrosa, et quia natura levior est, quasi lutum seu densa nebula circumdedit terram informem ipsam quoque. Hanc quasi primam materiam, ut sic vocem, futuri operis Deus condidit secundum decalogi manifesta verba non extra dies, sed in principio primi diei.

Ideo autem, quantum ego video, primum diem Moses adhuc tacet, quia postea formata et quasi perpolita et distincta sunt ista confusa corpora rudia coeli et terrae: nam quod post abyssum vocat et aquam, nempe informem et rudem aquam, nondum digestam, nondum certa forma exornatam, id hic coelum dicit. Quodsi aliter locutus esset Moses et dixisset: In principio dixit Deus: Fiat coelum etc. non fuisset postea locus repetendi verbi dixit, cum hae informes aquae sunt illuminatae, et lux creata est.

Mosis igitur simplicissima est sententia haec: omnia, quae sunt, esse creata a Deo, ac principio primi diei creatam esse rudem molem luti seu terrae, et nebulae seu aquae, quibus postea per reliquum primi diei spatium infuderit Deus lumen, et fecerit apparere diem, quae ostenderet istam rudem molem coeli et terrae, non dissimilem rudi semini, sed tamen apto ad producendum aliquid.

Terra autem erat inanis et vacua.

Major significantia est in Hebraicis vocabulis תהו et בהו, quam reddi possit. Usurpantur autem

saepe in sacris literis; תֹהוּ pro nihilo ponitur, ut terra תֹהוּ sit, quae simpliciter in se inanis sit, ubi nulla via, nulla locorum distinctio, non collis, non vallis, non gramina, non herbae, non animalia, non homines sunt. Talis enim fuit prima terrae incultae facies; quia enim admixtum aquae lutum fuit, nulla potuerunt discrimina notari, quae nunc, postquam exculta est, notantur. Sic Esaias inquit cap. 34. (v. 11.) ubi minatur vastitatem orbi terrarum: „Extendetur super eam regula תֹהוּ, et perpendiculum בֹהוּ," hoc est, ita vastabitur, ut neque homines, neque jumenta relinquantur, ut domus sint vastae et omnia confusa et perturbata. Sicut Ierusalem postea per Romanos, et Roma per Gothos vastata est, adeo, ut non possint celeberrimae veteris urbis vestigia ostendi.

Sicut igitur nunc vides terram exstantem super aquas, coelum ornatum stellis, agros arboribus, civitates domibus etc., ita his omnibus demptis et confusis quasi in rudem molem, quod postea reliquum fuerit, vocat תֹהוּ et בֹהוּ.

Sicut autem terra fuit circumfusa tenebris seu aquis, in quibus tenebrae erant, sic coelum etiam fuit rude, et fuit תֹהוּ, non solum, quia caruit ornamento stellarum, et בֹהוּ, quia nondum fuit distinctum a terra, sed quia adhuc fuit sine luce, et obscura ac alta abyssus, quae ceu densissima nebula circumfudit terram, seu lutum illud. Nam de distinctione aquarum etiam post sequetur.

Ergo hoc primum jam habemus, quod Moses docet, primo die coelum et terram esse conditam, sed rude coelum, hoc est, sine discrimine aquarum, sine luminaribus, et nondum elevatum: item rudem terram, sine animalibus, fluminibus, montibus.

Quae Lyra disputat, quod materia sit pura potentia et substantietur per suum posse; item, quod Augustinus dicit in libro confessionum, materiam esse prope nihil, nec posse excogitari intermedium, haec nullo modo probo. Quomodo enim hoc merum nihil appellaveris, quod jam ejusmodi res est et substantia, quam Moses vocat coelum et terram? Nisi artificialiter velis materiam dicere, sicut lignum, quod nondum est cista aut scamnum: sed eam secundam materiam vocant philosophi.

Id potius considerandum est, quod sanctus Petrus 2. Petri 3, (v. 5. 6.) dicit, ubi de impiis loquitur: „Volentes, inquit, nesciunt, quod coeli jam olim fuerint ac terra, ex aqua et per aquam consistentes Dei sermone, per quae is, qui tum erat mundus, aqua inundatus, periit." Nam Petrus eo videtur alludere, quod terra sit ex aqua, et per aquam constituta, et post ex aqua producta, et quasi in lumine collocata, sicut adhuc innatare mari videtur. Hoc, inquit, impii sciebant, et ideo fiducia hujus conditionis nullum metuebant ab aqua periculum, quam sciebant esse fundamentum terrae. Et tamen aqua terram, quam conservabat et portabat, perdidit, sicut ad extremum etiam igni peribit. Sic videtur S. Petrus ad id alludere, quod terra in aqua, et ex aqua producta sit. Haec de materia sint satis; nam haud scio, an si quis aliquid disputet subtilius, id etiam cum fructu aliquo faciat.

Et tenebrae erant super faciem abyssi.

Aqua et abyssus et coelum hoc loco pro eadem re ponuntur, nempe pro tenebroso illo et rudi corpore, quod postea illuminatum et distinctum est ver-

bo. Istae enim alterius personae, hoc est, Christi filii Dei, partes sunt, ornare et distinguere rudem molem, ex nihilo productam. Atque hoc etiam potest videri Mosi in consilio fuisse, cur non posuerit primo loco verbum dixit; nam hoc etiam quidam pro ratione allegant.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Spiritum Domini quidam interpretantur simpliciter pro vento. Ego vero, si quid materiale esset hic per Spiritum intelligendum, mallem id eo referre, quod illa rudis materia coeli et terrae, quam abyssum etiam vocat, coeperit moveri, sicut hodie movetur. Aqua enim non stat quieta, sed semper in superficie movetur.

Sed mihi magis placet, ut intelligamus Spiritum sanctum; ventus enim est creatura, quae tum nondum fuit, cum adhuc confusa ista corpora coeli et terrae jacerent. Et magnus ecclesiae consensus est de mysterio Trinitatis hic prodito. Pater per Filium, quem verbum Mose vocat, creat coelum et terram ex nihilo. His Spiritus sanctus incubat; sicut enim gallina incubat ovis, ut pullos excludat, ova calefaciens, et calore quasi animans: ita scriptura dicit, Spiritum sanctum quasi incubasse aquis, ut ista corpora, quae animanda et ornanda erant, vivificaret; nam Spiritus sancti officium est vivificare.

Haec, quantum ego video, de re praesenti satis sunt, ut aliis opinionibus abjectis, hoc statuamus, Deum ex nihilo condidisse coelum et terram, quasi rudem massam, ita ut terra rudis rudi coelo ceu nebula fuerit circumfusa.

Restat autem, ut de vocabulis etiam quaedam disputemus. Atque hic statim inventi sunt, qui varie et subtiliter disputarunt de vocabulo „in principio." Exposuerunt enim „in principio," hoc est, in Filio, propter locum Ioannis, cum Christus respondet Iudaeis interrogantibus, quis esset? cap. 8. (v. 25.): „Principium quod et loquor." Item propter Psalm. 110, (v. 3.): „Tecum principium in die virtutis tuae." Hunc locum fere omnes sic exponunt: Tecum Filius in divina potentia. Sed notum est Graece doctis, apud Ioannem τὴν ἀρχὴν pro adverbio exponi debere, figura sermonis passim obvia apud Graecos. Quare ludant hic, qui volent; mihi placent, quae simplissima sunt, et a rudioribus possunt intelligi.

Igitur sentio, Mosen voluisse significare initium temporis, ut sit in principio idem, ac si dicat: Eo tempore, cum nullum esset tempus, seu cum inciperet mundus, sic incepit, ut coelum et terra primum a Deo crearentur ex nihilo in forma rudi, non sic exculta, ut nunc sunt. Quanquam non ita diu jacuerunt inculta, sed statim primo die coepta sunt ornari luce.

Ariani imaginati sunt, ante initium conditos fuisse Angelos et Filium Dei. Sed haec blasphema omittamus. Omittamus etiam aliam quaestionem, quid Deus ante principium mundi fecerit, quieveritne, an non? Ad quam sic respondisse quendam refert in confessione Augustinus, Deum praeparasse infernum curiosa scrutantibus, scilicet, ut eluderet, ait Augustinus, violentiam quaestionis.

Placet ergo Augustini modestia, qui profecto candide dicit, se in hujusmodi quaestionibus contra-

here sui ingenii vela, quia etiamsi in infinitum speculemur et disputemus, tamen manent haec incomprehensibilia. Quodsi etiam illa, quae videmus et gerimus, non satis plane intelligimus, quanto minus haec assequemur? Quid enim extra tempus, et ante tempus fuisse statues? aut, quid Deum, antequam tempus esset, fecisse cogitabis? Quare abjiciamus ista, et sentiamus, Deum ante conditionem mundi fuisse incomprehensibilem in sua essentiali quiete; nunc autem post creationem esse intra, extra, et supra omnes creaturas, hoc est, etiam esse incomprehensibilem. Aliud dici non potest, quia noster intellectus, quid extra tempus sit, non intelligit. Ideo Deus quoque se non manifestat, nisi in operibus et verbo, quia haec aliquo modo capiuntur; reliqua, quae propria divinitatis sunt, capi aut intelligi non possunt, ut sunt, esse extra tempus ante mundum, etc. Forte Adae apparuit nudus, sed post peccatum in sibilo apparuit, quo ceu involucro fuit involutus. Sic postea involutus fuit in tabernaculo propitiatorio, in deserto nube et igni. Quare Moses ista etiam vocat Dei facies, per quae se Deus manifestavit. Et Cain vocat faciem Dei locum, in quo immolaverat antea. Haec enim natura sic est peccato deformata, imo corrupta et perdita, ut non possit Deum nudum cognoscere, seu comprehendere, qualis sit. Ideo involucra ista necessaria sunt.

Et insania est disputare multa de Deo extra *et* ante tempus, quia id est velle comprehendere nudam divinitatem, seu nudam essentiam divinam. *Hoc* quia impossibile est, ideo involvit se Deus in opera, et certas species, sicut hodie se invovlit in baptismum, in absolutionem etc. Ab his si discedas, tunc

ab

sibi extra mensuram, locum, tempus, et in merissimum nihil, de quo secundum philosophum non potest esse scientia. Ergo merito omittimus hanc quaestionem, et hac simplici explicatione vocabuli „in principio" contenti sumus.

Sed dignius observatione est, quod Moses non dicit: In principio creavit Adoni coelum et terram, sed utitur vocabulo pluralis numeri אֱלֹהִים, quo nomine in Mose et alibi tum Angeli, tum judices seu magistratus appellantur, sicut in Psalmo 82, (v. 6.): „Ego dixi, Dii estis." Hic autem certum est, significare Deum unum et verum, a quo creata sunt omnia. Cur igitur utitur plurali nomine?

Iudaei varie cavillantur Mosen: sed nobis clarum est, voluisse eum trinitatem, seu personarum pluralitatem in una divina natura tecte ostendere. Quia enim dicit de opere creationis, manifeste sequitur, quod excludit Angelos. Manet igitur illa contradictio, quod unus est Deus, et tamen illa unissima unitas verissima etiam est pluralitas; quorsum enim alioqui attinet, Mosen plurali numero uti?

Explodenda igitur est Iudaeorum frigida cavillatio, quod reverentiae causa plurali numero sit usus. Quis enim hic locus est reverentiae? praesertim cum id non sit omnibus linguis commune, quod nobis Germanis usitatum est, ut reverentia sit plurali numero uti, cum de uno aliquo loquimur.

Deinde, ut multum clamitent, vocabulum hoc tribui Angelis etiam et hominibus, tamen et hoc loco plurale est, et non nisi de uno vero Deo potest accipi, quia agitur de creatione. Et fuere alia multa vocabula singularia, quibus potuisset Moses uti, nisi voluisset certo consilio spiritualibus significare, quod

in natura divina extra creaturam sit personarum pluralitas. Non quidem apertis verbis dicit, esse Patrem esse Filium, esse Spiritum sanctum unum et verum Deum; id enim Evangelii doctrinae reservandum fuit. Sed satis ei fuit, vocabulo plurali, quod postea hominibus quoque tribuitur, istam pluralitatem personarum ostendere.

Nec nos offendere debet, quod idem vocabulum postea creaturis tribuitur. Quidni etiam suum nomen nobis communicaret Deus, cum potestatem et officium communicat? Nam remittere peccata, retinere peccata, vivificare etc. sunt opera solius majestatis divinae, et tamen eadem tribuuntur hominibus, et fiunt *per* verbum, quod homines docent. Sicut Paulus dicit: Ut multos salvos faciam de carne mea (Rom. 11, 14.) Item: Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos (1. Cor. 9, 22.). Sicut igitur haec opera vere sunt opera Dei, licet hominibus quoque tribuantur, et per homines fiant, ita Dei nomen vere significat Deum, licet hominibus etiam tribuatur.

Arius non potuit negare, Christum fuisse ante mundum conditum, quia et Christus dicit: „Antequam Abraham erat, ego sum.“ (Ioh. 8, 58.) Et in Proverbiis (8, 22.) scribitur: „Antequam coeli fuerunt, ego sum.“ Ideo eo se convertit, ut Christum seu verbum creatum diceret ante omnia, et postea creasse omnia, et fuisse creaturam perfectissimam, licet non fuerit semper. Sed huic fanaticae et impiae opinioni opponi debet, quod Moses breviter dicit: „in principio,“ nec ponit aliud quippiam ante principium quam Deum, quem plurali numero appellat.

In has absurdas opiniones delabuntur animi, *cum sine verbo* de tantis rebus volunt cogitare. Atqui nos

ipsos nescimus, sicut Lucretius (1, 113.) ait: Nescitur adhuc, quae sit natura animai. Sentimus nos posse judicare, numerare, discernere quantitates, et spirituales creaturas, ut sic vocem, verum et falsum, et tamen nondum possumus definire, quid sit anima; quanto minus divinam naturam intelligemus? Nescimus, qualis voluntatis nostrae sit motus; non enim qualitatis, non quantitatis motus est, et tamen est motus quidam. Quid igitur in divinis sciremus?

Ergo fanaticum est, sine verbo et involucro aliquo de Deo et divina natura disputare, sicut solent omnes haeretici; ea securitate de Deo cogitant, qua de porco aut vacca disputant. Ideo etiam ferunt dignum praemium temeritatis, ut sic periculose impingant. Nam qui vult tutus esse, et sine periculo in tantis rebus versari, is simpliciter se intra species, signa et involucra ista divinitatis contineat, qualia sunt verbum ejus et opera ejus. Nam in verbo et operibus se nobis ostendit. Haec igitur qui attingunt, isti, quemadmodum muliercula sanguinis profluvio laborans, contactu vestimenti sanantur.

Qui autem extra ista involucra Deum attingere volunt, isti sine scalis, hoc est verbo, nituntur ad coelum adscendere; ruunt igitur oppressi majestate, quam nudam conantur amplecti, et pereunt. Sicut Ario accidit. Hic cogitavit, esse medium quiddam inter creatorem et creaturam, et ab illo medio condita esse cuncta. Huc necessario delabitur, postquam contra scripturam pluralitatem personarum in divinitate negavit. Sed, quia sine et extra verbum Dei ista disputat, et sola sua cogitatione nititur, non potest non impingere.

Sic Monachus, quia verbum non sequitur, cogi-

tat talem Deum in coelo sedere, qui salvaturus s indutum cucullo, et observantem certam vitae regu lam. Hic etiam extra apparentiam, seu facie Dei no praeeunte, in coelum conscendit. Sic Iudaei idola su et lucos habebant. Par omnium lapsus est et ruin in eo enim impingunt, quod relicto verbo singu suas cogitationes sequuntur.

Igitur si tuto ambulare volumus, ea amplecta mur, quae verbum monet, et quae ipse Deus no scire voluit. Alia, quae non sunt verbo ostensa omittamus. Quid enim ad me, aut quomodo ego i apprehendere possum, quid fecerit ante mundum conditum Deus? Hae sunt cogitationes nudae divi nitatis. Ejusmodi etiam illae sunt, quibus Iudaei s ab hoc texto abduci patiuntur, ne credant plures personas, cum tamen Mosen plurali nomine usum constet.

Decretum damnat ἀνθρωπομορφήτας, quod de Deo loquerentur tanquam de homine, tribuerent ei oculos, aures, brachia, etc. Iusta*) vero damnationis causa. Quomodo enim aliter homines inter homines de Deo loquantur? Quodsi hoc modo de Deo sentire haeresis est, profecto actum est de salute puerorum omnium, ita pueriliter de Deo cogitantium et loquentium. Sed mitte pueros, et da mihi doctorem doctissimum, quomodo is aliter de Deo docebit aut loquetur? Injuria igitur bonis hominibus facta est, quod, cum crederent Deum omnipotentem et Salvatorem, ideo tamen damnati sunt, quod dicerent, Deum habere oculos, quibus adspiciat egenos, habere aures, quibus audiat orantes etc. Quomodo

*) Apparet esse legendum: Injusta.

enim substantiam spiritualem haec nostra natura potest intelligere? Et scriptura passim hoc ipso genere sermonis utitur. Igitur immerito sunt damnati, et laudandum potius est studium simplicitatis, quod in doctrina maxime necessarium est. Necesse enim est, ut Deus, cum se nobis revelat, id faciat per velamen et involucrum quoddam, et dicat: Ecce sub hoc involucro me certo apprehendes. Id involucrum cum amplectimur, cum ibi adoramus, invocamus, sacrificamus, Deum invocasse, Deo sacrificasse recte dicimur.

Sic non dubium est, primos parentes adorasse Deum mane, cum sol oriretur, admirantes creatorem in creatura, vel, ut clarius dicam, per creaturam admoniti. Posteri morem retinuerunt, sed sine intellectu; ita in idolatriam iste mos abiit. Causa hujus non est sol ipse, qui est bona Dei creatura, sed quod doctrina paulatim exstincta est, quam Satan non potest ferre. Sic cum Hevam abduxit Satan a verbo, statim in peccatum prolapsa est.

Ut igitur redeam ad Anthropomorphitas, nequaquam eos damnandos censeo, quia etiam Prophetae pingunt Deum sedentem in solio. Hoc cum audiunt simplices, statim cogitant de solio aureo, mire ornato, quanquam sciunt nihil tale materiale esse in coelo. Sic Esaias (6, 1.) dicit, se vidisse Dominum in amplissima veste, quia Deus in absoluta seu intuitiva visione non potest pingi, nec cerni. Ideo tales figurae Spiritui sancto placent, et opera Dei proponuntur, quae apprehendamus. Talia sunt, quod condidit coelum et terram, quod misit Filium, quod per Filium loquitur, quod baptisat, quod per verbum a peccatis absolvit. Haec qui non apprehendit, is Deum nunquam apprehendet. Sed desino, cum haec saepe

copiose a me sint disputata. Nunc tamen attingenda fuere propter Mosen, quem ita misere Iudaei flagellant in hoc loco, ex quo probamus, plures esse personas in divinitate. Nunc pergamus in textu.

Dixitque Deus: Fiat lux, et facta est lux.

Dixi, initio conditam esse per verbum rudem illam molem terrae et coeli, quam aquas, item abyssum quoque vocat, ac debet id referri ad primi diei opus, licet Moses nunc primum sic loquatur: „Deus dixit; Fiat lux" etc. Mira autem profecto phrasis, et incognita omnium aliarum linguarum scriptoribus, quod Deus dicendo id, quod non erat, facit, ut *esset* aliquid. Atque hic primum ponit Moses medium et instrumentum, quo Deus pater in operando est usus, nempe verbum.

Notanda autem diligenter est differentia, quae apud Ebraeos est inter אָמַר et דָּבָר. Nos utrumque reddimus per verbum dicere seu loqui, sed apud Ebraeos haec differentia est: אָמַר tantum et proprie significat verbum prolatum: sed דָּבָר etiam rem significat, sicut cum prophetae dicunt: Hoc est verbum Domini, utuntur nomine דָּבָר, non אָמַר. Iam hodie novi Ariani imperitis Ebraicae linguae sic fucum faciunt, verbum significare rem creatam, et hoc modo dici etiam Christum verbum. Contra hanc impiam et simul insulsam depravationem recte admonetur hic lector, Mosen uti verbo אָמַר, quod simpliciter et proprie significat prolatum verbum, ut sit verbum quiddam distinctum ab eo, quid dicit, sicut *distinctio* est inter dicentem et id, quod dicitur.

Quemadmodum igitur supra probavimus ex textu pluralitatem personarum, ita hic manifesta est distinc-

tio personarum. Dicit enim, Deum esse, ut sic loquar, dictorem, qui creat, et tamen non utitur materia, sed solo verbo, quod profert, ex nihilo facit coelum et terram.

Iam huc adhibe evangelium Ioannis (1, 1.): „In principio erat verbum;" nam probe facit cum Mose. Dicit: Ante mundum conditum nihil erat creaturarum; Deus tamen habebat verbum. Hoc verbum quid est, aut quid facit? Audi Mosen. Lux, inquit, nondum erat, sed tenebrae ex suo nihili esse vertuntur in illam praestantissimam creaturam, quae est lux. Per quid? per verbum. Ergo in principio et ante omnem creaturam est verbum, et est tam potens verbum, quod ex nihilo facit omnia. Hinc sequitur irrefragabiliter, quod Ioannes diserte addit, hoc verbum, esse Deum, et tamen esse distinctam personam a Deo Patre, sicut distinctae res sunt verbum et is, qui verbum profert. Et tamen haec distinctio ejusmodi est, ut unissima, ut sic dicam, unitas essentiae maneat.

Haec sunt ardua, neque tutum est ultra progredi, quam Spiritus sanctus nos ducit. Quare hic resistamus, quod, cum ex nihilo rude coelum et rudis terra, utrunque caligine et tenebris deformatum, per verbum exstitisset, lux per verbum etiam ex nihilo, hoc est, ex ipsis tenebris, exstitit. Hoc primum opus creatoris Paulus tanquam singulare opus allegat: „Qui jussit e tenebris lucem illucescere" (1. Cor. 4, 6.) etc. Iussio, inquit, fecit lucem istam. Hoc igitur nobis pro confirmatione fidei nostrae satis est, quod Christus sit verus Deus, qui est cum Patre ab aeterno, antequam mundus fieret, et quod per eum, qui est sapientia et verbum Patris, Pater fecerit omnia. Notandum tamen est in isto loco Pauli hoc quo-

que, quod novum creationis opus facit conversionem impiorum, quae etiam fit per verbum.

Sed hic ratio stultis quaestionibus impie ineptit. Si, inquit, verbum semper fuit, quare non prius creavit Deus per id verbum coelum et terram? Item: quia tum primum, cum Deus incipit dicere, coelum et terra fiunt, videtur sequi, verbum tum primum coepisse, cum creatura coepit etc. Sed hae impiae cogitationes sunt excutiendae; neque enim de his possumus aliquid statuere aut cogitare, quia extra illud initium creaturae nihil est, quam nuda essentia divina et nudus Deus. Is autem quia est incomprehensibilis, illud etiam incomprehensibile est, quod fuit ante mundum, quia nihil est nisi Deus. Nobis videtur, quod incipiat dicere, quia non possumus progredi ultra principium temporis. Sed quia Ioannes et Moses dicunt, esse verbum in principio, et ante omnem creaturam, necesse est, semper id fuisse in creatore et in nuda essentia Dei. Ergo est verus Deus, sic tamen, ut Pater generet, et Filius generetur. Nam hanc differentiam Mose ponit, cum nominat Deum, qui dixit, et verbum, quod dictum est. Atque hoc Mosi satis fuit; nam clarior explicatio hujus mysterii proprie pertinebat ad novum testamentum, et ad Filium, qui in sinu Patris est. Ibi audimus etiam certa nomina personarum, quod sit Pater, Filius et Spiritus sanctus, sicut etiam tum in Psalmis quibusdam, tum Prophetis, sed subtilissime, indicantur.

Augustinus paulo aliter exponit verbum „dixit" sic enim interpretatur: Dixit, hoc est, fuit ab aeterno in verbo Patris ita definitum, ita apud Deum fuit constitutum, quia Filius est ratio, imago, et sapientia Patris. Sed retinenda est simplex sententia et

vera: Deus dixit, id est, per verbum condidit et fecit res omnes, sicut Apostolus comprobat, cum dicit (Ebr. 1, 2.): „Per quem condita sunt secula.“ Item (Col. 1, 16.): „Omnia per ipsum et in ipsum sunt condita.“ Atque inter hos limites debet consistere cogitatio creationis; non debemus longius evagari, quia tum in tenebras certas et exitiales prolabimur.

Ergo satis nobis sint ista, cum de mundo et ejus conditione quaeritur. Quod ad materiam mundi attinet, ex nihilo esse factum, sic ex non luce factam esse lucem, ex nihilo factum coelum et terram. Sicut *Paulus* dicit (Rom. 4, 17.): „Vocat ea, quae non sunt, ut sint.“ Instrumentum autem seu medium, quo Deus usus est, est ejus omnipotens verbum, quod cum Deo fuit ab initio, et sicut Paulus loquitur, ante constitutionem mundi (Eph. 1, 4.). Ergo quod dicit Paulus (Col. 1, 16.): „Per ipsum sunt condita omnia“ (utitur enim praepositione in Ebraeorum more pro per; sic enim Ebraei usurpant literam ב) et similia loca ex hoc Mosi loco sunt desumpta, qui loquitur de verbo prolato, quo jubetur et praecipitur aliquid.

Id verbum est Deus, et est omnipotens verbum, prolatum in divina essentia. Hoc proferre nemo audivit, nisi Deus ipse, hoc est, Deus Pater, Deus Filius, et Deus Spiritus sanctus. Ac dum prolatum est, generata est lux, non ex materia verbi, nec ex natura dicentis, sed ex tenebris ipsis, sic ut Pater intus diceret, et foris fieret statim atque exsisteret lux. Hoc modo etiam alia creata sunt postea. Haec, inquam, nobis de modo creationis satis sunt.

Sed hic celebris agitatur quaestio, qualisnam illa fuerit lux, qua illa rudis moles coeli et terrae

fuit illuminata, cum tamen neque sol, nec stellae essent conditae, et tamen textus veram et corporalem hanc lucem fuisse ostendat. Haec res quibusdam occasionem dedit, ut allegoriam quaererent, et exponerent „Fiat lux,“ hoc est, angelica creatura; item „separavit lucem a tenebris,“ hoc est, separavit Angelos bonos a malis. Sed hoc est ludere intempestivis allegoriis (Moses enim historiam narrat), non est interpretari scripturam. Praeterea Moses scripsit hominibus rudibus, ut haberent testimonia aperta de creatione. Igitur tam absurda huc non sunt afferenda.

Secundo etiam hoc quaeritur, an ista lux se moverit motu circulari? Ego quidem fateor me verum nescire; si quis tamen scire cupiat, quid mihi simillimum veri videatur, existimo istam lucem fuisse mobilem, ita ut lux illa fecerit naturalem diem, ab ortu in occasum. Qualis autem lux fuerit, etsi difficile sit dicere, tamen mihi non placet, ut sine causa discedamus a grammatica, aut torqueamus violenter vocabula; Moses enim diserte dicit, fuisse lucem, et numerat hunc primum diem creationis.

Ergo sic sentio, fuisse illam lucem veram, quae motu circumferretur, sicut solis lumen circumfertur: quanquam non fuit tam clara et splendida lux, qualis postea fuit, cum lumine solis aucta, ornata et perpolita est. Sicut etiam sacrae literae testantur, in novissimo die Deum hodiernum lumen solis, ceu malignum lumen respectu futurae claritatis, splendidius et clarius facturum esse. Quemadmodum igitur hodierna lux quasi rudis et crassa luminis massa est, si conferatur ad futuram lucem, ita illa prima lux ad hanc praesentem collata rudis fuit. Haec mea sententia est de his duabus quaestionibus. Iam pergit Moses.

Factumque est vespere et mane dies unus.

Hic notandum est, quod Iudaei aliter diem auspicantur quam nos. Ipsis enim incipit dies a vespera et a sole occidente, ac finitur in vesperam sequentem; nos cum sole oriente diem auspicamur. Ac placet, quod deducunt nomen vesperae, quae Ebraeis עֶרֶב appellatur, ab עָרַב, quod significat miscere, confundere, sicut ab hac appellatione vocant עָרֹב, quam Noster κυνομυῖαν vocat, quasi dicas confusam muscam, quod scilicet vesperi confusae sint facies rerum, neque remoto lumine res liquidae *) discerni possint.

Haec nunc de primo die Mose nos edocuit; videbimus autem, quod Moses hanc phrasin etiam in aliarum rerum conditione retinet: „Dixit Deus: Fiat firmamentum" etc. Haec ipsa repetitio nobis debet gratissima esse, quod, ut supra dixi, magnum affert testimonium fidei nostrae, quod Filius in divinis sit verus Deus, et quod in unitate divinitatis sit quaedam personarum pluralitas, quia alia persona est dicentis, et alia verbum seu λόγος.

Ad hunc modum Psalmus (33, 6.) quoque dicit: „Verbo Domini coeli sunt firmati." Et Salomo hanc mirabilem Mosi phrasin indicat, ubi scribit, sapientiam divinam fuisse quasi administram creationis (Prov. 8, 22.): „Antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata sum" etc. (Ib. v. 27.): „Quando praeparabat coelos, aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos" etc. Hic ostendit Salomo, se istam doctrinam nostrae religionis intellexisse a Mose ostensam, sed ita, ut populus rudis ista audiret et legeret, et tamen non intelligeret. Nisi enim intellexisset Salomo hoc mysterium, non potuisset sic loqui.

*) Fortasse: liquide.

Sed ex Mose hausit omnia, ut et illud Proverb. 30 (v. 4.): „Quod est nomen ejus, aut nomen Filii ejus si nosti.“

Existimo autem, fuisse aliorum quoque sanctorum hominum similia scripta, ut Enoch, Eliae, in quibus hujusmodi testimonia multa exstiterunt. Sicut autem ista adhuc hodie, quantumvis manifeste in novo testamento revelata sunt, in abscondito manent, et a plerisque non accipiuntur, sed impugnantur, ita multo magis idem in populo Iudaeorum accidit, cum sancti Patres ista, non crassissime tradita, etiam subtilius proponerent eruditis.

Nobis autem magna consolatio est, scire ista ab initio mundi sic significata esse, quod in divinis personalis sit pluralitas, et tamen divinae naturae ac essentiae unitas. Quodsi qui haec non credunt, aut impugnant, quid ad nos? Abraham vidit tres, et unum adorat. Item Spiritus sanctus dicit in Gen. (19, 24.): „Et pluit Dominus ignem de coelo a Domino.“ Haec verba etiam si fanatici non intelligunt nec observant, tamen scimus, esse verba non hominis temulenti, sed Dei.

Hujusmodi testimonia plurima passim exstant, quae optimus vir Hilarius diligenter collegit. Quodsi sunt obscura, aut parum firma videntur, impiis et incredulis sic videntur, piis firma et satis clara sunt, quae divinis literis prodita et ostensa sunt. Sciunt enim aliam personam dicentis Dei esse, et aliud non natura, sed persona esse verbum, per quod condita sunt omnia, et adhuc hodie conservantur, sicut dicit auctor ad Ebraeos (1, 3.): „Omnia portans in verbo potentiae suae.“

Sed monendum hic etiam illud est, illa verba: „Fiat lux,“ Dei, non Mosi verba esse, hoc est, esse

res. Deus enim vocat ea, quae non sunt, ut sint, et loquitur non grammatica vocabula, sed veras et subsistentes res; ut, quod apud nos vox sonat, id apud Deum res est. Sic sol, luna, coelum, terra, Petrus, Paulus, ego, tu, etc. sumus vocabula Dei, imo una syllaba vel litera comparatione totius creaturae. Nos etiam loquimur, sed tantum grammatice, hoc est, jam creatis rebus tribuimus appellationes. Sed grammatica divina est alia, nempe, ut, cum dicit: Sol splende, statim adsit sol, et splendeat. Sic verba Dei res sunt, non nuda vocabula.

Atque hic fecerunt discrimen verbi increati a verbo creato. Verbum creatum est factum per verbum increatum. Nam quid est aliud tota creatura quam verbum Dei a Deo prolatum, seu productum foras. Verbum autem increatum est divina cogitatio, jussio interna, manens in Deo, et idem cum Deo, et tamen distincta persona. Sic Deus se nobis revelat, quod sit dictor, habens apud se verbum increatum, per quod mundum et omnia creavit facillimo opere, dicendo scilicet, ut non plus negotii Deo sit in creatione, quam nobis in appellatione. Huiusmodi cogitationibus boni Patres Augustinus et Hilarius quoque se oblectarunt.

Opus secundi diei.

Dixitque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis.

Hic videtur Moses sui oblitus, quod de duabus maximis rebus nihil agit, nempe de creatione, et lapsu Angelorum, ac tantum corporalium rerum conditionem persequitur, cum tamen non dubium sit, Angelos esse creatos. De creatione autem, de pugna et lapsu eorum nihil omnino exstat in scriptura, nisi

quod Christus dicit (Joh. 8, 44.): In veritate non stetit et Mose infra, Cap. 3. commemorat miserabilem historiam de serpente. Mirum igitur est, tacere de his tantis rebus Mosen.

Hinc factum est, cum nihil certi haberent homines, ut aliquid fingerent, nempe quod novem fuerint Angelorum chori, ac tanta multitudo, ut novem toto dies ceciderint. Finxerunt etiam de pugna maxima quomodo boni Angeli restiterint malis. Hoc puto sumptum esse ex pugna ecclesiae, quod sicut pii doctores pugnant contra malos et fanaticos, ita etiam somniant inter Angelos fuisse pugnam contra malos, qui voluerunt usurpare divinitatem. Sed ita fit, ubi nulla clara testimonia exstant, ita plerumque existimant homines temerarii sibi licere fingere quaelibet.

Hinc etiam de periculo et metu Angelorum meditantur, ex loco Esaiae, ubi Lucifer dixerit (14, 13.): „Adscendam in coelum, super astra Dei ponam solium meum" etc. Etsi Propheta ibi de superbia regis Babyloniorum vaticinetur. Et Bernhardus cogitat, Luciferum vidisse in Deo, fore ut homo super Angelorum naturam elevaretur; hanc homini felicitatem superbum spiritum invidisse, ac sic esse lapsum. Sed valeant ista, quantum merentur; ego neminem coëgerim, talibus opinionibus assentiri. Haec tamen sunt certa, et lapsos esse Angelos, et Diabolum ex Angelo lucis esse factum Angelum tenebrarum. Forte etiam inter ipsos Angelos bonos et malos concertatio fuit.

Sed Mose, quia scripsit rudi et novo populo, quae scitu erant necessaria, et utilia scribere voluit; alia, quae non erant necessaria, de Angelorum natura et similibus praeteriit. Quare a nobis quoque de

hoc tota re nihil debet expectari amplius, praesertim cum novum quoque testamentum parcius de hoc loco agat; nihil enim addit, quam quod sint damnati, et teneantur quasi in carcere, vincti usque ad judicii diem. Igitur satis nobis sit ista scire, esse Angelos bonos et malos, Deum autem creasse omnes pariter bonos. Hinc sequitur necessario, malos Angelos esse lapsos, et non stetisse in veritate. Quomodo autem id sit factum, nescitur; verisimile tamen est, ex superbia esse lapsos, quod verbum seu Filium Dei contempserunt, et se ei voluerunt anteferre; plura non habeo. Nunc veniamus ad Mosen.

Primi diei opus audivimus id fuisse rude coelum et terram, quae ambo illuminavit quoddam crasso et rudi lumine. Hoc nunc secundi diei opus est, quomodo ex ista rudi nebula, quam coelum appellavit, produxerit coelum formosum et elegans, quale nunc est, si stellas et lumina majora adimas. Et Ebraei satis commode coeli nomen שָׁמַיִם deducunt a מַיִם, quod significat aquas; nam litera שׁ saepe in compositionibus usurpatur pro relativo, ut שָׁמַיִם sit aqueum, seu quod aqueam naturam habeat. Sicut id etiam ex colore apparet, et experientia docet, äerem esse natura humidum. Et dicunt philosophi, nisi sol esset, aërem perpetuum humorem esse. Esse quidem humidum et calidum, sed humidum esse ex sua natura, quia coelum ex aqua est factum; ideo pluit, et habet salutiferum humorem. Quia autem lux solis est addita, sic temperatur ista natura humida, ut aër etiam calidus sit.

Istam rudem massam nebulae primo die ex nihilo conditae apprehendit Deus per verbum, et jubet, ut extendatur in modum sphaerae. Nam vocabulum

רָקִיעַ Ebraeis extensum quiddam significat a verbo רָקַע, quod expandere et explicare significat. Nam coelum ita factum est, ut extenderetur ista massa rudis, sicut vesica suis circulari forma extenditur, cum inflatur; utar enim rustica similitudine, quo res fiat planior.

Quod igitur Hiob dicit (37, 18.), coelos firmatos esse ferro, non ad materiam respicit, sed ad verbum, quod etiam mollissimam rem natura facit firmissimam. Quid enim mollius est aqua, quid aëre *est* tenuius aut subtilius? Et tamen istae res subtilissimae et mollissimae, quia sic verbo sunt *conditae*, servant suam figuram et motum suum perfectissime et firmissime. Quodsi ex adamante aut materia infinito duriore coelum esset aedificatum, tamen isto tam rapido et longo ac continuo motu frangeretur et liquesceret. Sic sol uno die liquesceret ex rapido motu, si esset ex durissima materia. Motus enim valde calefacit, sicut Aristoteles plumbum in sagitta dicit liquescere propter rapidum motum.

Haec igitur sunt miracula Dei, in quibus omnipotentia verbi cernitur, quod coelum, cum mollius et subtilius sit aqua, tamen rapidissimo motu agitatum, in tanta corporum et motuum varietate, jam tot millibus annorum in nulla sui parte corruptum aut debilitatum sit. Hoc est, quod Hiob dicit, coelos quasi ex aëre fusos, cum tamen sint natura mollissimi. Quanta aëris, in quo vivimus, sit subtilitas, novimus; nam non solum non tangitur, sed ne cernitur quidem. At coelum etiam subtilius et tenuius est natura, quam iste aër. Nam quod apparet caeruleum esse, non est argumentum densitatis, sed longinquita-

tis

tis et tenuitatis potius. Ad quam si nubium corpora conferas, sunt quasi ligni humidi fumus, quod accenditur. Hanc subtilitatem et tamen constantem durabilitatem Hiob notat. Nam philosophi quoque celebrem sententiam habent, humidum non terminari termino proprio.

Igitur coelum, quod suo termino non potest consistere (est enim aqueum), consistit verbo Dei, quod hic audimus: „Fiat firmamentum." Hinc, qui diligentiores fuere inter philosophos, profecto non leve argumentum sumpsere, non temere, sed divina providentia omnia geri et administrari, si quidem tam certi et proprii superiorum corporum et coeli motus sunt. Quis enim haec fortuita aut pure naturalia dixerit? cum ista, quae ab artificibus corpora fiunt, non sint fortuita, sed ex certo consilio et arte profecta: ut sunt columnae teretes, trigonae, hexagonae etc.

Ergo vere majestatis ista opera sunt, quod sol tam accurate et certissima ratione suum cursum habet, ut ne latum unguem a rectissima linea in ulla coeli parte deflectat. Atque hunc cursum tenet in subtilissimo aëre, non suffultus solidis corporibus, sed sicut folium in aëre fertur. Quanquam haec comparatio minus propria est, quia folii motus irregularis et incertus est, solis autem certissimus, idque in aëre longe subtiliore, quam iste aër est, in quo nos imus, et vivimus.

Haec admirabilis istius crassae nebulae extensio firmamentum a Mose appellatur, in quo sol cum reliquis planetis suum motum habet circum terram, in illa subtilissima materia. Sed hanc firmitatem isti fluili et vagae substantiae quis auctor addit? Profecto natura non facit, quae in levioribus id praestare non

potest. Igitur istius hoc opus est, qui ad coelum e lubricam istam substantiam dicit: Sis firmamentum ac verbo ista omnia firmat et conservat pro sua omnipotentia. Hoc verbum facit, ut tenuissimus aër sit durior omni adamante, utque terminum proprium habeat, e contra ut adamas sit mollior aqua, ut ex talibus operibus cognoscamus, qualis sit noster *Deus*: nempe Deus omnipotens, qui admirabile coelum ex rudi coelo fecerit, et omnia pro sua voluntate sit operatus.

Porro dixi, firmamentum apud Ebraeos nomen habere ab extensione, sicut ad vocabulum egregie alludit similitudo militaris pellium seu castrorum, qua utitur Psalmus 104, (v. 2.): „Extendens coelum sicut pellem.“ Sicut enim castrum complicatum explicatur et figitur in agro, ita, inquit, tu expandis et quasi evolvis verbo tuo rude coelum, ubi in tota creatura ceu in sphaera sedes invisibiliter, intra omnia et extra omnia etc.

Sed hoc maxime mirabile est, quod Moses manifeste tres partes facit, et firmamentum collocat medium inter aquas. Ego quidem libenter imaginarer, firmamentum esse supremum corpus omnium, et aquas non supra, sed sub coelis pendentes et volantes esse nubes, quas cernimus, ut sic aquae ab aquis distinctae intelligerentur nubes divisae a nostris aquis in terra. Sed Moses manifestis verbis aquas supra et infra firmamentum esse dicit. Quare captivo hic sensum meum, et assentior verbo, etiamsi id non assequar.

Quaeritur autem hic, quae sint illae aquae, et quomodo corpora superiora sint distincta? Philosophorum partitio non est ignota; ponunt enim quatuor elementa, eaque secundum qualitates collocant

et distinguunt. Infimum locum terrae, secundum aquae, tertium aëri, postremum et summum igni assignant. Alii his annumerant aethera quintam essentiam. Postea numerantur sphaerae seu orbes septem planetarum, et octava sphaera stellarum fixarum. Ac convenit fere de his inter omnes, ut sint quatuor sphaerae generabilium et corruptibilium, deinde octo aliae ingenerabilium et incorruptibilium.

Ac Aristoteles de coeli natura disputat, quod non sit composita ex elementis, sed suam propriam naturam habeat, quia, si ex elementis esset, esset corruptibile, quod ista corpora inter se mixta agant, et patiantur inter se invicem ad corruptionem. Adimit igitur omnibus superioribus corporibus qualitates primas, et dicit, esse simplices naturas, habentes lucem coaeternam, et simul natam qualitatem.

Haec, etsi non certa sunt, tamen, quia principia pulcherrimarum artium ex veri similibus rationibus collecta continent, ad docendum utilia, barbarum est, si quis ea negligere aut aspernari velit, praesertim cum aliquo modo cum experientia conveniant. Nam verum esse experimur, quod ignis natura sursum fertur, sicut fulmina ac reliqua superiora meteora ignita apparent. His quasi principiis experientia notis moti sunt, ut ignem supremo in loco collocarent, deinde aërem, tertio aquam, et in infimo loco terram, gravitate praevalentem.

Haec valent tanquam rudimenta, quae, etsi quis contendat, non esse universaliter vera, tamen communiter sunt vera, et prosunt ad artes istas rite tractandas et tradendas. Etsi enim ex silice elicitur ignis, tamen non ideo negandum est, supremam regionem obtinere ignem. Quare theologia his artibus hanc

addit regulam, philosophis non satis notam, quod, etsi Deus ista omnia verbo suo ordinarit et creaverit, tamen non ideo alligatus sit ad istas regulas, quin eas pro sua voluntate mutare possit. Videmus enim neque grammaticam, nec alias artes sic regulatas esse, quin habeant suas exceptiones; sic leges rerum publicarum temperat ἐπιείκεια. Quanto magis hoc in divinis actionibus fieri potest, ut, etsi ista quatuor elementa sic ordinata et disposita esse experiamur, tamen Deus contra hanc dispositionem etiam in medio mari ignem habere et servare possit, sicut eum in silice absconditum videmus.

Sic sphaerarum numerus certus a mathematicis annotatus est, non quod ita esse necesse sit, sed quod harum rerum aliqualis notitia tradi non potest, nisi sic distinguantur sphaerae propter diversos motus, ad quos tradendos tali, ut dicam, imaginatione opus est. Sic enim ipsi artifices dicunt: Exempla damus, non quod ita sint, sed quod aliter ista doceri non possunt. Stultitia igitur insignis esset, haec ridere, sicut quidam faciunt, quod non ita certa sint, quin aliter esse non possint; nam faciunt ad tradendas artes, quod satis est.

Haec tradunt in genere fere philosophi, ad quos theologi recentiores accedunt, et addunt supra istas octo sphaeras adhuc duas, coelum crystallinum seu glaciale seu aqueum, et coelum empyreum. Sed Graeci multo de his rebus disputarunt elegantius et prudentius, quam Nostri. Nam Ambrosius et Augustinus satis pueriles cogitationes habent. Quare Hieronymum laudo, qui plane de his tacet. Ac coelum crystallinum quidam ideo aqueum dicunt, quod putant, id esse aquas, de quibus Mose hic loquitur, ideo additas

octavae sphaerae, ne nimio motu conflagrent. Sed sunt ista puerilia. Ego potius fatebor, me Mosen in hoc loco non intelligere, quam ut ista inerudita probem.

Decimum coelum empyreum ita vocant, non quod sit igneum et ardens, sed a luce, quod sit lucidum et splendidum. Hoc coelum faciunt habitaculum Dei et beatorum, quod statim a creatione sit impletum Angelis, ac Luciferum de hoc coelo lapsum affirmant. Haec fere theologi adjiciunt ad philosophorum opiniones.

Qui autem apud nos artifices fuerunt, et astronomica tractarunt, hi copiosiores in sphaeris fuerunt. Nam ponunt duodecim sphaeras, atque triplicem motum octavae sphaerae, motum raptum, motum proprium, et motum trepidationis. Neque enim haec, nisi singulis motibus sua sphaera tribuatur, doceri possunt.

Averrois alias magis absurdas, et nimis rationi consentaneas cogitationes habuit. Iste enim sentit, singulas sphaeras esse intelligentias, seu intelligentes naturas. Hujus stultae cogitationis hanc occasionem habuit, quia vidit motum infallibilem et regulatissimum superiorum corporum. Igitur sensit, esse sphaeras intelligentes substantias, quarum singulae moveant se certa et perpetua ratione. Sed probant haec summam ignorantiam Dei; quare Averroim repudiamus. Reliqua autem, quae recitavi, eo usque probamus, quod sunt apta ad docendum. Est enim omni laude dignissima ista qualisqualis cognitio motuum superiorum corporum.

Moses de simplici et plano, ut vocant, procedit, et ponit tres partes, aquas supra et infra, et in medio firmamentum, ac vocabulo coeli complectitur totum id corpus, quod philosophi octo sphaeris, igni

et aëre distinguunt. Nam in tertio die primum meminit aquarum fluentium. Et manifestum est, aërem, in quo vivimus, appellari in scriptura sancta coelum, quia scriptura vocat volucres coeli. Item dicit, claudi coelum, cum non pluit; item dicit, coelum pluere, quae omnia fiunt in aëre, non in sphaeris lunae aut reliquorum planetarum. Igitur distinctio ista sphaerarum non est Mosaica nec sacrae scripturae, sed est ab hominibus eruditis excogitata ad docendum, id quod magni beneficii loco debemus agnoscere.

An recte dicantur elementa corruptibilia, etiam dubito; video enim, quod maneant. Nam etiamsi pars aliqua mutatur, non ideo sequitur, mutari totum; sunt autem tantum partiales illae mutationes elementorum. Sic manet aër, in quo vivunt et volitant volucres; manet terra, in qua proveniunt arbores, et alia, etiamsi quae partes commutantur.

Quod igitur Aristoteles causam omnium horum facit primum motorem, Averrois autem formas assistentes a foris motuum causas dicit, nos secuti Mosen dicimus, omnia ista geri et regi simpliciter verbo Dei. Ipse dixit, et factum est. Non mandavit corpora ista regenda Angelis, sicut nec nos ab Angelis gubernamur, quanquam custodimur ab Angelis.

Sic quod planetarum motus est retrogradus, est opus Dei creatum per verbum, quod opus ad ipsum Deum pertinet, et longe majus est, quam ut Angelis possit tribui. Deus ista sic distinxit, gubernat, et conservat, et idem, qui jussit currere solem, firmamentum autem stare, dixit etiam ad Mercurii stellam: Tu stella movere sic etc. Hoc facit verbum, ut incertissimus motus sit certissimus, etiamsi in vago coelo, non in parte aliqua, aut linea aliqua materiali cor-

pora illa ferantur. Sicut enim piscis in medio mari, volucris in aperto coelo, ita stellae in suo loco moventur, sed motu certissimo et vere admirabili. Sic eadem plane est causa, cur Albis hoc in loco, et ad hanc plagam cursu suo perenni feratur, nec defatigetur. Omnia talia opera sunt opera verbi, quod hic celebrat Mose ipse dixit: etc.

Ergo de causis istarum rerum nos Christiani aliter sentire debemus quam philosophi, et si quaedam sunt supra captum nostrum, sicut ista hic de aquis supra coelos, ea potius sunt cum nostrae ignorantiae confessione credenda, quam aut impie neganda, aut arroganter pro nostro captu interpretanda. Oportet enim nos servare phrasin scripturae sanctae, et manere in verbis Spiritus sancti, cui ad hunc modum placuit distribuere creaturas, ut in medio esset firmamentum, productum ex isto informi coelo et terra informi, ac per verbum extensum, deinde supra et infra firmamentum ut essent aquae, etiam ex ista informi massa desumptae. Hoc totum Spiritus sanctus appellat coelum cum septem sphaeris et regione aëris tota, in qua fiunt impressiones, et in qua volucres errant.

Quare ista communia non negamus, quod dicunt, omne grave deorsum, et omne leve sursum, quanquam etiam vapores densos sursum ferri videmus; sed raptu caloris; hoc tantum dicimus, ista sic creata esse et conservari verbo, verbo tamen etiam adhuc hodie mutari posse, sicut illa tota natura tandem immutabitur. Sicut etiam contra citatam regulam est, quod sint adhuc supra coelos seu firmamentum aquae, et tamen textus id affirmat.

Ut igitur ad propositam quaestionem redeam,

cum quaeritur de natura istarum aquarum, nega non potest, quin, ut Mose dicit, aquae sint supr coelos; cujusmodi autem aquae illae sint, libere fa teor me ignorare. Nam neque scriptura earum me minit usquam, praeterquam in hoc loco, et in Can tico trium puerorum (Dan. 3, 61.), et nos de simi libus rebus omnibus nihil certi possumus praedica re, sicut nec de coelo, in quo Angeli et Deus habi tat cum beatis, nec de aliis, quae in novissimo die, cum alia carne induti erimus, revelabuntur, nunc certi aliquid dicere possumus.

Sed addam hoc quoque propter rudiores, in scriptura saepe appellatione coeli venire, quem nos dicimus Horizontem. Hinc coelum coelorum firmamentum totum appellatur, in quo congregantur omnium hominum coeli, hoc est, Horizontes. Hoc modo nos hic aliud coelum habemus, quam qui in Gallia aut Italia sunt. Sed haec appellatio nihil facit ad hujus loci interpretationem. Quare maxima pars theologorum aquas istas, ut supra etiam ostendimus, interpretati sunt coelum glaciale, ideo in illa parte positum, ut inferiores sphaeras in tanta pernicitate motus humectet, et quasi refrigeret, ne consumantur ex nimio ardore. Sed an recte ita colligant, non definio. Ego libenter fatebor, me aquas istas, quid sint, nescire. Siquidem etiam veteres ecclesiastici ista non curarunt admodum, sicut videmus Augustinum astrologiam totam contemnere. Sed etiamsi ea multa superstitiosa habet, tamen non plane contemnenda est; versatur enim tota in observatione et consideratione divinorum operum, quae dignissima cura est homine. Quare summa ingenia in ea se exercuerunt et oblectarunt.

Haec de praesenti loco satis sint dicta, quod scilicet secundo die coelum sit distinctum, ut esset medium inter aquas.

Sed hic alia quaestio nascitur, quod, cum in operibus aliorum dierum omnium additur: „Et vidit Deus, quod esset valde bonum," cur id etiam hoc in loco non sit additum, cum maxima et pulcherrima pars totius creaturae esset condita? Potest autem ad hanc quaestionem sic responderi, quod ea clausula in fine conditionis omnium rerum sit addita sexto die, ubi dicit scriptura: „Et vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona." Ibi etiam coelum complectitur.

Lyrae placet sententia Rabbi Salomonis, qui dicit, in tertio die hanc sententiam bis poni: „Et vidit Deus, quod erant valde bona;" referri igitur alterum ad opus secundi diei, quod tertio die perfectum est, cum aquae sub coelo sunt aptius distinctae.

Alii philosophantur hic ex nescio quibus rationibus, quod binarius numerus sit mali ominis, quia primus numerus est, qui ab unitate discedit, Deum autem odisse illam discessionem, et probare concordiam; ideo non addidisse hoc elogium de secundo die. Sed Lyra recte appellat trufaticam glossam, quia eadem ratione omnes numeri ab unitate discedunt.

Et tutissimum est, hic non esse nimium curiosos, quia sunt ista posita supra nostrum captum. Quomodo enim nos possumus intelligere eum ordinem, quem Deus approbat? Imo confundi necesse est rationem; quod enim Deo ordo est, hoc nos confusionem ordinis judicamus. Sic confusae temere videntur stellae, quod clarae obscurioribus, minores majoribus sunt mixtae. Quis enim hic ordinem esse judicat? et tamen summus est ordo, ex sapientissima

mente constitutus. Sic de aliis judicamus; videtur esse confusio, quod Albis noster, imo omnia flumina tam obliquo cursu ad ostia sua feruntur. Sic confundi videntur arbores; sic confundi videtur masculus et femina, nec apparet hic ordo aliquis. Sed haec omnia probant, Deum habere et judicare aliter de ordine, quam nos.

Quare omittamus curiosius ista persequi, cur addat ad tertium diem bis: „Et vidit Deus" etc. in secundo autem omittat? Nec judicemus temere, an opus secundi diei in tertio die absolutum sit vel non. Philosophi rudimenta tradiderunt artium; ideo distinxerunt coelum in sphaeras suas. Sed nos simpliciorem habemus rationem, qui Deum immediate constituimus creatorem omnium per verbum dixit.

Opus tertii diei.

Dixitque Deus: Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum, et appareat arida.

Supra dixi, nos non intelligere ordinem operum Dei; igitur si hic nos in consilium adhibuisset, suasissemus eum ordinem, ut hanc particulam adderet secundo diei. Sed vult ipse esse magister ordinis, et arbiter orbis. Quare non debemus hic valde esse curiosi. Textus dicit clare, Deum jussisse aquas sub coelo congregari. Non dicit, sub firmamento, ut supra: „Fiat divisio aquarum ab aquis supra et infra firmamentum." Coelum igitur phrasi sacrae scripturae dicitur tota superior machina cum toto aëre et omnibus sphaeris, et habet nomen Ebraeum a materia, hoc est a confusa ista aqua, ex qua factum est per extensionem, seu multiplicationem. Neque enim aqua ista

prima et informis tam fuit ampla, sed est verbo extensa. Sicut Christus benedictione sua in evangelio paucos panes multiplicat, ut ingenti hominum numero sufficiant.

Quod igitur philosophice vocamus aërem cum omnibus sphaeris, id hic coelum vocat: aquas autem vocat istas nostras aquas, maria et flumina, quae etiam sunt ex ista prima et rudi aqua, et ceu faeces, quae relictae sunt, postquam coelum ex ea verbo productum est. Credo autem, hanc longe minorem aquae vim esse, quam illa sit supernarum aquarum. Hae enim nostrae aquae ceu faeces sunt, ut non loco solum, sed corpore etiam congregatae dicantur, quia crassiores sunt aquae istae quam aëris. In aëre enim spiramus, in aqua non possumus spirare.

Quod dicit: „In unum locum“ collective, potius pluraliter et distributive intelligi debet, quasi dicas: In singula loca seu varia loca, ne tota vis in unum oceanum uno loco congregetur, sed ut maria et flumina sint multa, aliud inferius, aliud superius, aliud majus, aliud minus etc.

Et appareat arida.

Haec verba sunt observanda, quia supra dixit, terram fuisse תֹהוּ et בֹהוּ, hoc est incultam, rudem et informem, undique circumfusam et permixtam aquis. Ergo hic quoque significat massam istam terrae aquis submersam et obrutam esse. Cur enim alioqui diceret: „Appareat,“ nisi fuisset circumdata abysso, et aquis istis primis et nebulosis plane tecta? Confirmatur enim hic iterum, quod supra aliquoties ostendimus, quod mundus principio conditus nihil fuerit quam rudis aqua et terra, ac tertio die primum ter-

ra producitur, ut appareat; sicut igitur antea lux aquis inducta est, ita hic decus lucis etiam inducitur terrae. Utrumque enim ad habitandum fuit necessarium, ut esset sicca, et ut esset in luce seu illuminata.

Vocat autem terram aridam propter aquas remotas. Sic videmus mare mirabiliter aestuare, quasi absorpturum sit omnem terram; nam altius terris exstat mare. Sed non potest transire terminos suos. Hic enim locus primae creationis circumscribit terram, et ponit mari obicem firmissimum (sicut Hiob (38, 10.) et Psalm. (104, 9.) testantur), ut, quanquam mare sit altius, nec terminetur proprio termino, tamen non possit vagari ultra, quam debeat. Terra enim pro suo centro deberet esse inclusa et tecta mari, sed Deus mare verbo suo repellit, et facit planitiem illam exstare, quantum ad habitationem et ad vitam opus est.

Ergo virtute divina fit, ne aquae in nos grassentur, et adhuc hodie usque in finem mundi miraculum illud nobiscum Deus facit, quod in rubro mari fecit cum populo Israel. Ideo autem tum singulariter revelavit eam potentiam manifesto miraculo, ut a parvo populo coleretur diligentius. Quid enim est tota nostra vita super hanc terram, quam transitus per rubrum mare, ubi utrimque mare stabat ceu muri alti, quia verissimum est, longe altius esse mare quam terram, Deus igitur adhuc hodie aquas pendere jubet, et verbo tenet, ne in nos erumpant, sicut erupere in diluvio. Nonnunquam autem eduntur signa divinitus, ut insulae totae aquis pereant, ut ostendat Deus, mare esse in manu sua, quod et tenere possit, et in ingratos et malos immittere.

Disputant philosophi quoque de centro mundi

et aqua circumflua. Et sane mirum est, eo usque progressos, ut terram constituerent centrum totius creationis. Hinc enim colligitur, non posse terram cadere, quia undique a reliquis sphaeris continetur ab intra. Sic coelum et reliquae sphaerae nituntur centro, ut ipsae quoque sint durabiles. Haec sunt digna cognitione. Sed hoc philosophi nesciunt, quod illa stabilitas tota est ex vi verbi Dei. Igitur aqua etsi altior sit, non tamen potest egredi fines, et terram obtegere; sed vivimus et spiramus, sicut filii Israel in medio maris rubri.

Et vidit Deus, quod esset bonum.

Hic addit commendationem hanc, cum tamen nihil sit factum praeter illam aquarum distinctionem et productionem exiguae particulae terrae. Supra ad pulcherrimam partem operum Dei non addidit hanc particulam, fortasse ideo, ut significaret nobis Deus, se plus sollicitum esse de nostra habitatione, quam de sua, ut eo magis accenderemur ad gratiarum actionem. Non enim eramus victuri in aëre aut coelo, sed in terra, ubi cibo et potu eramus toleraturi vitam.

Postquam igitur tectum hujus habitationis adornavit, coelum scilicet, et addidit lucem, nunc etiam aream instruit, et producit terram aptam habitationi et ministerio hominum. Hoc opus sibi placere, bis dicit propter nos, qui sic ei sumus curae, ut etiam confirmet nos, futurum, ut hujus operis, quod tam sollicite aedificavit, etiam posthac magnam sit habiturus curam, et affuturus, ac prohibiturus sit hostem et mortem certissimam, nempe aquam. Belle igitur coepit hujus domus fundamenta et tectum. Nunc videamus, quomodo eam exornet etiam.

Et dixit Deus: Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomi etc.

Primas domus partes exstruxit; tectum habet elegantissimum, licet nondum exornatum plane, coelum: fundamentum est terra: parietes ex omni parte sunt maria. Nunc etiam de victu nobis providet, ut terra ferat herbas et arbores omnis generis. Hic iterum vides, cur terram supra dixerit תהו et בהו, quod non solum tenebrosa et permixta aquis fuerit, sed etiam sine omni fructu et sterilis.

Vides autem, quem nobis cibum paret, nempe herbas et fruges arborum. Credo igitur nostra corpora longe fuisse durabiliora, si ista polyphagia, praesertim autem carnium esus post diluvium non esset introductus. Nam etsi terra post peccatum Adae maledicta, et postea diluvio etiam valde corrupta sit, tamen longe subtilior hodie victus esset herbarum quam carnis. Initio sane mundi apparet herbas fuisse cibos, et conditas in eum usum, ut essent homini cibus.

Quod igitur terra profert frumentum, arbores, et omnis generis herbas, hujus diei opus est. Nunc quidem omnia nascuntur ex sui generis semine; sed prima creatio sine semine simpliciter ex virtute verbi est facta. Quod autem nunc semina proveniunt, id quoque est creationis opus plenum admiratione. Nam singularis virtus est, quod granum in terram cadens suo tempore surgit, et fert fructum secundum speciem suam. Illud autem certum est indicium, non fortuitam creationem, sed praecipuum divinae providentiae opus esse, quod similia a similibus perpetuo ordine enascuntur. Sic ex tritico non fit nisi triticum,

ex hordeo non nisi hordeum, ex siligine siligo; perpetuo eadem singularum specierum ratio, ordo, conditio servatur.

Philosophia causam ignorat, et naturae tribuit ista, sed nos naturam scimus verbo ita conditam, ut semina et species rerum conservarentur. Sic non solum multiplicatae sunt aquae in coelo, sed etiam prima semina multiplicata sunt, et servant speciem suam accurate.

Hic quaeritur de tempore anni, quo mundus creatus est, in verene an autumno sit creatus? Et quanquam varient sententiae, tamen utraque pars habet suas conjecturas. Qui enim autumnum malunt, illi suam sententiam probant per hoc, quod arbores produxerunt fructus. Nam Adam et Heva poma comederunt. Ad hoc comprobandum etiam illud afferunt: Dei perfecta sunt opera. Alii malunt tempus veris, quia tum est formosissimus annus, et mundi quasi infantia seu pueritia. Hinc poëta quoque ver nascentis mundi originem fuisse scribit.

Sed neutra pars sufficientes rationes habet; utrumque enim textus confirmat, et quod terra germinaverit (id profecto non est autumni, sed veris), et quod fructus tum exstiterint. Quare illud dicimus miraculum primi mundi fuisse, quod subito ista omnia extiterunt, ut et germinaret terra, ac florerent arbores, et subito etiam subsequerentur fructus. Id miraculum tum cessavit; nam species istae sicut tum creatae sunt, propagantur per semina sua. Ergo male arguunt ab effectu naturali ad supernaturalem. Hoc enim creatori tribuendum est, et primo creationis operi, quod maturaverit partes veris et autumni, quoad herbas et fructus arborum.

Porro haec causa est, quae movit Hilarium e alios, ut statuerent, mundum subito exstitisse perfectum, nec sex dierum naturalium intervallo ad creationis opus Deum usum esse. Cogit enim nos textus, ut fateamur, arbores una cum fructibus eo die quo Adam conditus est, stetisse. Hoc etsi sit citius factum, quam hodie solet (nam semestri fere apud nos opus est), tamen non solum verbo fructificandi, sed germinandi etiam verbo textus utitur.

Quod igitur attinet ad quaestionem supra propositam, maxime verisimile est, veris id fuisse tempus, quo mundus coepit, sicut Iudaei quoque suum annum incipiunt, et primum mensem veris tempus faciunt, cum terra quasi aperitur, et omnia pullulant.

Quaeritur etiam hoc loco, quando sint conditae arbores infrugiferae seu steriles? Ego etsi nihil definio, tamen sententiam meam ostendam. Sentio autem, omnes arbores initio fuisse bonas et fecundas, et bestias agri cum Adamo quasi communem habuisse mensam, ac siligine, tritico et aliis nobilioribus fructibus pastas esse. Fuit etiam maxima opulentia omnium creaturarum.

Post peccatum autem Adae primum ad terram dictum est, ut ferat spinas et tribulos. Quare non dubium est, eam quoque peccati esse poenam, quod habemus tam multas arbores et herbas, quarum nullus sit usus ad pabulum. Atque hinc accidit, quod quidam Paradisum dixerunt totam terram propter primae creationis benedictionem et opulentiam. Expulsionem autem ex Paradiso dixerunt esse, quod Adam ex felici mundo inter spinas positus sit, ubi etiam post multum laborem saepe nullum operae pretium fiat. Sed de hac re infra disputabitur; ego, quod

ad

ad praesentem quaestionem attinet, libenter in eam sententiam inclino, omnes arbores initio fuisse frugiferas.

Odiosa *) est curiositas nostrorum hominum. Disputarunt hic etiam de causa, quare terram ornarit Deus fructibus tertio die, antequam ornaret coelum stellis? pertinere id magis ad opus sexti diei, et convenientius esse, ut sicut prius coelum coepit extendi, quam terra produci, ita etiam coelum prius, quam terra ornaretur, et ornatum terrae magis pertinere ad sextum diem. At Lyra subtiliter distinguit, non hunc ornatum, sed formam esse. Sed an id sufficiat, necne, dubito. Mihi, sicut ante dixi, rectius videtur, ordinem istarum rerum non intuendum ex nostro judicio. Deinde, an non ornatum est coelum luce, quae condita est primo die? ornamento certe pulcherrimo totius creaturae.

Igitur mihi magis hoc loco placet, ut consideremus curam et benignitatem divinam pro nobis, quod domicilium tam elegans futuro homini instruit, priusquam homo sit conditus, ut cum postea homo creatur, paratam et instructam domum inveniat, in quam a Deo deducitur, et jubetur frui omnibus divitiis tam amplae domus. In tertia die instruitur culina et victus; in quarta homini dantur in ministerium et servitutem sol et luna; in quinta traditur dominium in pisces et volucres; in sexta traditur dominium in omnes bestias, ut istis omnibus opibus fruatur pro necessitate sua gratis, tantum ut homo ex ista liberalitate agnoscat Dei bonitatem, et vivat in timore Dei. Haec cura et sollicitudo Dei pro nobis, etiam ante

*) Fort. Otiosa.

quam sumus conditi, recte et cum fructu hoc in loco consideratur; reliqua sine fructu, et etiam incerta sunt.

Similis beneficentia Dei erga nos est in spiritualibus donis. Antequam enim nos convertimur ad fidem, sursum est Christus redemptor noster in domo Patris, et parat mansiones, ut cum venerimus, inveniamus coelum omni genere gaudii instructum. Adam igitur nondum creatus multo minus de suo futuro bono cogitare potuit, quam nos; ipse enim nondum fuit; nos autem ista audimus verbo Dei nobis promitti. Quare intueamur conditionem hujus mundi primam, tanquam typum et figuram futuri mundi, atque ita Dei benignitatem discamus, prius ditantis et locupletantis nos, quam nos cogitare de nobis possumus. Hanc sollicitudinem, curam, liberalitatem, beneficentiam Dei tam in hac quam futura vita considerare et admirari, longe melior cogitatio est, quam illa, cur tertia die coeperit terram ornare.

Haec de opere tertii diei sint satis, in quo homini domus parata est. Nunc sequuntur alii dies, in quibus etiam domini constituimur totius creaturae.

Opus quarti diei.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in coelo, et dividant diem ac noctem etc.

Hoc est quarti diei opus, in quo istae pulcherrimae creaturae sunt verbo creatae, scilicet sol et luna cum reliquis stellis omnibus, nec solum sunt creatae ipsae quoad substantiam et corpora sua, sed quoad benedictionem, hoc est, quoad effectus, vim et vires.

Audivistis autem supra, in primo die creatam esse lucem. Haec lux ad quartum usque diem fuit vi-

ce solis et lunae ac reliquarum stellarum, donec quarto die ipsi auctores et principes diei et noctis, sunt conditi.

Quaeritur igitur hoc in loco de ista prima luce, an creato sole et luna evanuerit iterum, an vero cum sole manserit? Atque hic magna sententiarum et opinionum varietas est. Ego vero simpliciter credo, omnium operum Dei esse eandem rationem. Quare sicut primo die rude coelum et rudis terra est condita, ac deinde exculta et perpolita, sic ut coelum extenderetur, et ornaretur lumine, terra autem ex aquis producta vestiretur arboribus et herbis: ita inchoatam et quasi rudem lucem primi diei credo quarto die perfectam esse, additis novis creaturis, sole, luna, stellis etc.

Alii dicunt istam lucem primam adhuc durare, sed obscurari claritate solis, sicut luna et stellae interdiu obscurantur a sole. Potest utrumque esse verum, quod et illa lux prima manserit, et tamen fuerit semen quasi solis et lunae.

Facit autem Mose discrimen, et vocat solem et lunam luminaria majora. Quod igitur astronomi de magnitudine horum corporum disputant, ad hunc locum proprie nihil facit. Hoc autem ad hunc locum facit, ut observemus, scripturam ista corpora praedicare non a magnitudine corporum, sed a magnitudine luminis, quia, etsi solem cum stellis compares, et in unum corpus omnes stellas redigas, corpus quidem longe majus efficietur, quam solis sit, sed lumen solis nullo modo aequabunt: e contra si sol in minutissimas partes dissecaretur, longe tamen vincerent illae minutae partes stellas claritate. Nam sunt ista corpora sic condita cum differentia, sicut Paulus dicit (1. Cor. 15, 41.), aliam esse claritatem solis, aliam

lunae, aliam stellarum inter se, etc. Haec differenti est non ratione corporum, sed ratione creationis, u eo sit admirabilius creationis opus. Sicut profecto re admiratione dignissima est, sic spargi in tantam lon gitudinem et latitudinem radios solis cum tanta mo tus velocitate, item cum tanta vi fovendi et calefa ciendi subjecta corpora.

Astronomi quoque dicunt, stellas volunt a sol accendi ut luceant; sic lunam dicunt lumen a sol mutuari. Et sane non inepte id probatur in eclips lunae, cum terra è diametro interjecta inter solem e lunam solis lumen non transmittit ad lunam. Eg haec non nego, nec damno, sed tamen hoc ipsum di vinae virtutis esse statuo, quod soli ea vis est addi ta, ut suo lumine etiam lunam et stellas accendat item, quod luna et stellae sic sunt conditae, ut sin capaces luminis, quod à sole projicitur.

Augustinus de luna recitat duas opiniones in ini tio Psalmi duodecimi, et quaerit ex iis disputationi bus allegoriam ad ecclesiam, quanquam ipse nihi definit. Sed ego relinquo ista; nam ab astronomi tanquam ab artificibus commodissime petuntur, qua de hac re disputari possunt. Mihi satis est, ut i istis corporibus tam elegantibus et nostrae vita utilibus, cognoscamus et benignitatem Dei et poten tiam, quod tantas res verbo condidit, et adhuc hodi conservat ad nostrum usum. Haec nostrae profes sionis, hoc est, theologica sunt, et valent ad animo confirmandos.

Quae disputantur de natura istarum creatura rum, etsi pleraque verisimiliter dicuntur, et cum fruc tu discuntur, tamen video rationem longe esse infir miorem, quam ut ista possit perfecte cognoscere

Ideo summa ingenia, dignitate istarum creaturarum victa, non potuerunt aliter statuere, quam quod essent aeterna et quasi numina quaedam. Quod igitur philosophi definiunt, stellam esse densiorem partem sui orbis, nos multo tutius definimus, esse lucem creatam a Deo per verbum. Et sane verisimilius est, stellarum corpora, sicut solis, esse rotunda, et tanquam globos esse affixos firmamento, ut luceant noctu singulae secundum suum donum et creationem suam.

Et sint in signa et tempora et dies et annos.

Quod addit Moses, et dicit: „Ut dividant diem et noctem," significat discrimen etiam apud astronomos celebre diei naturalis et artificialis. Supra enim dixit: „Factum est vespere et mane dies unus"; ibi loquitur de die naturali, qui constat horis viginti quatuor, quibus circumvolvitur primum mobile ab oriente in occidentem. Hic cum dicit: „Ut dividant diem et noctem", loquitur de die artificiali, quo sol est supra horizontem.

Igitur hoc primum est officium solis et lunae, ut sint ceu reges et praefecti noctis et diei. Ad hoc opus non adhibentur stellae. Sed sol, cum oritur, etiam sine aliis stellis tum orientibus diem affert. Sic luna etiam sine stellis noctis dux est, et noctem facit; sic enim est divinitus condita. Quod autem vices sunt noctis et diei, fit propter corpora quiete reficienda. Sol enim lucet ad faciendum opus; luna obscurum lumen habet, ideo somno aptior est quam operi.

Sed quid est, quod dicit: „Ut sint in signa"? Lyra exponit, esse signa pluviarum et tempestatum,

id quod non valde pugno, quamquam etiam dubito an ita certo praesignificare ista possint, sicut Virgilius et alii scribunt. Evangelium notas pluviarum facit auroram rubentem, e contra serenitatis serenum vesperum. Quod igitur dicunt, Pleiadum ortum significare pluvias, et similia, neque revello anxie, neque simpliciter confirmo, quod videam, non usquequaque certa esse.

Hujus autem loci hanc simplicissimam sententiam esse duco, quod non loquatur de talibus signis levioribus, sed de signis potioribus, qualia sunt eclipsium et magnarum conjunctionum, ut signum sit idem, quod monstrum, portentum aut mirabulum aliquod, quo Deus vel iram vel miseriam mundo significat. Quodsi hoc crassius videtur, meminerimus, Mosen rudi populo scripsisse.

Huc pertinent meteora et impressiones, quae fiunt in aëre, cum videntur stellae cadere, cum halones, cum irides, et his similia in aëre fiunt etc. Moses enim vocat coelum totam illam aqueam massam, in qua astra et planetae feruntur, etiam illam supremam aëris regionem. Nam illa sphaerarum ratio excogitata est a posterioribus ad docendum. Scriptura enim eas nescit, et simpliciter lunam cum sole et stellis non in singulis sphaeris, sed in firmamento coeli (infra et supra quod coelum aquae sunt) dicit positas, ut essent signa futurorum eventuum, sicut experientia de ecclipsibus, magnis conjunctionibus et aliis quibusdam meteoris docet.

Sed observanda etiam est vox: „In tempora“, לְמוֹעֲדִים. Significat enim מוֹעֵד, statum, fixum, et certum tempus, hinc commune nomen in bibliis est tabernaculo foederis, quod istic certae festivitates in

certo loco, certo tempore, et certis ritibus fiant. Ad hunc modum dicit, solem et lunam esse in tempora, non ideo solum, quod tempora regantur, et notabiliter a sole mutantur (sicut videmus, corpora inferiora solis vel accessu vel recessu mutari; alia enim in hieme, alia in aestate, alia in autumno, alia in vere qualitas est aëris, ad quam nostra quoque corpora mutantur), sed quod alias quoque differentias et notas temporum in civili vita usurpamus, sumptas a motu istorum corporum. Sic certo tempore anni locantur aedes, conducuntur operae serviles, exiguntur reditus etc. Haec omnia sunt ministeria, quae sol et luna nobis praebent, ut sic partiamur tempora secundum operas et alias commoditates. Sic septenas, menses, angarias, ut vocant, numeramus etc.

Quod sequitur: „Et in dies", significat naturalem diem, cum sol fertur circum terram. Quod igitur dies numeramus, item annos, beneficia sunt creationis et ordinationis divinae. Hinc autem venit etiam tempus, quod philosophi definiunt esse numerationem motus; non enim posset numerus iste iniri, si non moverentur ita certa lege superiora corpora, sed starent eodem loco fixa; ubi autem nullus est numerus, ibi nec tempus est. Sic aliquis somno oppressus, quia numeratio desiit, nescit, quamdiu dormiat. Sic nos recogitamus infantiam aliquo modo, sed hoc nescimus, suxisse nos ubera matrum, cum tamen tum habuerimus vitam. Ratio est, quia numeratio defuit. Hinc etiam fit, quod bestiae tempus non norunt, sicut nec infantes id norunt. Ergo numerus ostendit, hominem esse singularem creaturam Dei, sicut Augustinum videmus libenter hoc naturae nostrae donum praedicare, et ex eo probare animorum immor-

talitatem, si quidem solus homo tempus numerat et intelligit.

De futura vita hic quaerunt, an haec corporum coelestium ministeria cessatura sint? Sed ea erit sine tempore; pii enim aeternum diem, impii aeternam habituri sunt noctem et tenebras etc. Ergo sol non tantum claritate et luce sua diem facit, sed motu, quo movetur ab oriente in occidentem, dum iterum post horas viginti quatuor oritur, sicque alium diem facit. Hinc astronomi quoque tres solis numerant utilitates, influentiam, motum et lumen. De influentia non disputo subtilius; nam mihi satis est, scire, quod ista corpora sint nobis ad nostrum usum condita, ut sint nobis in signa sive irae, sive gratiae, et in tempora, ut discrimina temporum certa observemus etc. Haec quia sacris literis prodita sunt, certa sunt. Reliqua, etsi experientia nituntur, tamen, quia ea interdum fallit, non sunt tam certa.

Sed hic quaeri solet de astrologicis praedictionibus, quas ex hoc loco confirmant et probant. Ego, si quis eas defendat minus pertinaciter, non valde repugno. Oportet enim ingeniis suos lusus concedi. Igitur si superstitionem tollas, non valde offendit me, si quis ingenii causa istis praedictionibus ludat. Quod tamen ad rem attinet, mihi nunquam persuadebitur, astrologiam inter scientias numerandam esse; sequar autem hanc rationem, quod nullam plane demonstrationem habet. Nam quod allegant experientiam, nihil me movet. Omnes enim astrologicae experientiae sunt mere particulares. Nam istas tantum artifices notarunt et retulerunt in literas, quae non fefellerunt; reliquas experientias, ubi falsi sunt, nec secuti sunt effectus, quos praedixerunt certo futuros,

non notarunt. Sicut autem Aristoteles dicit, unam hirundinem non facere ver, ita ego ex talibus particularibus observationibus non puto scientiam constitui. Sicut enim venatorum dictum est, quotidie venationes exerceri posse, sed non quotidie secundas venationes esse, idem plane de astrologis et eorum praedictionibus dici potest, quia saepissime fallunt.

Sed etiam, si quid certi haberent ista, quae stultitia est, valde de futuris esse anxium? Nam fac, futura posse sciri per astrologicas praedictiones, si mala sunt, profecto multis modis eorum ignoratio *melior est*, quam scientia, sicut Cicero quoque disputat, et praestat esse semper in timore Dei, ac orare, quam discruciari metu futurorum eventuum. Sed haec alias.

Quare existimo, astrologicas praedictiones non satis tuto hoc in loco fundari; sunt enim signa rationalia, ut sic vocem, hoc est, per rationem collecta. Magis autem proprium est, si intelligamus Mosen de signis, quae Deus ostendit, ut homines in genere vel admoneantur vel terreantur.

Atque haec de quarto die satis sint. Hic autem incipit se aperire et nobis ostendere immortalitas animorum, si quidem nulla creatura praeter hominem aut intelligere coeli motum, aut metiri corpora coelestia potest. Sus, vacca et canis aquam, quam bibunt, non possunt metiri, et homo coelum et omnia coeli corpora metitur. Quare hic emicat scintilla aeternae vitae, quod homo naturaliter exercetur in illa naturae cognitione. Significat enim cura illa, homines non eo conditos, ut in hac infima orbis parte semper vivant, sed ut coelum possideant, quod in hac vita admirantur, et occupantur studio et cura coelestium rerum.

Et nisi hoc esset, quid profuisset, aut quid omnino fuisset opus, hanc cognitionem tam opulente homini dari, quem ipse corporis status et forma arguit pertinere ad coelestia, quanquam ejus origo valde est misera et humilis. Primus homo ex gleba factus est a Deo, deinde propagari coepit genus humanum ex semine masculi et feminae. Inde paulatim in utero formatur embryo per singula membra, et crescit, donec tandem per partum ad hoc coeli lumen producatur; postea sensitiva vita, mox operativa et motiva incipit.

Tandem, cum confirmatum est corpus, et animus ac ratio in sano corpore viget, tum primum emicat illa vita intellectus, quae in aliis creaturis terrestribus non est, ut mathematicarum disciplinarum adminiculo, quas divinitus ostensas esse nemo potest negare, homo ex terra in altum animo subvolet, et omissis, quae in terra sunt, coelestia curet et investiget. Hoc non vaccae, non sues, non aliae bestiae faciunt; solus homo facit. Ergo est homo creatura condita, ut, relicta aliquando terra, coelestia habitet, et aeternam vivat vitam. Hoc enim est, quod non solum loqui et judicare possit (quae ad dialecticam et rhetoricam pertinent), sed quod etiam mathemata omnia perdiscit.

Igitur nunc ab hoc quarto die incipit manifestari gloria nostra, quod Deus de tali creatura cogitat facienda, quae intelligat motus istorum corporum, quae quarto die creantur, et quae illa cognitione delectetur, tanquam quae propria sit suae naturae. Debent autem nos haec excitare ad gratiarum actionem, quod tanquam cives pertineamus ad illam patriam, quam nunc adspicimus, miramur et intelligimus. Sed

tanquam peregrini et exsules, quoniam post hanc vitam propius ea adspiciemus, et perfecte intelligemus.

Atque hactenus de creaturis non viventibus, nec sentientibus audivimus. Quanquam quidam ex philosophis de stellis et superioribus corporibus ita locuti sunt, ac si essent animata et rationalia. Sed existimo, id factum propter motum rationalem et tam certum, cujus simile nihil est in reliquis naturis. Dixerunt igitur, composita esse excorpore et intellectu, et tamen corpus ipsorum non esse elementale. Ac Plato in Timaeo ad hunc modum disputat.

Sed haec sententia plane est explodenda, et accommodandus intellectus noster ad verbum Dei, et ad scripturam sanctam, quae clare docet, Deum ista omnia condidisse, ut futuro homini pararet ceu domum et hospitium, ac gubernari et conservari ista virtute verbi, quo sunt condita. Ideo tandem omnibus paratis, quae ad substantiam domus pertinent, introducitur homo, ceu in possessionem suam, ut discamus divinam providentiam pro nobis majorem esse omni nostra sollicitudine et cura. Alia, quae sine auctoritate scripturae afferuntur, repudianda sunt.

Sed hic repetendum duxi praeceptum, quod supra aliquoties proposui, quod scilicet assuescendum etiam est ad phrasin Spiritus sancti, sicut etiam in aliis artibus nemo feliciter versabitur, nisi prius recte cognito genere sermonis. Sic jureconsulti suos habent terminos, ignotos medico et philosophis. Contra hi quoque habent suam quandam quasi linguam, ignotam aliis professionibus. Iam non debet ars artem impedire, sed unaquaeque debet retinere suum quasi cursum, et uti suis terminis.

Ad hunc modum igitur videmus Spiritum sanc-

tum suam habere linguam et phrasin, nempe, quod Deus dicendo creaverit omnia, et per verbum operatus est, et omnia ejus opera sunt verba quaedam Dei, per verbum increatum creata. Sicut igitur philosophus suis terminis utitur, ita etiam Spiritus sanctus utitur suis. Quod igitur astronomus sphaeras, auges, epicyclos appellat, recte facit; licet enim id in sua professione, ut commodius alios doceat. E contra Spiritus sanctus et scriptura sacra illas appellationes nesciunt, et totum hoc, quod supra nos est, vocant coelum. Nec debet id reprehendi ab astronomo, sed uterque loquatur suis terminis.

Sic etiam accipiendum est vocabulum temporis in hoc loco. Neque enim Ebraeo et philosopho idem est tempus, sed vocabulum temporis Ebraeis significat theologice statuta festa, item intervalla dierum, quae in annum concurrunt. Quare fere ubique redditur per nomen festum seu festivitas, nisi cum de tabernaculo dicitur. Hoc admonendum duxi, priusquam pergeremus, et puto, non inutile esse praeceptum, ut unaquaeque ars utatur suis terminis, neque alia aliam ideo damnet aut rideat, sed juvet potius alia aliam, et praebeant mutuas operas, sicut artifices faciunt, ut conservetur tota civitas, quae (sicut Aristoteles inquit) non potest constitui ex medico et medico, sed ex medico et agricola.

Opus quinti diei.

Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile volans etc.

Videmus, Mosen retinere suam phrasin constanter in verbo dicere. Hactenus igitur commemoravit superiores creaturas, coelum cum toto agmine plane-

tarum et stellarum reliquarum, quas ex aqua verbo produxit Deus, et admiscuit lucem, sicut videmus hunc aërem nativa luce perspicuum.

Nunc addit de nova creatura, producta ex aquis, nempe de volucribus et piscibus. Conjungit autem haec duo genera propter naturam non dissimilem. Sicut enim piscis in aqua natat, sic avis volat in aëre, et quanquam carnem habent diversam, tamen eandem habent originem; sicut manifestus textus hic est, volucres ex aqua productas petiisse aërem, in quo vivunt. Retinet autem Moses phrasin suam, quod coelum vocat omne hoc, quod sursum est.

Atque hoc primum admiratione dignum est, quod etiam, si ex eadem materia aves et pisces sint conditi, tamen, sicut avis non potest in aqua vivere, ita pisces, si in aëre sint, durare non possunt. Ac medici recte disputant, carnem volucrum salubriorem esse quam sit piscium (quanquam volucres etiam sint aqueae naturae), quod in subtiliore aëre vivunt, cujus quasi faeces crassiores sunt aquae, in quibus pisces generantur et vivunt. Sed philosophi hoc non credunt. Nobis autem potior est fides sacrae scripturae, quae eandem originem utriusque naturae affirmat.

Pertinet igitur hoc quoque ad dignitatem hujus libri, qui tam varie Dei potentiam nobis ostendit, qua omnia creavit supra omnem rationem et intellectum. Quis enim cogitet, ex aqua produci posse naturam, quae aquam ferre plane non possit? Solum verbum dicit Deus, et statim ex aqua producuntur volucres. Verbum igitur si sonet, omnia possibilia sunt, ut ex aqua fiant vel pisces vel volucres. Quaelibet igitur avis, piscis quilibet sunt nihil nisi nomina divinae grammaticae, per quam grammaticam,

quae sunt impossibilia, fiunt facillima, et quae plane sunt pugnantia, fiunt simillima, et e contra.

Scribuntur autem haec, et debent cognosci diligenter, ut admirari discamus potentiam majestatis divinae; et aedificemus fidem nostram ex istis admirabilibus factis. Nihil est, etiam si quis mortuos excitare possit, ad hoc mirabile opus, quod ex aqua fit volucris. Sed ideo non admiramur ista, quia usu quotidiano amiserant admirationem. Si quis autem credit illa, et intuetur diligentius, is cogitur admirari, et admiratio paulatim fidem confirmat. Nam cum possit Deus ex aqua coelum producere et stellas, quarum singulae terram magnitudine aut adquant, aut superant; item, cum possit ex guttula aquae condere solem et lunam: an non posset etiam corpus meum aut contra hostes et Satanam defendere, aut postquam in sepulchrum positum est, ad novam vitam resuscitare? Ergo Dei potentia hic est cognoscenda, ut plane nihil dubitemus de iis, quae Deus promittit in verbo suo. Hic enim plena confirmatio omnium promissionum posita est, quod nihil ait tam difficile aut impossibile sit, quod non possit suo verbo conficere, sicut comprobant id coelum, terra, mare, et quicquid in eis est.

Sed hic quoque attingendum est, quod sancti Patres et Augustinus praecipue observarunt, quod Moses his tribus verbis utitur: „Deus dixit, fecit, vidit," quasi hoc modo tres divinae majestatis personas voluerit ostendere. Verbo dicit, significatur Pater; ille generat verbum in aeternum, et in tempore constituit per illud verbum hunc mundum. Ideo accommodarunt Filii personae verbum fecit; Filius enim in se habet exemplar non solum majestatis divinae,

sed etiam exemplar omnium rerum creatarum. Ideo dat esse rebus, et sicut a Patre res dicuntur, ita per Filium, et verbum illud Patris res omnes subsistunt. Adjungitur autem his tertia persona Spiritus sancti, qui res creatas videt et probat.

Haec dicuntur per pulchram et aptam attributionem ad articulum trinitatis clarius intelligendum. Nam ea unica causa fuit, cur haec adminicula a sanctis Patribus religiose excogitarentur, ut aliquo modo comprehendi res per se incomprehensibilis posset. Quare non reprobo istas cogitationes, cum et analogae sint fidei, ac commodae et utiles ad confirmandam et docendam fidem.

Ad hunc modum D. Hilarius distinguit aliis attributis. Aeternitas est in Patre, species in imagine, usus in munere. Dicit, Spiritum sanctum esse donum in usu, quod dat usum rerum, ne pereant, et gubernat res ac conservat. Sic dicunt: Pater est mens, Filius intellectus, Spiritus sanctus voluntas, non, quod Pater sit sine intellectu, aut Filius sine voluntate, sed sunt attributa, hoc est, dicta, quae distincta non tribuuntur singulis personis, sed diversis, non, quod Pater sit sine sapientia, sed quod nobis ista ita pingimus ad retinendum et explicandum articulum trinitatis.

Ergo, quando textus dicit: „Et vidit Deus, quod esset valde bonum“, significat ipsam conservationem, quia creatura non posset stare, nisi Spiritus sanctus diligeret eam, et ista complacentia Dei in suo opere conservaret opus. Neque enim Deus ita creavit res, ut creatas deserat, sed amat eas et approbat. Igitur simul est, agitat, movet, et conservat singula pro suo modo. Hoc existimavi brevibus attingendum. Digr

nae enim sunt cognitu tam piae cogitationes eorun qui nos praecesserunt in eodem stadio, in quo nc currimus.

Quod Hieronymus vertit „Reptile animae viver tis," Ebraeis est נפש, et significat animam, seu v vum quiddam. Appellat autem hoc nomine pisce De volucribus notum est: sunt ceu ἀμφίβιοι, quo in terra et in aëre vivunt.

Creavitque Deus cete grandia.

Potest hic quaeri, cur tantum cete nominatin appellet, sicut fere tantum majorum piscium scriptu ra meminit? Notus est Leviathan et Dracones i Hiob et aliis locis scripturae. Certum autem est, si appellari balaenas, orcas, et alios grandiores pisces quorum alii quasi alas habent additas, ut delphinus qui ceu rex ponti est, non quod magnitudine superet nam neque aquila, avium rex, nec leo, quadrupedum magnitudine excellunt.

Credo autem rationem hujus esse, ut sciremus tam magna corpora esse opera Dei, ne territi mag nitudine crederemus, ea spectra esse. Et facilis po stea est conjectura, cum tam magna corpora a Dec creata sint: etiam minores pisces, ut sunt corvi, au ratae, lucii et alii, esse a Deo creatos. Qui volet, le gat caput quadragesimum primum Hiob. Ibi sati cernitur, quomodo Spiritus sanctus per illum poë tam laudarit mirabile monstrum Leviathan, cujus tan tum robur et fiducia tanta est, ut etiam sagittas con temnat. Hujusmodi descriptiones aperiunt nostros ocu los, et fidem erigunt, ut facilius Deo credamus, quod nos quoque servare possit, quanquam longe simus minores.

Quae-

Quaeritur etiam hic de muribus et gliribus, unde nascantur, et quomodo? Si quidem usu comperimus, ne naves quidem, quae perpetuo in mari natant, a muribus esse tutas: sic nulla domus ita potest perpurgari, quin mures generentur. Sic quaeri etiam potest de generatione muscarum: item, quo aves abeant tempore autumni?

Sed de muribus Aristoteles sic disputat, quaedam animalia esse ὁμοιογενῆ, quaedam ἑτερογενῆ; sicut mures sunt ex genere ἑτερογενέων, quia mures non nascuntur ex muribus tantum, sed etiam ex putredine, quae consumitur, et paulatim in murem vertitur.

Si quaeras, qua virtute ista fiat generatio? respondet Aristoteles, foveri humorem istum putrefactum calore solis, ac sic produci vivum animal, sicut videmus scarabeos generari ex equino stercore. Sed an haec sufficiens ratio sit, dubito. Sol enim calefacit, nec generaret quicquam, nisi Deus diceret divina virtute: Veniat mus ex putredine. Ergo mus quoque est divina creatura, et, ut ego judico, aqueae naturae ac quasi terrestris volucris; alioqui haberet monstrosam formam, nec conservaretur species. Habet autem formam pulcherrimam pro suo genere, pedes ita bellos, et ita comptos pilos, ut appareat, certa ratione per Dei verbum creari. Igitur admiramur hic quoque Dei creaturam et opus. Atque idem de muscis dici potest.

De avibus sane nescio; nam non est verisimile, ire eas in partes magis ad austrum positas, si quidem hoc miraculum de hirundinibus usu notum est, quod hirundines in aquis per hiemem mortuae jacent, et sub aestatem reviviscunt. Quod sane magnum nostrae

resurrectionis argumentum est. Quare existimo, conservari eas vel in arboribus vel aquis. Sunt enim ista opera divinae majestatis plane admirabilia, quare videmus ea, et tamen non intelligimus. Existimo autem, etiam si intercidat nonnunquam species aliqua (quod tamen an fieri possit, dubito), tamen eam a Deo restitui.

Pertinent igitur ad creationem quinti diei omnia repentia, serpentia et volantia, et quoquo alio modo vel in aëre vel aqua se moventia.

Et vidit Deus, quod esset bonum, ac benedixit eis.

Quare non est usus Deus verbo benedicendi etiam ad illa corpora inanimata? Ibi tantum dixit, sibi placere illa, non etiam benedixit eis. Cum autem ad vivorum corporum generationem ventum est, ibi instituit novum modum crescendi et augendi. Sol igitur et stellae non generant, sicut videmus, ex se similia corpora. Herbae autem et arbores benedictionem hanc habent, ut crescant, et fructus ferant. Sed nihil est simile ad hanc praesentem vivorum corporum benedictionem.

Igitur Mose verbo benedicendi separat corpora supra creata a vivis corporibus creatis quinto die, quia hic novus generationis modus est. Nam ex vivo corpore fiunt proles separatae, quae etiam vivunt. Hoc certe non fit in arboribus, neque in herbis; nisi enim rursus serantur, fructum non ferunt, nec semen simpliciter ex semine nascitur, sed ex herba. Hic autem fit generatio ex corpore vivo in vivum corpus. Hoc igitur novum*) opus est, ut crescat et multipli-

*) Edit. princ. nouum.

cetur corpus animale ex suo corpore. Quod pirus producit, non est pirus, sed est pirum. Sed hic, quod avis producit, est avis, et quod piscis producit, est piscis. Ac sane mirabilis et numerosa multiplicatio est utriusque speciei ac infinita fecunditas, maxime autem in marinis et aquaticis.

Quae igitur hujus admirabilis generationis est causa? Gallina parit ovum, id fovet, donec vivum corpus in ovo fiat, quod postea mater excludit. Philosophi allegant causam, fieri ista sole operante et natura. Concedo hoc. Sed theologi magis proprie loquuntur, fieri illa operante verbo, quod hic dicitur: „Benedixit eis, et dixit: Crescite et multiplicamini". Hoc verbum gallinae et omnibus animantibus in ipso corpore praesens est, et calor, quo fovet ova gallina, est ex verbo divino; quia, si absque verbo esset, calor ille esset inutilis et inefficax.

Ergo propter istam admirabilem creationem addit Deus etiam benedictionem, ut sint ista corpora fructifera. Atque hic cernitur, quid proprie sit benedictio, nempe multiplicatio. Nos quando benedicimus, nihil facimus, nisi quod bene precamur; hoc autem, quod precamur, non possumus praestare. Sed Dei benedictio sonat in multiplicationem, et statim est efficax, sicut e contra maledictio est diminutio, quae etiam est efficax.

Hic igitur iterum observanda est phrasis Mosi. Quod enim benedictionem vocat, philosophi vocant fecunditatem, cum scilicet corpora integra et viva a corporibus integris et vivis producuntur, cujus nihil simile est in arboribus; neque enim arbor generat simile sibi, sed semen generat etc. Magnum hoc miraculum est, sed sicut caetera ita hoc quoque usu viluit.

Sed hic quaeritur de nocentibus vel vermibus vel bestiolis, sicut sunt bufones, muscae, papiliones in quibus admirabilis est fecunditas, et fere accidit ut, quanto quaeque est nocentior, tanto etiam sit fecundior. Sed rejicienda est haec quaestio in tertium caput. Ego enim credo, eo tempore istas molestas et noxias creaturas nondum exstitisse. Sed postea in poenam peccati ex maledicta terra esse procreatas, ut nos affligerent et cogerent ad invocandum Deum. Sed haec alias.

Iam igitur habemus, quae quinto die viva corpora sint creata. Videmus autem, verbum hujus diei adhuc esse efficax, quod simpliciter ex ipsa aqua generantur pisces. Nam piscinae et lacus gignunt pisces, sicut videmus, lucios in piscinis natos, in quibus antea nulli fuerunt. Nam mihi non fit verisimile, quod nugantur, pisces ab avibus captos, cum in aëre vehuntur, ex sublimi semen in piscinas et lacus demittere, id postea in aquis concrescere. Haec autem sola et vera causa est, quod jubetur hic aqua producere pisces. Hoc verbum adhuc est efficax, et operatur ista.

Dies sextus.

Et dixit Deus: Producat terra animam viventem in genere suo etc.

Habemus jam coelum cum suis exercitibus, sole, luna, stellis; item mare cum piscibus et volucribus; sicut enim pisces in aqua natant, ita quasi natant aves in aëre. Terrae quoque addita sunt ornamenta fructuum, arborum, herbarum, etc. Iam priusquam in hanc quasi domum introducatur homo, adduntur bestiae terrestres, jumenta et reptilia, post quae etiam

homo creatur. Neque enim est natus, ut volaret cum avibus, aut cum piscibus nataret, sed habet communem naturam, quod ad hanc partem attinet, cum aliis animantibus, ut vivat super terram. Nam navium usus artificialis est, ubi homo pisces et aves imitari nititur; nam utrunque facit navis, volat in aëre, et natat in aqua. Nos autem hic de naturalibus, non de artificialibus loquimur.

Ebraei appellationum discrimen faciunt: בְהֵמָה vocant, quae nos jumenta, item minores bestias silvestres, ut sunt cervi, capreae, lepores, et si quae utuntur communi cibo nobiscum, et vescuntur herbis ac fructibus arborum. חַיְתוֹ־אֶרֶץ autem (quod recte vertitur bestiae terrae) dicunt esse carnivoras bestias, ut sunt lupi, leones, ursi. Sed an haec constans differentia sit, nescio; mihi quidem non videtur ubique observari. Hoc tamen certum est, Mosen hic comprehendere voluisse omnia animalia terrestria, sive carnibus, sive herbis vescerentur. Horum omnium matrem dicit esse terram, quae eas ex se per verbum produxit, sicut mare pisces.

Audivimus autem supra, Deum ad aquam dixisse: „Moveatur aqua etc." ut isto motu suo impleretur mare piscibus, et aër volucribus, ac postea primum additam generationem. Hic de animalibus terrestribus alio verbo utitur, et dicit: „Producat terra", non dicit: „Moveatur". Est enim terra corpus quiescens. Ideo in quarto die etiam dixit: „Herbificet terra"; vult enim, ut sine motu emittat animalia et herbas.

An autem ista animalia similitudine hominis ex gleba sunt formata, an eruperint subito, etsi nihil definiat scriptura, tamen quia formationem hominis singulari consilio celebrat Moses, sentio exstitisse ani-

malia terrae, sicut pisces subito natos in mari. Quod autem hic non addit benedictionem, patet. Infra enim una cum homine ea complectitur, et nunc satis fuit dicere: „Vidit Deus, et erat valde bonum". Sed accedamus jam ad ultimum et pulcherrimum opus Dei, ad hominis creationem.

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

Hic iterum nova phrasi Moses utitur. Non dicit: Mare agitetur, herbescat, aut producat terra, sed faciamus. Ergo includit manifestam deliberationem et consilium, cujus nihil simile fecit in prioribus creaturis. Ibi enim sine deliberatione et consilio dixit: „Agitetur mare, producat terra" etc. Hic autem Deus se ad consilium vocat, et indicit quasi deliberationem, cum hominem creare vellet.

Primum igitur significatur hic insignis differentia hominis ab omnibus aliis creaturis. Magnam similitudinem cum homine habent bestiae; simul habitant, simul aluntur, simul comedunt, et iisdem vescuntur, dormiunt et quiescunt apud nos. Si igitur conversationem, victum, et alimoniam consideres, magna est similitudo.

Sed insignem differentiam inter ista animalia et hominem Moses hic ostendit, cum dicit, singulari Dei consilio et providentia hominem esse conditum. Ac significat, hominem esse creaturam longe excellentem reliqua animalia, quae vivunt corporalem vitam, praesertim cum adhuc natura esset incorrupta. Epicurus sentit, hominem tantum procreatum ad edendum et bibendum. Hoc autem est hominem non separare ab aliis bestiis, quae etiam suas voluptates

habent et sequuntur. Textus autem hic potenter separat hominem, cum dicit, Deum certo consilio de homine faciendo cogitasse; nec id solum, sed de homine faciendo ad imaginem Dei. Haec imago longe aliud est, quam cura ventris, cibus et potus, quae bestiae etiam intelligunt et appetunt.

Mose igitur spiritualibus significat, nos ad excellentiorem vitam esse conditos, quam haec corporalis esset futura in natura etiam integra. Bene autem dicunt doctores, si Adam non esset lapsus per peccatum, tum finito certo numero sanctorum ab animali vita ad spiritualem vitam Deum translaturum fuisse. Nam Adam non erat sine cibo, potu, et generatione victurus; cessassent autem ista corporalia praefinito tempore post impletum numerum sanctorum, et Adam cum posteritate sua esset translatus ad aeternam et spiritualem vitam. Ista autem opera corporalis vitae, edere, bibere, procreare etc. fuissent quaedam servitus Deo grata, quam etiam Deo sine vitio concupiscentiae, quae nunc post peccatum est, praestitissemus sine omni peccato et sine metu mortis. Haec profecto jucunda et suavis fuisset vita, de qua cogitare quidem licet, assequi autem in hac vita eam non licet. Hoc tamen habemus, quod spiritualem vitam, et finem vitae in paradiso cogitatum et destinatum a Deo post hanc vitam credimus, et certo exspectamus per meritum Christi.

Observandus igitur est praesens textus, quo ita magnifice ornat et ab omnibus aliis creaturis separat Spiritus sanctus humanam naturam. Corporalis quidem seu animalis vita similis erat futura bestiarum vitae. Nam sicut bestiae cibo, potu, quiete indigent ad reficienda corpora, ita Adam quoque in innocen-

tie hic usurus erat. Sed quod additur, conditum esse hominem, ita in animalem vitam, ut esset tamen factus ad imaginem Dei et similitudinem, haec est significatio alterius et melioris vitae, quam animalis.

Habuit igitur Adam duplicem vitam, animalem et immortalem, sed nondum revelatam plane, sed in spe. Interim edisset, bibisset, laborasset, generasset etc. Haec paucis admonere volui de differentia ista, quam Deus facit per suum consilium, quo discernit nos ab aliis animalibus, cum quibus nos sinit vivere. Infra repetemus haec pluribus.

Secundo verbum „faciamus" pertinet ad mysterium fidei nostrae confirmandum, qua credimus ab aeterno unum Deum, et distinctas tres personas in una divinitate, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Iudaei quidem varie conantur hunc locum eludere, sed nihil solide contra afferunt. Molestat enim eos hic locus usque ad mortem, ut utar verbo Occae, qui ita appellat molestas et taediosas rationes, quas non potest solvere.

Dicunt autem Iudaei, Deum sic loqui cum Angelis; item cum terra et aliis creaturis. Sed quaero ego, cur id non antea quoque fecit? secundo, quid pertinet ad Angelos hominum creatio? tertio non nominat Angelos, sed simpliciter „nos" dicit. Igitur de factoribus et creatoribus loquitur. Hoc certe non potest dici de Angelis. Quarto etiam hoc certum est, nullo modo dici posse nos ad Angelorum imaginem creatos esse. Quinto, utrunque hic ponitur „faciamus et fecit", in plurali et singulari, ideo clare et potenter significat nobis Moses, intus et in ipsa divinitate et creatrice essentia inseparabilem et aeternam

pluralitatem esse. Hoc ne portae quidem inferorum nobis adiment.

Deinde, quod de terra Iudaei dicunt, Deum cum terra loqui, etiam frivolum est; terra enim non est factrix nostra. Deinde cur non potius ad solem loqueretur, cum Aristoteles dicat: Homo et sol generant hominem. Sed ne hoc quidem convenit, quia non sumus facti ad imaginem terrae, sed sumus facti ad illorum factorum imaginem, qui dicunt „faciamus“. Hi factores sunt tres distinctae personae in una divina essentia. Harum trium personarum nos sumus imago, sicut post audiemus.

Hoc autem extreme ridiculum est, quod Iudaei dicunt, Deum sequi principum consuetudinem, qui reverentiae causa de se in plurali numero loquuntur. Sed hanc cancellariam (ut sic dicam) Spiritus sanctus non imitatur, nec agnoscit scriptura sancta hunc loquendi modum. Quare est hic certo significata Trinitas, quod in una essentia divina sunt tres personae, Pater, Filius et Spiritus sanctus, ita ut ne active quidem Deus separetur, quia omnes tres personae hic concurrunt, et dicunt, „faciamus“. Nec Pater facit alium hominem, quam Filius, nec Filius alium quam Spiritus sanctus, sed Pater, Filius, Spiritus sanctus, unus et idem Deus, auctor et creator est ejusdem operis.

Ad hunc modum neque objective Deus potest separari; neque enim Pater cognoscitur, nisi in Filio, et per Spiritum sanctum. Quare sicut active, ita quoque objective unus Deus est, qui tamen intra se substantive seu essentialiter est Pater, Filius, Spiritus sanctus, tres distinctae personae in una divinitate.

Haec testimonia debent nobis cara esse et grat[i]. Etsi enim tum Iudaei, tum Turcae nos rident, quo[d] sentimus unum Deum et tres personas esse, tame[n] nisi scripturae auctoritatem impudenter negare volen[t], cogentur hoc loco, sicut etiam superius citatis, no[-] stram sententiam sequi. Eludere possunt haec, sicu[t] Iudaei studiose faciunt, sed interim manet in eoru[m] cordibus ille aculeus, cur dicat „faciamus"; item cur Moses utatur plurali nomine אֱלֹהִים. Has co[-] gitationes non possunt excludere ex animo, etsi va[-] ria conari et quaerere possunt. Si autem sapienti[a] esset, talia testimonia eludere, num nobis ingeniu[m] deesse putas, ut non possimus eadem facere? Se[d] major apud nos est scripturae auctoritas, praesertim cum novum testamentum id clarius ostendat, et Fi[-] lius, qui in sinu Patris est, nos eadem doceat mult[o] clarius, cui non credere summa blasphemia et aeter[-] na mors est. Quare valeant isti excaecati depravato[-] res divinorum dogmatum usque ad suum judicium.

Sed, inquies, ista sunt obscuriora, quam ut per ea probari debeat tam magnus articulus fidei. Respondeo: Oportuit eo tempore ista ita obscure dici divino consilio, vel saltem ob hanc causam, quia omnia erant reposita in illum futurum Dominum, ad cujus adventum restitutio omnium reservabatur, omnis cognitionis et omnium revelationum. Quae igitur antea per aenigmata quasi erant proposita, ea Christus evolvit, et clare jussit praedicari. Et tamen sancti Patres hanc cognitionem per Spiritum sanctum habuerunt, quanquam non ita clare, ut nunc, cum audimus in novo testamento nominari Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Veniente enim Christo oportuit illa signacula solvi et clare praedicari, quae ob-

scuris verbis antea erant tradita, tantum propter reverentiam futuri magistri. Ac nisi Spiritus sanctus hanc cognitionem claram distulisset in novum testamentum, longe ante Christum natum exstitissent Ariani. Quare ultimis temporibus voluit Spiritus sanctus hanc solem cognitionis Diabolo objicere, ut praestringerentur ejus oculi, et ipse magis invideret hanc tam claram cognitionem hominibus, atque ita vehementius torqueretur.

Tertio agitatur hic quasi mare quaestionum, quid sit imago illa Dei, ad quam Moses hominem dicit factum esse? Ac Augustinus in hoc loco explicando multus est, praesertim in libro de Trinitate. Doctores autem reliqui fere Augustinum sequuntur, qui Aristotelis divisionem retinet, quod imago Dei sint potentiae animae, memoria, mens vel intellectus, et voluntas; in his tribus dicunt consistere imaginem Dei, quae in omnibus hominibus est. Sicut enim in divinis, inquiunt, verbum nascitur ex substantia Patris, et Spiritus sanctus est complacentia patris: ita in homine ex memoria procedit verbum cordis, quod est mens; eo producto, prodit voluntas, quae videt mentem, et ea delectatur.

Similitudinem autem dicunt esse in donis gratuitis; sicut enim similitudo est quaedam perfectio imaginis, ita dicunt, naturam perfici per gratiam. Itaque similitudo Dei est, quod memoria ornatur spe, intellectus fide, et voluntas caritate. Ad hunc modum, inquiunt, homo est creatus ad imaginem Dei, hoc est, homo habet mentem, memoriam et voluntatem. Item, homo est creatus ad similitudinem Dei, hoc est, intellectus est illuminatus fide, memoria confirmata spe ac constantia, et voluntas ornata caritate.

Tertio faciunt etiam alias divisiones; memoriam esse imaginem potentiae Dei, mentem sapientiae, et voluntatem justitiae, etc. Ad hunc modum Augustinus praecipue, et post eum alii eo incubuerunt, ut diversas trinitates in homine excogitarent; putaverunt enim hoc modo imaginem Dei facilius posse conspici. Sicut autem has non injucundae speculationes arguunt acuta et otiosa ingenia, ita minime faciunt ad imaginem Dei recte explicandam.

Quare etsi istam diligentiam et cogitationes has non damno nec reprobo, quibus omnia rediguntur ad trinitatem, tamen haud scio, an sint valde utiles, praesertim cum ea postea longius ducantur. Nam huc quoque affertur disputatio de libero arbitrio, quae ex imagine ista nascitur. Ita enim dicunt: Deus est liber; ergo cum homo ad imaginem Dei sit conditus, habet etiam liberam memoriam, mentem et voluntatem. Ad hunc modum multa excidunt, quae aut improprie dicuntur, aut postea impie accipiuntur. Ita nata est hinc periculosa sententia, qua pronuntiant, Deum ita gubernare homines, ut eos proprio motu sinat agere. Ex hoc dicto multae incommodae opiniones enatae sunt. Simile est, quod citatur: Deus, qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. Hinc conclusum est, liberum arbitrium concurrere tanquam causam praecedentem, et efficientem salutis. Non dissimile est Dionysii dictum, periculosius superioribus, ubi dicit: Quanquam daemones et homo ceciderunt, inquit, tamen naturalia manserunt integra, ut sunt mens, memoria, voluntas etc. Sed si hoc verum est, sequitur, quod homo viribus naturae possit facere, ut salvus fiat.

Hae tam periculosae Patrum sententiae in om-

nibus ecclesiis et scholis agitatae sunt, neque sane video, quid Patres voluerint per eas efficere. Quare consulo, ut cum judicio legantur. Saepe loquuntur ex affectu et proprio sensu, quem nos non habemus, nec habere possumus, cum occasiones similes non habeamus. Imperiti igitur sine judicio omnia arripiunt in suo sensu, et non in eo, quem Patres habuerunt. Sed omitto haec, et ad rem venio.

Vereor autem, ne, postquam haec imago per peccatum amissa est, non satis eam possimus intelligere. Memoriam, voluntatem et mentem habemus quidem; *sed* corruptissima et gravissime debilitata, imo, ut clarius dicam, prorsus leprosa et immunda. Si enim istae potentiae sunt imago Dei, sequetur etiam, Satanam ad imaginem Dei conditum esse, qui profecto illa naturalia longe habet validiora, quam nos habemus, sicut est memoria et intellectus summus, et voluntas obstinatissima.

Ergo est imago Dei longe aliud, nempe opus Dei singulare. Si qui tamen contendunt, has potentias esse imaginem istam, fateantur, eas quasi leprosas et immundas esse. Sicut leprosum hominem tamen hominem appellamus, quanquam in carne leprosi omnia paene mortua sunt et stupent, nisi quod ad libidinem commoventur vehementius.

Quare imago Dei, ad quam Adam fuit conditus, fuit res longe praestantissima et nobilissima, cum scilicet nulla lepra peccati neque in ratione, neque voluntate haesit. Sed et interiores et exteriores sensus omnes fuere mundissimi. Intellectus fuit purissimus, memoria optima, et voluntas sincerissima in pulcherrima securitate, sine omni metu mortis, et sine sollicitudine ulla. Ad haec interiora accessit etiam

illa corporis et omnium membrorum pulcherrima et excellentissima virtus, qua omnes reliquas naturas animatas vicit. Plane enim existimo, ante peccatum Adae oculos ita fuisse acutos et claros, ut lyncem et aquilam superaret. Leones autem et ursos, quorum maximum robur est, ipse fortior tractavit non aliter, quam nos catulos tractamus. Fructuum quoque, quibus usus est cibo, longe major fuit tum suavitas, tum virtus, quam nunc.

Sed post lapsum irrepsit mors, tanquam lepra, in omnes sensus, ita ut ne intellectu quidem imaginem istam possimus assequi. Adam non cognovisset suam Hevam, nisi securissimo animo erga Deum, et voluntate obediente Deo, sine omni vitiosa cogitatione. Nunc post peccatum norunt omnes, quantus sit furor in carne; quae non solum furiosa est in concupiscendo, sed etiam in fastidiendo, postquam nacta est, quod voluit. Utrinque igitur nec ratio nec voluntas integra cernitur, sed furor plus quam belluinus. Haec an non gravis et noxia lepra est, qua Adam caruit ante peccatum? Praeterquam quod habuit majores vires et acriores sensus, quam reliqua animantia. Apri quantum hodie auditu, aquilae quantum visu, leo quantum viribus hominem antecellit? Quare nemo cogitare potest, quanto melior natura tum fuerit, quam nunc est.

Ergo imaginem Dei sic intelligo, quod Adam eam in sua substantia habuerit, quod non solum Deum cognovit, et credidit, eum esse bonum, sed quod etiam vitam vixerit plane divinam, hoc est, quod fuerit sine pavore mortis et omnium periculorum, contentus gratia Dei. Sicut in Heva apparet, quae cum serpente sine omni metu loquitur, sicut nos cum

agno aut cane. Ideo etiam istam poenam proposuit Deus, si transgrediantur praeceptum: „Quacunque die comederis ex ligno hoc, morte morieris", quasi dicat: Adam et Heva, vos nunc vivitis securi, mortem non sentitis, nec videtis. Haec est imago mea, qua vivitis, sicut Deus vivit. Si autem peccaveritis, amittetis hanc imaginem, et moriemini.

Nunc igitur videmus, quanta pericula, quot mortes et mortis occasiones misera haec natura cogatur experiri et sustinere praeter foedam concupiscentiam et alios furores peccati ac inordinatos motus, qui in omnium animis fiunt. Nunquam sumus securi in Deo, terror et pavor etiam in somnia nos exercent. Haec et similia mala sunt imago Diaboli, qui ea nobis impressit. Adam autem in summa voluptate et securitate vixit; non ignem, non aquam metuit, non metuit alia incommoda, quibus haec vita infestatur, et nos nimium metuimus.

Extenuent igitur peccatum originis, qui volent; profecto apparet tum in peccatis, tum in poenis, longe esse maximum. Inspice solam libidinem, an non est vastissima tum concupiscendo, tum fastidiendo? Quid autem de odio erga Deum et blasphemiis dicemus? Hi enim sunt lapsus illi insignes, qui vere arguunt, imaginem Dei amissam esse.

Ergo cum de imagine illa loquimur, loquimur de re incognita, quam non solum non sumus experti, sed perpetuo contraria experimur, et nihil praeter nuda vocabula audimus. Fuit enim in Adam ratio illuminata, vera notitia Dei, et voluntas rectissima ad diligendum Deum et proximum, sicut Adam Hevam suam complexus est, et statim agnovit ut suam carnem. Ad haec accesserunt alia leviora, sed longe

maxima, si cum nostra infirmitate conferas, nempe cognitio naturae perfecta, animalium, herbarum, fructuum, arborum et aliarum creaturarum.

Haec omnia simul conjuncta an non talem virum constituunt et faciunt, in quo imaginem Dei relucere sentias? maxime cum addas etiam imperium in creaturas, ut sicut Adam et Heva Deum agnoverunt Dominum, ita postea ipsi reliquis creaturis in aëre, aqua, terra dominati sunt. Hanc majestatem quis poterit verbis assequi? Nam ego credo, Adam ita potuisse uno verbo imperare leoni, sicut nos imperamus assuefacto cani. Ac liberum ei fuit terram colere ad proferenda ea, quae vellet. Nam spinas et tribulos tum non fuisse, sequentia probabunt, sicut neque bestias tam immanes tum fuisse puto, ut nunc sunt.

Sed peccati originalis ista culpa est, quo vitium contraxit tota reliqua creatura, ut solem ante peccatum clariorem, aquam puriorem, arbores fertiliores, agros fecundiores esse existimem. Per peccatum autem et illum horribilem lapsum non solum caro lepra peccati deformata est, sed omnia, quibus haec vita utitur, corrupta sunt, sicut infra clarius dicemus.

Hoc autem nunc per evangelium agitur, ut imago illa reparetur. Manserunt quidem intellectus et voluntas, sed valde vitiata utraque. Evangelium igitur hoc agit, ut ad illam et quidem meliorem imaginem reformemur, qua*) in vitam aeternam, vel potius in spem vitae aeternae renascimur per fidem, ut vivamus in Deo et cum Deo, et unum cum ipso simus, sicut Christus dicit.

Neque

*) Edit. princ. quia.

Neque vero ad vitam solum renascimur, sed etiam ad justitiam, quia fides arripit meritum Christi, et statuit, nos per Christi mortem liberatos esse. Inde alia justitia nostra oritur, nempe illa vitae novitas, qua studemus obtemperare Deo, edocti verbo, et adjuti per Spiritum sanctum. Sed haec justitia in hac vita incipitur tantum, neque potest in hac carne esse perfecta. Placet autem Deo, non tanquam perfecta justitia, aut tanquam pretium pro peccatis, sed quia proficiscitur ex corde, quod nititur fiducia misericordiae Dei per Christum. Deinde hoc quoque fit per evangelium, ut conferatur nobis Spiritus sanctus, qui resistit in nobis incredulitati, invidiae et aliis vitiis, ut serio optemus ornare nomen Domini et verbum ejus etc.

Ad hunc modum incipit imago ista novae creaturae reparari per evangelium in hac vita, sed non perficitur in hac vita; cum autem perficietur in regno Patris, tunc erit voluntas vere libera et bona, mens vere erit illuminata, et memoria constans, tunc fiet etiam, ut omnes creaturae aliae magis nobis sint subjectae, quam in Paradiso Adae fuerunt.

Antequam hoc in nobis compleatur, non possumus satis scire, quid illa imago Dei, per peccatum in Paradiso amissa, fuerit. Hoc autem, quod dicimus, fides et verbum docent, quae tanquam ex longinquo ostendunt illam gloriam divinae imaginis. Sicut autem coelum et terra initio quasi rudia corpora fuerunt, priusquam lux esset addita, itapii illam imaginem rudem intra se habent, quam Deus perficiet in novissimo die in iis, qui verbo crediderunt.

Ergo fuit praestantissimum quiddam illa imago Dei, in quam inclusa fuit vita aeterna et securitas

aeterna et omnia bona: ita autem per peccatum haec imago obscurata et vitiata est, ut eam ne quidem intellectu possimus assequi. Nam etsi vocabula sonamus, quis est, qui possit intelligere, quid sit esse in vita secura sine pavoribus et periculis, sapientem, rectum, bonum, et liberum ab omnibus calamitatibus tum spiritualibus tam corporalibus? His autem majus fuit, quam etiam aeternae vitae fuit capax. Nam ita fuit conditus, ut, quam diu in hac corporali vita viveret, terram coleret, non tanquam opus molestum faciens, aut labore defatigans corpus, sed cum summa voluptate, non tempus fallens, sed Deo obediens, et ejus voluntati parens.

Hanc corporalem vitam exceptura erat spiritualis vita, in qua nec uteretur cibis corporalibus, nec alia, quae in hac vita solent, faceret, sed viveret angelicam et spiritualem vitam. Nam ita pingitur nobis futura vita in scriptura sancta, quod nec bibemus, nec comedemus, neque alias corporales actiones exercebimus. Ideo Paulus dicit (1. Cor. 15, 45.): „Primus homo factus est in animam viventem", hoc est, vivit vitam animalem, quae indiget cibo, potu, somno etc. Sed „secundus renovabitur in spiritum vivificantem", hoc est, erit spiritualis homo, ubi redibit ad imaginem Dei; erit enim similis Deo in vita, justitia, sanctitate, sapientia etc. Nunc sequitur:

Dominetur piscibus maris etc.

Hic pulcherrimae creaturae, quae cognoscit Deum, et est imago Dei, in qua lucet similitudo divinae naturae per rationem illuminatam, per justitiam et sapientiam tribuitur regnum, et fiunt Adam et Heva rectores terrae, maris et aëris. Committitur autem

eis hoc dominium non solum consilio, sed etiam expresso mandato. Ubi primum exclusivam hanc diligenter consideremus, quod nulli bestiae dicitur ut dominetur, sed simpliciter omnia animalia, imo terra cum omnibus terra nascentibus subjicitur Adae, quem Deus vocali mandato et expresso constituit regem super totam creaturam animalem. Nam ista verba auribus audierunt Adam et Heva, cum diceret Deus: „Dominamini". Ergo nudus homo sine armis et muris, imo etiam sine vestitu omni in sola sua nuda carne dominatus est omnibus volucribus, feris et piscibus.

Hanc imaginis divinae particulam etiam amisimus, ita ut ne intelligamus quidem illam plenitudinem laetitiae et voluptatis, quam ex totius creaturae animalis inspectione Adam habuit. Sed omnia leprosa, imo stupida et plane mortua hodie sunt. Quis enim potest cogitare istam quasi portionem divinae naturae, quod Adam et Heva omnes omnium animalium affectus, sensus, et vires omnes intellexerunt? Quale enim regnum fuisset, nisi hoc scivissent? Atque in sanctis in hac vita aliqua Dei cognitio ex verbo et Spiritu sancto cernitur. Sed illa naturae cognitio, ut omnes vires arborum, herbarum, naturas omnes bestiarum perspiciamus, haec in hac vita plane est irreparabilis.

Si igitur volumus praedicare insignem philosophum, praedicemus primos nostros parentes, cum adhuc essent a peccato puri. Hi enim cognitionem Dei perfectissimam habuerunt; quomodo enim nescirent eum, cujus similitudinem in se habebant et sentiebant? Deinde etiam stellarum et totius astronomiae rationem certissimam habuerunt.

Haec fuerunt in Heva aeque atque in Adamo, sicut ostendit oratio Hevae, cum serpenti respondet de ligno in medio Paradisi. Ibi satis apparet, novisse eam suum finem, ad quem esset condita, et auctorem ostendit, per quem id sciat. Ait enim: „Dominus dixit". Igitur non ex solo Adamo haec audivit, sed ipsa natura adeo fuit pura et plena cognitione Dei, ut verbum Dei per se intelligeret et videret. Hujus cognitionis nos hebetes, et quasi emortuas reliquias habemus. Animalia autem caetera omnino hac cognitione carent, nesciunt creatorem, originem, et finem suum, unde et cur creata sint. Ergo prorsus carent illa similitudine Dei. Ideo Psalmus quoque hortatur (Ps. 32, 9.): „Nolite fieri sicut equus et mulus".

Etsi igitur imago ista paene tota sit amissa, tamen maxima est differentia hominis et caeterorum animalium. Tum autem ante peccatum longe major et illustrior fuit differentia, cum cognoscerent Adam et Heva Deum et omnes creaturas, et quasi absorpti essent toti in bonitate et justitia Dei. Hinc inter ipsos quoque insignis animorum et voluntatum conjunctio fuit. Nec alia species in toto mundo Adae suavior et venustior est visa, quam Heva sua. Nunc uxor est, sicut gentes dicunt, necessarium malum. Ac cur malum vocent, satis manifeste cernitur, sed caussam mali nesciunt, Satanam scilicet, qui hanc naturam sic depravavit et corrupit.

Quae autem efficimus in vita, ea non fiunt per dominium, quod Adam habuit, sed per industriam et artem. Sicut videmus, dolo et fraude capi aves et pisces; sic arte cicurantur bestiae. Nam quae maxime domestica sunt, ut anseres, gallinae, tamen per se et

sua natura fera sunt. Ergo leprosum hoc corpus habet adhuc Dei beneficio speciem aliquam dominii in alias creaturas. Sed id perexiguum est, et longe inferius illo primo dominio, ubi non arte, non dolis opus fuit, sed simpliciter divinae voci paruit creatura, cum juberentur Adam et Heva dominari eis.

Ergo nomen et vocabulum dominii retinemus ceu nudum titulum; ipsa autem res fere tota amissa est. Et tamen bonum est ista scire et cogitare, ut suspiremus illum venturum diem, in quo haec nobis restituentur, quae in Paradiso per peccatum amisimus. Exspectamus enim eam vitam, quam exspectasset quoque Adam. Atque hoc recte miramur, et Deo ob id gratias agimus, quod nos peccato sic deformati, sic hebetes, stupidi et mortui quasi, per beneficium Christi exspectamus eandem gloriam vitae spiritualis, quam Adam exspectaturus erat, si mansisset in sua animali vita, quae imaginem Dei habebat.

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.

Hic non utitur vocabulo similitudinis, sed tantum imaginis. Forte autem voluit vitare ἀμφιβολίαν, et ideo repetivit nomen imaginis. Aliam causam repetitionis nullam video, nisi eam accipiamus pro emphasi, ut sit significatio creatoris gaudentis et triumphantis in isto pulcherrimo opere, quod fecit, ut significet Moses, Deum non sic delectatum in aliis creaturis, sicut in homine, quem ad suam similitudinem creavit. Cetera animalia dicuntur vestigia Dei, solus autem homo est imago Dei, sicut est in sententiis. Nam in ceteris creaturis cognoscitur Deus ceu in vestigio, in homine autem, praesertim in Adamo, vere

cognoscitur, quia in eo est sapientia illa, justitia et omnium rerum cognitio, ut recte dicatur μικρόκοσμος. Intelligit enim coelum, terram et totam creaturam. Hoc igitur delectat Deum, quod sic pulchram fecerit creaturam.

Sine dubio autem, sicut tum Deus oblectatus est in isto consilio et opere hominis creati, ita hodie quoque delectatur in restituendo hoc suo opere per Filium suum, et nostrum liberatorem Christum. Haec utile est cogitare, quod scilicet Deus optima de nobis cogitat, et delectatur in ista cogitatione et consilio suo de restitutione in spiritualem vitam per resurrectionem mortuorum, qui crediderunt in Christum.

Masculum et feminam creavit eos.

Ne videretur mulier excludi ab omni gloria futurae vitae, comprehendit Moses utrunque sexum; videtur enim mulier quoddam diversum esse animal a viro, quod et membra habet dissimilia, et ingenium longe infirmius. Ac quamvis Heva fuerit praestantissima creatura, similis Adae, quod ad imaginem Dei attinet, hoc est, ad justitiam, sapientiam et salutem, tamen fuit mulier. Sicut enim sol praestantior est luna, quanquam luna quoque sit praestantissimum corpus, ita mulier etsi esset pulcherrimum opus Dei, tamen non aequabat gloriam et dignitatem masculi.

Ideo autem conjungit hic Moses utrunque sexum, et dicit, Deum creasse masculum et feminam, ut significet Hevam quoque a Deo factam fuisse, consortem imaginis et similitudinis divinae, item imperii super omnia. Sic adhuc hodie est mulier consors futurae vitae, sicut Petrus dicit, quod sint cohaeredes ejusdem gratiae (1. Petr. 3, 7.). Et in oeconomia est

uxor dominii consors, et habet communem possessionem prolis, substantiae, et tamen magna differentia est sexus. Mas est ceu sol in coelo, femina velut luna, animalia sunt ceu stellae, quibus sol et luna dominantur. Ergo primum hoc ex sententia hac observemus, quod scripta sit, ne ille sexus excludatur ab omni gloria humanae naturae, quamvis inferior sit masculino sexu. De conjugio infra dicemus.

Secundo est hic argumentum contra Hilarium et alios, qui constituerunt, Deum omnia creasse simul. Confirmatur enim hic nostra sententia, quod isti sex dies fuerint vere sex dies naturales, quia hic dicit, quod Adam et Heva sint creati sexto die. Hunc textum non licet cavillari. De ordine autem creationis hominis dicet in sequenti capite, quod Heva aliquanto post Adamum non ex gleba terrae, sicut Adam, sed ex costa ejus sit facta, quam Deus ex latere dormientis Adae exemit. Haec omnia sunt temporalia opera, hoc est, quae tempus requirunt, nec simul uno momento facta sunt, sicut illa quoque, quod adducit Deus omne animal ad Adamum, et non invenitur simile ei etc. Haec sunt temporalia et gesta in sexto die, quae breviter per anticipationem Moses hic attingit, et postea explicabit latius.

Multi doctores hoc quoque putant, Adam in sexto die peccasse, et celebrant sextum diem duplici nomine, quod, sicut Adam sexto die peccavit, ita Christus quoque sexto die passus sit. Haec an vera sint, ipsi viderint. Hoc Moses manifeste dicit, hominem in sexto die creatum, et ei uxorem additam esse. Mihi, sicut infra dicam, similius vero videtur, quod Adam peccaverit septimo die, hoc est in Sabbato, sicut adhuc Sabbatum ecclesiae infestat Satan, cum do-

cetur verbum, sed ne hoc quidem ex Mose manifeste ostendi potest. Sunt igitur utrinque rationes contra rationes, sicut Caesar Maximilianus solebat dicere. Quare relinquo ista dubia, ita ut sint in uniuscuiusque arbitrio.

Lyra quoque recitat Judaicam fabulam, cujus in Platone etiam alicubi fit mentio, hominem principio creatum cum utroque sexu, et postea virtute divina quasi diffissum seu dissectum, sicut dorsi et spinae forma videntur testari. Haec alii obscoenioribus nugis augent. Sed secundum caput hos nugatores redarguit. Nam hoc si verum est, quomodo constabit, sumpsisse Deum unam de costis Adae, et ex ea aedificasse mulierem? Talmudica haec sunt; et tamen attingenda fuere, ut videamus Diaboli malitiam, qui tam absurda suggerit hominibus.

Cum hac fabula convenit, quod Aristoteles appellat mulierem virum occasionatum, et alii monstrum dicunt. Sed sint ipsi monstra et monstrorum filii, qui sic calumniantur, et rident creaturam Dei, in qua ipse Deus delectatus est, tanquam in nobilissimo opere, item quam videmus singulari consilio Dei conditam esse. Sed arguunt ista gentilia, quam ratio nihil possit certi de Deo et operibus Dei statuere, sed tantum rationes contra rationes fingit, neque quicquam perfecte aut solide docet.

Et benedixit.

Hoc de animalibus non dixit, igitur ea hic includit.

Fructificate.

Hoc est mandatum Dei additum creaturae. Sed, bone Deus, quid hic nobis per peccatum periit?

Quam enim ille status hominis beatus fuit, in quo generatio sobolis fuit conjuncta cum summa reverentia et sapientia, item cum cognitione Dei! Nunc ita oppressa est caro lepra libidinis, ut corpus in usu generationis plane brutescat, nec possit generare in cognitione Dei.

Mansit igitur generatio in humana natura, sed valde infirmata, imo plane oppressa lepra illa libidinis, ut paulo quam brutorum generatio sit moderatior. Huc accedunt pericula gestationis et partus, difficultas alendae prolis et alia infinita mala, quae omnia nos de magnitudine peccati originis docent. Ergo benedictio, quae in natura adhuc restat, quasi maledicta et humiliata est benedictio, si ad illam primam conferas, et tamen Deus eam condidit et conservat. Quare agnoscamus cum gratiarum actione illam quasi deformatam benedictionem, et inevitabilem carnis lepram, quae mera inobedientia est et foeditas annexa corporibus et animis, sentiamus esse peccati poenam. Exspectemus autem in spe mortem hujus carnis, ut liberemur ab his foeditatibus, et restituamur etiam supra illam primam Adae creationem.

Et dominamini piscibus maris.

Quis in ista prima creatione et integritate fuisset jumentorum, piscium et aliorum animalium usus, statuere liquido non possumus; adeo sumus obruti ignorantia Dei et creaturae. Hoc nunc videmus, nos vesci carnibus, leguminibus etc. Haec nisi in hoc usu essent, nesciremus, cur essent condita; nullum enim alium videmus aut habemus harum creaturarum usum. Sed Adae praeter victum, quem ex aliis et longe nobilioribus fructibus habuisset, non fuisset talis crea-

Haec bona maxima ex parte omnia amissa sunt per peccatum, et sumus hodie ceu cadaver quoddam illius primi hominis, qui vix umbram istius regni retinemus. An non eum dicemus omnia amisisse, qui ex immortali factus est mortalis, ex justo peccator, ex accepto et grato homine homo damnatus? Quia jam homo est mortalis et peccator. Si autem haec non exsuscitant nos ad spem et exspectationem venturi diei et futurae vitae, nihil est, quod nos possit excitare. Haec pro explicatione primi capitis sufficiant. In sequenti docebit de opere sexti diei, quomodo homo sit conditus.

SECUNDUM CAPUT GENESIS.

Et perfecti sunt coeli et terra et omnis exercitus eorum.

Noster textus habet: „Et omnis ornatus eorum", sed in Ebraeo est „exercitus vel militia eorum." צְבָאָם. Ac Prophetae hunc loquendi modum retinuerunt, ut stellas et planetas appellerent militiam caeli. Sicut Ierem. 19, (13) est, quod Iudaei adoraverunt „universam militiam coelestem", hoc est, solem, lunam et alias stellas, et Zeph. 1, (5.): „Disperdam eos, qui adorant super tecta militiam coeli." Et Stephanus Act. 7, (42.): „Servierunt, inquit, militiae coeli". Hujusmodi phrases a Mose Prophetae mutuati sunt, qui hoc in loco militari verbo stellas et luminaria coeli vocat exercitum seu militiam coeli; homines autem, bestias et arbores vocat militiam terrae. Fortasse in futurum eventum, quia Deus postea se vo-

cat Deum exercituum seu militiarum, hoc est, non tantum Angelorum seu spirituum, sed totius creaturae, quae ei militat et servit. Nam Satan, postquam propter peccatum a Deo abjectus est, tanto odio Dei et hominum impletus est, ut, si posset, uno momento mare piscibus, aërem volucribus, terram omnis generis fructibus orbaret, et omnia perderet. Sed Deus creavit istas creaturas omnes, ut stent in militia, et sine fine pugnent contra Diabolum pro nobis, et contra homines, dum nobis serviunt, ac nobis prosunt.

Consummavitque Deus in die septimo opus suum, quod fecerat, et quievit in die septimo ab omni opere suo, quod fecerat.

Hic quaestio oritur. Moses dicit, quievisse Dominum die septimo ab opere, quod fecerat, hoc est, cessasse operari in septimo die. Contra Christus Ioh. 5, (17.) dicit: „Pater meus operatur usque modo, et ego operor". Facit autem ad hunc locum, quod epistola ad Ebraeos cap. 3, (18.) et 4, (3.) disputat de requie: „Si introibunt", non quidem in terram promissionis, sed „in requiem meam" etc.

Sed nos simpliciter sic respondemus, solutionem afferri ab ipso textu, cum dicit: „Perfecti sunt coeli et terra". Sabbatum enim seu quies sabbati hoc significat, quod Deus sic cessaverit, ne conderet aliud coelum et aliam terram, non hoc significat, quod Deus coelum et terram tum conditam desierit conservare et gubernare. Nam de modo creationis superiore capite satis clare nos docuit Moses, Deum per verbum condidisse omnia: „Producat mare pisces, terra herbam, bestias" etc. Item: „Crescite, replete

terram, mare". Haec verba usque hodie durant; ide videmus multiplicationem sine fine. Itaque si mundu consisteret infinitis annis, virtus horum verborum no interiret, sed esset perpetua multiplicatio vi istiu verbi seu primae, ut sic loquar, fundationis.

Facilis itaque est solutio. Quievit Deus ab oper suo, hoc est, contentus fuit illo coelo et terra tum condita per verbum; non creavit novos coelos, non novam terram, non novas stellas, non arbores novas. Et tamen operatur Deus adhuc, si quidem semel conditam naturam non deseruit, sed gubernat et conservat virtute verbi sui. Cessavit igitur a conditione, sed non cessavit a gubernatione. In Adamo coepit genus humanum, in terra coepit per verbum genus animale, ut sic dicam, in mari coepit piscale et volatile. Sed in Adamo et primis bestiolis seu animalibus non desierunt ista; manet adhuc hodie verbum super genus humanum dictum: „Crescite et multiplicamini", manet verbum: „Producat mare pisces et aves coeli". Omnipotens igitur verbi vis et virtus est, quod totam creaturam sic conservat et gubernat.

Clare igitur constituit Moses, quod verbum in principio fuerit. Quia autem crescunt, multiplicantur, conservantur et reguntur adhuc omnia eodem modo, quo a principio mundi, manifeste sequitur, verbum adhuc durare, nec esse mortuum. Quod igitur dicit: „Quievit Deus ab opere", non est referendum ad istum cursum rerum, quomodo conservantur et gubernantur, sed simpliciter ad initium, quod cessaverit Deus ab ordinibus condendis, ut vulgo loquuntur, et a novis speciebus, seu novis creaturis.

Ego, si meam personam spectes, sum quiddam novum, quia ante annos sexaginta nihil fui, sic mun-

dus judicat; sed Dei aliud est judicium; nam cum a Deo sum generatus et multiplicatus statim in principio mundi, quia hoc verbum: „Et dixit Deus: Faciamus hominem“, me quoque creavit. Quidquid enim Deus voluit condere, hoc tum, cum diceret, condidit. Non subito nostris oculis apparuerunt omnia. Sicut enim sagitta, aut globus, qui ex bombarda mittitur (nam in hoc major celeritas est), uno quasi momento ad metam dirigitur, et tamen per certum intervallum mittitur: ita Deus per verbum suum currit ab initio usque ad finem mundi. Non enim apud Deum sunt prius et posterius, citius aut tardius, sed omnia sunt ejus oculis praesentia. Est enim simpliciter extra temporis rationem.

Ergo verba illa: „Dixit Deus: Fiat, crescite, multiplicamini“, sic constituunt creaturas, ut nunc sunt, et erunt usque ad finem mundi. Cessavit autem a condendis novis. Non enim condidit novam terram, non coelum novum, sed sicut solem et lunam voluit currere, ita adhuc currunt. Sicut tum replevit mare piscibus, coelum volatilibus, terram pecudibus, ita sunt ista consummata, et manent adhuc ac conservantur. Sicut Christus dicit: „Pater operatur usque modo, et ego operor“. Verbum enim, quod in principio dixit, adhuc est. Sicut Psalm. 33, (9.) ait: „Ipse dixit et facta sunt“.

Sed hic opponitur aliud, nempe, quomodo verum sit, Deum nihil novi condidisse, cum tamen constet, arcum seu iridem tempore Noha conditam. Item post Adae lapsum minatur Dominus, futurum, ut terra producat tribulos et sentes, quos non fuerat producturа, si Adam non peccasset. Item de serpente dicitur, quod debeat repere pronus humi, qui pro-

sed dubio, sicut initio conditus fuit, rectus incessit, sicut hodie cervi et pavones incedunt? Haec certe est nova conditio, facta per novum verbum. Item nisi Adam non esset lapsus in peccatum, non fuisset ista luporum, leonum, ursorum ferocitas. Plane nihil in tota creatura homini aut molestum aut noxium fuisset. Nam textus clare dicit, omnia a Deo condita fuisse bona. Nunc, quaeso, quantae molestiae sunt? Ipsum corpus quot et quantis incommodis morborum saltem est obnoxium? Omittam pulices, muscas, araneos; quantum periculorum est a reliquis truculentis et venenatis bestiis? Sed ut nihil horum sit, certe hoc maxime est novum, quod virgo parit filium Dei. Ergo Deus septimo die non cessavit, sed operatur, non tantum conservando creaturam, sed etiam mutando et novando creaturam. Nec est verum, quod supra posuimus, abstinuisse Deum a novis ordinibus condendis.

Respondeo: Moses hic loquitur de natura incorrupta; si igitur homo stetisset in ea innocentia, qua erat conditus, non exstitissent spinae, non tribuli, non morbi, non vis bestiarum ulla. Sicut ex eo satis apparet, quod Heva sine metu non aliter cum serpente loquitur, quam nos cum delicata avicula, aut blando catello. Nec mihi dubium est, serpentem fuisse pulcherrimam creaturam, cum singulari hoc dono ornatam, ut inter reliquas bestias haberet primam laudem calliditatis, sicut calliditatis laudem habent vulpeculae, mustelae etc.

Ergo cum Adam adhuc esset sanctus et innocens, omnia animantia cum summa voluptate ei cohabitarunt, parata ad omnis generis officia. Nec fuisset, si ita permansisset, metus a diluvio, et per consequens

neque

neque iris seu arcus extitisset. Sed peccatum causa extitit, cur multa Deus aliter faceret. Ac in extremo die longe major totius creaturae mutatio et renovatio erit, quae, sicut Paulus dicit, Rom. 8, (20.) propter peccata nunc vanitati est subjecta.

Quod igitur Moses dicit, quievisse Dominum, loquitur de conditione originalis mundi. In eo, quia non fuit peccatum, ideo nihil novi creatum est, non fuerunt tribuli, non spinae; serpentes et bufones, etsi erant, tamen erant sine veneno, et sine cupiditate nocendi. Ad hunc modum loquitur de creatione mundi in sua perfectione. Erat tum mundus purus et innocens propter hominem purum et innocentem. Nunc, cum alius sit homo propter peccatum, etiam mundus coepit esse alius, hoc est, ad lapsum hominis secuta est corruptio et maledictio creaturae. „Maledicta terra, ait Deus ad Adam, propter te; spinas et tribulos germinabit tibi". Et ad peccatum unius maledicti Cain maledicitur terra, ut etiam culta non reddat virtutem suam. Postea ad peccatum totius mundi venit diluvium, et deletur universum genus humanum, paucis justis servatis, ne promissio de Christo non impleretur. Sicut autem apparet, terram deformatam esse per peccatum, ita credo ego, solis quoque lumen clarius et pulchrius fuisse, cum crearetur, ante peccatum hominis.

Est usitatum verbum in scholis theologorum: Distingue tempora et concordabis scripturas. Quare multo aliter loquendum nobis est de mundo post illam miseram corruptionem, quae per peccatum secuta est, quam de illo originali puro et integro mundo. Consideremus exemplum, quod ante oculos est. Terram promissionis qui viderunt hodie, dicunt ni-

hil simile esse illi commendationi, quae exstat in sacris literis. Itaque cum eam Comes Stolbergensis singulari diligentia perlustrasset, dixit, sibi suum agrum quem in Germania haberet, esse gratiorem. Nam propter peccatum, propter impietatem et malitiam hominum terra in salsuginem est posita, ut ait Psalm 107, (34.). Sic Sodoma, antequam igni de coelo periit, fuit ceu Paradisus quaedam Gen. 13, (10.).

Sic in genere peccatum sequitur maledictio, maledictio autem mutat res, ut ex optimis fiant pessima. Loquitur itaque Moses de creaturarum consummatione, qualis fuit ante peccatum. Si enim homo *non* peccasset, omnes bestiae mansissent in obedientia, donec Deus hominem transtulisset de Paradiso seu terra: sed post peccatum omnia sunt mutata in deterius.

Ad hunc modum manet solutio supra posita quod Deus in sex diebus consummavit opus suum hoc est, quod desiit a constituendis ordinibus, et quicquid facere voluit, tum fecit. Non dixit denuo: Fiat nova terra, novum mare etc. Quod autem virgo Maria peperit filium Dei, manifestum est, ejus quoque beneficii causam fuisse calamitatem nostram, in quam per peccatum incidimus. Sic autem Deus illud mirabile et ingens opus fecit, ut prius id per verbum suum se ostenderet facturum esse. Sicut etiam alia miracula per verbum Deus significavit futura esse.

Haec jam est prima quaestio de eo, quod consummaverit Deus coelum et terram, et nihil novi fecerit. Nunc etiam hoc explicandum est, ut discamus, quid sit Sabbatum, seu quies Dei. Item, quomodo sanctificaverit Sabbatum Deus, sicut textus dicit.

Et benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit eum, eo quod in eo quievisset ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.

Matthaei 12. dicit Christus, Sabbatum esse factum propter hominem, non hominem propter Sabbatum: sed Moses hic de homine tacet; non enim dicit diserte, homini mandatum esse Sabbatum, sed hoc dicit, Deum Sabbato benedixisse, et id sibi sanctificasse. Porro hoc in nulla creatura alia fecit. Non sanctificavit sibi coelum, non terram, non ullam creaturam aliam, sed septimum diem sibi sanctificavit. Hoc eo proprie pertinet, ut intelligamus, septimum diem praecipue divino cultui esse applicandum. Sanctum enim est, quod Deo est appropriatum, et ab omnibus profanis usibus separatum; hinc sanctificare, deligere ad sacros usus, seu ad cultum Dei, sicut Moses hac phrasi saepius utitur, etiam de vasis sacris.

Sequitur igitur ex hoc loco, si Adam in innocentia stetisset, tamen habuisset septimum diem sacrum, hoc est, eo die docuisset posteros de voluntate et cultu Dei, laudasset Deum, gratias egisset, obtulisset etc. Aliis diebus coluisset agrum, curasset pecora. Imo etiam post lapsum habuit sacrum diem illum septimum, hoc est, docuit eo die suos, id quod testatur oblatio filiorum Cain et Habel. Igitur Sabbatum ab initio mundi destinatum est ad cultum Dei. Ad hunc modum innocens natura praedicasset gloriam et beneficia Dei: confabulati essent die Sabbato de inaestimabili bonitate creatoris, obtulissent, orassent etc. Haec enim significat verbum sanctificandi.

Porro includitur hic quoque immortalitas humani generis, sicut epistola ad Ebraeos erudite dispu-

tat de requie Dei, ex Psalmo 95, (11.): „Si introibunt in requiem meam". Est enim requies Dei aeterna. Nam Adam vixisset ad certum tempus in Paradiso secundum placitum Dei; postea esset raptus ad illam requiem Dei, quam voluit Deus hominibus non solum significare, sed commendare quoque per sanctificationem Sabbati. Ita tum animalis vita felix et sancta fuisset, tum spiritualis et aeterna. Nunc miseri istam felicitatem animalis vitae amisimus per peccatum, et dum vivimus, in media morte sumus. Et tamen, quia ecclesiae relinquitur mandatum de Sabbato, significatur, quod etiam spiritualis illa vita per Christum nobis restituenda sit. Sicut Prophetae istos locos diligenter excusserunt, in quibus Moses latenter ostendit resurrectionem carnis et immortalem vitam.

Deinde ostenditur hic quoque, hominem praecipue esse conditum ad notitiam et cultum Dei. Non enim Sabbatum propter oves et boves, sed propter homines institutum est, ut in eis notitia Dei exerceretur et cresceret. Etsi igitur per peccatum homo notitiam Dei amisit, tamen Deus mandatum de sanctificando Sabbato voluit manere, voluit die septimo exerceri tum verbum, tum alios cultus ab ipso institutos, ut primum cogitaremus de conditione nostra, quod potissimum ad agnitionem et glorificationem Dei natura haec sit condita.

Deinde ut etiam certam spem futurae et aeternae vitae animo retineremus. Nam omnia, quae in Sabbato Deus voluit agi, sunt evidentia signa alterius vitae post hanc vitam. Quid enim necesse est, Deum per verbum suum nobiscum loqui, si non vivendum est in futura et aeterna vita? Nam si non est speranda futura vita, cur non vivimus, sicut quibuscum

Deus non loquitur, et qui Deum non agnoscunt? Sed quia divina majestas cum solo homine loquitur, et solus homo agnoscit et apprehendit Deum, necessario sequitur, esse aliam vitam post hanc vitam, ad quam consequendam nobis opus sit verbo et cognitione Dei. Nam haec temporalis et praesens vita est vita animalis, qualem vivunt omnes bestiae, quae verbum et Deum non norunt.

Hoc significat Sabbatum, seu quies Dei, in quo Deus nobiscum loquitur per verbum suum, et nos vicissim cum eo per invocationem et fidem. Bestiae quidem audire et intelligere quoque vocem hominis *discunt*, sicut canes, equi, oves, boves, et conservantur quoque ab homine, ac aluntur. Sed nostra melior conditio est, qui Deum audimus, et scimus voluntatem ejus, ac vocamur in certam spem immortalitatis. Sicut testantur manifestae promissiones de vita aeterna, quas Deus nobis post illas obscuras significationes, qualis haec de requie Dei, et sanctificatione Sabbati est, per verbum suum revelavit. Quanquam haec de Sabbato satis clara sunt. Finge enim, nullam esse vitam post hanc vitam, an non sequitur, nos non opus habere Deo, non verbo ejus? Nam hoc, quod in hac vita requirimus, aut agimus, etiam sine verbo habere possumus, sicut bestiae pascuntur, vivunt, saginantur, licet verbum Dei non habeant, nec audiant. Quid enim verbo ad cibum et potum jam antea creatum est opus?

Quod igitur Deus dat verbum, quod praecipit exercitium verbi, quod mandat Sabbati sanctificationem, et cultum suum, haec omnia arguunt, restare vitam post hanc vitam, et hominem esse conditum non ad corporalem tantum vitam, sicut reliquas be-

stias, sed ad aeternam vitam, sicut Deus, qui haec mandat et instituit, aeternus est.

Sed hic alia quaestio oritur, quam supra quoque attigimus, de lapsu Adae, quando ceciderit, septimone die, an alio? Etsi autem nihil certi possit afferri in medium, tamen libenter imaginor, eum septimo die esse lapsum. Sexto die creatus est; Heva quoque sub vesperam seu finem sexti diei est condita, dum Adam dormiret. Septimo die, qui sanctificatus erat per Dominum, mane Deus cum Adam loquitur, mandat de cultu suo, et interdicit pomum, seu lignum scientiae boni et mali. Nam hoc proprium est munus septimi diei, praedicari et audiri verbum Dei. Hinc tum in scriptura, tum in usu mansit, ut matutinum tempus orationi et concionibus destinaretur, sicut Psalmus 5, (4.) inquit: „Mane adstabo tibi, et videbo".

Ita septimo die mane videtur Adam audivisse Dominum, mandantem curam oeconomicam et politicam, cum prohibitione pomi. Satan itaque impatiens hujus pulcherrimae tum creationis tum ordinationis, ac invidens homini tantam felicitatem, quod et in terra omnia abundanter ei suppeterent, et post tam felicem vitam corporalem certa spes esset aeternae vitae, quam ipse amiserat, forte sub duodecimam horam, post concionem Dei, concionatur ipse quoque Hevae, sicut adhuc solet; ubi verbum Dei est, ibi ipse quoque nititur mendacium serere et haereses; dolet enim ei, nos per verbum, sicut Adamum in paradiso, fieri cives coelorum. Hevam itaque sollicitat ad peccatum et vincit. Ac textus clare dicit, cum jam calor diei cessasset, venisse Dominum et damnasse Adamum cum omni posteritate ad mortem.

Haec omnia facile mihi persuadeo ipso die Sabbato accidisse, quo uno eoque non integro Adam in Paradiso vixit, et ejus fructibus se oblectavit.

Itaque per peccatum hanc felicitatem amisit homo. Neque autem Adam in paradiso, si in innocentia mansisset, vixisset otiosus: Sabbato die docuisset filios, ornasset Deum meritis laudibus, publica praedicatione, et se et alios contemplatione operum Dei excitasset ad gratiarum actionem. Aliis diebus fecisset opus, aut colendo agrum, aut venando, sed longe alia ratione, quam nunc fit: nobis enim labor est *molestia*; Adae fuisset summa voluptas, gratior omni *otio*. Quare sicut aliae vitae hujus calamitates nos admonent peccati et irae Dei, ita labor quoque et illa difficultas parandi victus nos peccati admonere, et ad poenitentiam invitare debet.

Nunc pergit Moses hominem clarius describere, repetitis prius iis, quae in primo capite dixit. Etsi autem videntur haec verba otiosa esse, tamen, quia commode historiam continuare vult, non est plane otiosa repetitio.

Istae sunt generationes coelorum et terrae, cum crearentur, in die, cum faceret Dominus Deus terram et coelos, antequam oriretur ullum virgultum in terra, aut ulla herba in agro germinaret.

„In die“, accipiendum est pro tempore infinito, acsi dicat: In illo tempore fuit pulcherrimus status omnium rerum. Sed nunc aliud mihi dicendum est. Non autem necesse est superstitiosius inquirere, cur Moses rustica hac loquendi figura de virgultis et

herbis voluerit uti? Nam in eo est, ut conditionem hominis diligentius persequatur.

Non enim pluerat Dominus Deus super terram, neque erat homo, qui operaretur terram, sed vapor adscendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae.

Nondum, inquit, erat pluvia, quae rigaret terram, sed vapor quidam ceu ros elevabatur, qui fecundabat terram, ut germinaret postea felicius. Pertinent autem haec proprie ad tertium diem.

Formavit igitur Dominus Deus hominem de pulvere terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.

Hic redit Moses ad opus sexti diei, et ostendit, unde cultor terrae venerit. Nempe, quod Deus eum finxerit ex gleba, sicut figulus manu ex luto fingit ollam. Ideo supra non dixit, sicut de aliis creaturis: Producat terra hominem, sed: „Faciamus hominem", ut ostendat excellentiam generis humani, et revelet Dei consilium singulare, quo usus est in condendo homine, etsi posthac homo crescit, et multiplicatur eodem modo, quo reliquae bestiae. Nam semen in matrice coagulatur, et formatur eadem ratione. Hic nulla dissimilitudo est inter vaccam fetam et gravidam mulierculam. Sed in prima conditione ostendit Moses maximam esse dissimilitudinem, si quidem singulari tum consilio tum sapientia humana natura condita, et digito Dei formata est.

Haec dissimilitudo, quae inter originem hominis et pecudum est, etiam ostendit immortalitatem ani-

mae, de qua paulo ante diximus. Etsi enim omnia reliqua opera Dei plena admirationis et valde magnifica sunt, tamen hominem hoc arguit esse praestantissimam creaturam, si quidem Deus in eo condendo consilium adhibet, et novo modo utitur. Non relinquit eum fingendum terrae, sicut bestias et arbores. Sed ipse eum format ad imaginem sui, tanquam participem Dei, et qui fruiturus sit requie Dei. Itaque Adam, antequam a Domino formatur, est mortua et jacens gleba; eam apprehendit Deus, et format inde pulcherrimam creaturam, participem immortalitatis.

Haec si Aristoteles audiret, solveretur in cachinnum, et judicaret, esse, etsi non insuavem, tamen absurdissimam fabulam, quod homo quoad originem suam primam fuisset gleba, formatus autem sit divina sapientia, et sic conditus, ut esset capax immortalitatis. Nam etiamsi qui ex philosophis, ut Socrates et alii, asseruerunt immortalitatem animorum, tamen a reliquis philosophis irrisi, et tantum non explosi sunt. Sed an non magna est fatuitas, sic offendi rationem, cum videat adhuc hodie plenam admirationis esse hominis generationem? An enim non absurdum judicabis, hominem, qui in aeternum victurus est, nasci quasi ex una guttula seminis in lumbis patris? Major in hoc fere absurditas est, quam quod Moses dicit, de gleba digitis Dei formata. Sed ratio hoc modo ostendit, se plane nihil scire de Deo, qui sola cogitatione ex gleba facit non semen hominis, sed ipsum hominem, et, quod postea Moses dicit, ex costa viri facit feminam. Haec prima hominis origo est.

Creato autem sic masculo et femina postea ex eorum sanguine divina benedictione generatur ho-

mo. Quanquam autem haec cum brutis communis generatio est, non tollit tamen illam gloriam originis nostrae primae, quod sumus vascula Dei ab ipso Deo ficta, quod ipse est figulus noster, nos autem lutum ejus, sicut Iesaias sexagesimo quarto loquitur. Idque non solum ad originem nostram attinet, sed per omnem vitam et usque ad mortem et in sepulchrum manemus lutum hujus figuli.

Pertinet autem hoc etiam eo, ut discamus virtutem liberi arbitrii, quod adversarii tantopere jactant. Habemus quidem liberum quodam modo arbitrium in iis, quae infra nos sunt. Sumus enim constituti mandato divino domini piscium maris, volatilium coeli et bestiarum agri. Haec interficimus, cum libet; fruimur cibis, quos suppeditant, et aliis commodis. Sed in iis, quae ad Deum attinent, et sunt supra nos, homo nullum habet liberum arbitrium, sed vere est, sicut lutum in manu figuli, positus in mera potentia passiva, et non activa. Ibi enim non eligimus, non facimus aliquid, sed eligimur, paramur, regeneramur, accipimus, sicut Iesaias (64, 8.) dicit: „Tu figulus, nos lutum tuum“.

Sed hic nova quaestio oritur. Sicut enim Moses nova phrasi hic de homine loquitur: „Formavit Deus hominem de limo terrae“; de aliis autem animantibus supra non sic loquutus est: ita quoque hic peculiare quiddam de homine dicit, inspirasse Deum in faciem ejus spiraculum, quod de reliquis bestiis non dixit, cum tamen omnibus bestiis, sicut homini, insit spiritus in naribus. Quaeritur igitur, cur hoc Moses sic voluerit dicere? Secundo quaeritur id quoque (quanquam eodem pertinet), cum per totam scripturam omnia animalia vocentur animae viventes, cur

tantum de homine hoc in loco dicatur, factum eum esse in animam viventem? Supra quidem dixit: „Producat terra animam viventem, unumquodque in suo genere“. Sed hic multum mutat, et dicit: „Homo factus est in animam viventem“.

Haec absque dubio moverunt Patriarchas, sanctos Patres et Prophetas, ut hujusmodi locos diligentius excuterent, quod ista singularis loquendi ratio significat, Mosen insigne quiddam voluisse ostendere. Nam si animalem vitam, de qua hic Moses loquitur, respicias, nulla differentia est inter hominem et asinum. Habet enim animalis vita opus cibo et potu; habet opus somno et quiete; corpora pariter cibo et potu saginantur et crescunt, inedia marcescunt et pereunt; stomachus cibum accipit, et coctum transmittit ad hepar, quod sanguinem gignit, quo restaurantur omnia membra. Haec cum consideramus, nulla inter hominem et bestiam est differentia. Et tamen hominis vitam Moses ornat hoc modo, quod de eo solo dicit, esse eum factum in animam viventem, non simpliciter, sicut alias bestias, sed in animam excellenter viventem, propterea quod ad imaginem Dei est conditus, quae imago procul dubio in statu innocentiae singulariter reluxit in facie Adae et Hevae, sicut post peccatum tamen gentes ex positu corporis, quod solus homo erectus incedit et attollit oculos ad coelum, collegerunt, hominem praestantiorem esse creaturam inter omnes reliquas creaturas.

Huc respexit Paulus, cum hunc locum citat, 1. Cor. 15. (v. 45.): „Scriptum est, primus homo Adam factus est in animam viventem, ultimus autem Adam in spiritum vivificantem“. Animam viventem vocat vitam animalem, quae est edere, bibere, generare, au-

gescere, quae omnia etiam in brutis sunt. Per antithesin autem dicit, ultimum Adam factum esse in spiritum vivificantem, hoc est, talem vitam, quae istis animalis vitae conditionibus non indigeat. Docet etiam Paulus, etiamsi Adam non peccasset, tamen victurum fuisse corporalem vitam, indigam cibi, potus, quietis, crescentem, generantem etc., donec per Deum ad vitam spiritualem esset translatus, in qua vixisset sine animalitate, ut sic dicam, nempe ab intra, ex solo Deo, et non ab extra, sicut antea ex herbis et fructibus, idque sic, ut tamen homo habeat carnem et ossa, et non sit mere spiritus, sicut Angeli sunt.

Respondeo igitur ad quaestionem, Deum per *os* Mosi etiam hoc in loco voluisse ostendere spem futurae et aeternae vitae, quam Adam, si in innocentia perstitisset, post animalem hanc vitam habiturus fuerat. Quasi dicat Moses: Factus est homo in animam viventem, non simpliciter, sicut bestiae vivunt, sed quam Deus posthac vivificaturus erat, etiam sine animali vita. Hanc spem immortalitatis per Christum habemus nos quoque, quanquam propter peccatum morti et omnibus calamitatibus sumus subjecti. Adae melior fuerat futura conditio. In terra suaviter et cum summa voluptate vixisset, deinde sine ulla molestia esset translatus de animali vita in spiritualem. Nos ex animali vita ad spiritualem non nisi per mortem, et post infinita pericula ac cruces transferimur.

Ad hunc modum cum sanctis Prophetis debemus Mosen diligenter inspicere, et observare, cur singulari consilio de homine dicat, quod aliter de reliquis animantibus dixit: ut scilicet confirmetur in nobis fides et spes immortalitatis, quod, etsi homo secundum animalem vitam similis est ceteris animantibus

brutis, tamen habet spem immortalitatis, quam cetera animantia non habent; gerit imaginem et similitudinem Dei, quam cetera animantia non gerunt.

Atque hic per pulcherrimam allegoriam, seu potius anagogiam Moses obscure significare voluit, Deum esse incarnandum. Nam quod homo creatus ad similitudinem Dei secundum animalem vitam nihil differt a pecude, haec plane est disparata praedicatio, seu ut in scholis vocant, oppositum in adjecto. Et tamen, quia est conditus ad imaginem invisibilis Dei, occulte per hoc significatur, sicut audiemus, Deum se revelaturum mundo in homine Christo. Haec semina quasi maximarum rerum Prophetae in Mose diligenter collegerunt et observarunt.

Et plantavit Dominus Deus hortum in Eden versus orientem, in quo posuit hominem, quem formarat.

Hic mare quaestionum nascitur de Paradiso. Primum ipsa vox sive Ebraea, sive Chaldaea, seu Persica est (nam Graecam esse non puto, quanquam Suidas Graecam originem quaerat), significat Latine hortum. Hunc dicit Moses plantatum בְּעֵדֶן, in Eden; nam loci nomen est, non est appellativum, sicut nostra translatio habet, quae vertit Paradisum voluptatis. Significat quidem עֵדֶן voluptatem seu delicias, et sine dubio hinc est facta graeca vox ἡδονή. Sed praepositio addita satis arguit, עֵדֶן hic accipi pro nomine proprio loci, sicut etiam huc facit circumscriptio loci, quod ad orientem fuerit sita. Nam quod translatio nostra habet „a principio“, etiam male redditum est. Est enim מִקֶּדֶם, quod non proprie significat a principio, sed ab ante, hoc est, quod nos

dicimus, versus orientem. Est enim adverbium loci quod situm Paradisi ostendit, non tempus.

Hic disputatur, ubi sit Paradisus? Et miris modis torquent se interpretes. Quibusdam placet esse intra duos tropicos sub aequinoctiali. Alii temperatiorem aërem requirunt ad tantam loci fecunditatem. Quid multis? opinionum non est numerus.

Ego breviter sic respondeo, otiosam esse quaestionem de re, quae amplius non est. Nam Moses scribit res gestas ante peccatum et diluvium. Nos autem cogimur de rebus loqui, sicut sunt post peccatum et post diluvium. Credo igitur vel ab Adam, vel tempore Adae hunc locum fuisse appellatum Eden, a fecunditate et ingenti amoenitate, quam Adam in ea vidit. Ac mansit nomen amissae rei apud posteros, sicut hodie Romae, Athenarum, Carthaginis nomina exstant, sed tantarum rerumpublicarum vix vestigia quaedam conspiciuntur. Nam tempus et maledictio, quam peccata merentur, consumunt omnia. Cum igitur mundus per diluvium una cum hominibus et pecudibus aboleretur, hic tam nobilis hortus etiam est abolitus, et periit. Frustra igitur Origines et alii tam absurda disputant. Deinde textus quoque dicit, custoditum esse ab Angelo, ne quis ingrederetur. Igitur etsi per maledictionem istam sequentem non periisset ille hortus, tamen simpliciter homini praeclusa ad eum via est, hoc est, locus ejus non potest inveniri. Hoc etiam responderi posset, quanquam prima sententia de diluvio mihi magis probatur.

Sed quid respondebimus ad locum novi testamenti (Luc. 23, 43.): „Hodie eris mecum in Paradiso“? Et 2. Cor. 12, (v. 4.): „Sum raptus in Paradisum“? Ego quidem non dubito affirmare, quin

Christus cum latrone non venerit in aliquem corporalem locum. Nam de Paulo res clara est, qui dicit, nescire se, fueritne in corpore, an extra corpus. Quare sic sentio, Paradisum utrinque vocari conditionem, in qua Adam in Paradiso fuit, plenus pace, securitate et omnibus donis, quae sunt, ubi non est peccatum. Quasi dicat Christus: Eris hodie mecum in Paradiso, liber a peccato, et securus a morte (nisi quod illa extrema dies exspectanda est, cum revelabuntur ista), sicut Adam in Paradiso a peccato, morte et omni maledictione securus erat, et tamen vivebat in spe futurae et aeternae vitae spiritualis. *Ut* sit quasi allegorica Paradisus, sicut scriptura etiam appellat sinum Abrahae non pallium Abrahae, sed allegorice illam vitam, quae est in defunctis animabus in fide. Habent enim pacem et quiescunt, et exspectant in illa quiete futuram vitam et gloriam.

Ergo sic respondeo, quod Moses nunc est in descriptione historiae, ac dicit, fuisse quendam locum versus orientem, in quo fuerit amoenissimus hortus. Nam sicut supra dixi, vocula מִקֶּדֶם proprie locum significat, et non tempus, sicut noster textus habet. Hinc usitatum est, ventum orientalem vocari קָדִים, siccum et frigidum ventum, qui urit agros. In ea mundi plaga Paradisus seu hortus fuit, in quo non tiliae, non quercus, non ilices, et si quae aliae sunt steriles arbores fuere, sed omnis generis nobilissimi fructus, sicut nos hodie inter nobiliores habemus, proferentes cinnama, chariophyla, etc. Etsi igitur reliqua terra culta fuit, (nondum enim tribuli, nondum spinae erant), tamen hic locus habuit suum meliorem cultum, ut Eden esset delectus hortus prae

cultu totius terrae, quae ipsa quoque, si ad hodiernam miseriam conferas, Paradisus fuit.

In hunc hortum, quem ipse Dominus sic peculiari cultu plantaverat, posuit hominem. Omnia haec, inquam, sunt historica. Frustra itaque hodie quaerimus, ubi aut quid fuerit hortus ille? Flumina, de quibus Moses post dicet, arguunt, fuisse Syriam, Mesopotamiam, Damascum, Aegyptum, in quarum quasi medio Hierusalem est. Quia enim homini cum posteritate sua erat destinatus, frustra est, ut imaginemur angustum hortum, aliquot milliarium spatio; fuit potior et melior pars terrae. Et ego judico, mansisse hunc hortum usque ad diluvium; ante diluvium autem fuisse munitum a Deo, sicut Moses dicit, custodia Angelorum, ita ut notus fuerit locus posteris Adae, sed tamen inaccessibilis, donec per diluvium postea dissipatus et abolitus est. Haec mea est sententia, sicque respondeo ad omnes quaestiones, quas movent homines curiosi de re, quae post peccatum et diluvium nusquam est.

Origenem offendit distantia fluviorum; cogitat enim spatium horti, qualia fere apud nos sunt. Ideo vertitur ad allegoriam. Paradisum fingit coelum, arbores Angelos, flumina, sapientiam. Sed istae nugae theologo indignae sunt; poëtam lascivientem fortasse non dedecerent ista. Non vidit Origenes, Mosen historiam scribere, atque eam de rebus jam olim praeteritis.

Ad hunc modum stulte disputant adversarii hodie, imaginem et similitudinem Dei manere etiam in homine impio. Mihi multo rectius viderentur dicere, si dicerent, imaginem Dei in homine ita post peccatum periisse, sicut originalis mundus et Paradisus pe-

perierunt. Homo enim ab initio fuit justus, mundus ab initio fuit pulcherrimus, Eden vere fuit hortus deliciarum et voluptatis. Haec omnia post peccatum deformata sunt, ita ut creaturae omnes, etiam sol et luna quasi saccum induisse videantur, et quae prius bonae fuerunt, postea sint factae noxiae propter peccatum. Post autem accessit major maledictio per diluvium, quod evertit penitus Paradisum et universum genus humanum. Nam si hodie flumina cum tanta calamitate hominum, jumentorum, agrorum, exundant, quid non faceret universale diluvium? Quando igitur nunc post diluvium, de Paradiso disputandum est, loquamur de ea ceu de historica Paradiso, quae fuit, et amplius non est. Sicut etiam cogimur disputare de innocentia hominis; eam amissam possumus cum gemitu meminisse, reparare in hac vita non possumus.

Porro sicut Moses supra varie hominem, qui tamen eandem cum brutis ex terra originem habet, a brutis distinxit, ita hoc in loco distinguit hominem singulari loco et mansione, quam Dominus homini plantavit, et quasi aedificavit majore splendore, et diligentiore cultu, quam totam reliquam terram. Nam Mosi in eo plurimum positum est, ut clare intelligatur, hominem longe nobiliorem et meliorem esse creaturam, quam alias. Habebant bruta animalia terram, ex qua pascerentur. Homini nobilius domicilium ipse Dominus parat, in quo colendo et ornando cum voluptate operam sumat, in quo victum suum habeat, separatus a bestiis, quas tamen in tota terra habebat subjectas suo imperio. Ineptus igitur est Origenes et Hieronymus cum aliis allegoristis. Quia enim Paradisum non amplius in terra inveniunt, putant aliam

sententiam quaerendam esse. Sed aliud est, fuisse Paradisum, et esse Paradisum; Moses, sicut in narrationibus solet, commemorat hoc tantum, quod Paradisus fuerit. Ita fuit ista in omnes bestias dominatio quod Adam leonem vocare, et pro arbitrio ei mandare potuit; hodie non est. Perierunt ista; a Mose autem commemorantur, quod fuerint.

Sed agitata quoque haec quaestio est, in quo loco terrae Deus condiderit hominem? Ac sunt, qui magno conatu defendant, eum in agro Damasceno esse conditum, eo quod audiverunt, glebam Damascenam esse rutilam ac fertilem. Sed ego hujusmodi vere inanes et otiosas quaestiones omitto. Nobis enim satis est scire, quod homo sexto die post alia animalia ex terra conditus, et in hortum Eden positus sit. Ubi autem conditus sit, quid necesse est scire? Extra Paradisum est conditus; sic enim dicit textus, eum in Paradisum esse translatum seu positum, antequam Heva esset condita, quam in Paradiso conditam esse Moses hic ostendit. Haec scire satis est. Nunc transeamus ad sequentia.

Produxerat enim Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et suave ad vescendum.

Haec proprie pertinent ad descriptionem Paradisi. Quanquam enim tota terra sic erat condita, ut produceret arbores cum fructibus, herbis et seminibus, tamen iste locus Eden habuit suum peculiarem cultum. Sicut similitudinem quandam possumus mutuari a nostris rebus. Silvae et agri proferunt arbores suas, sed cum desumimus locum peculiariter colendum, semper hortenses fructus praestant silvestri-

bus. Ita Paradisus singulari cultu condita, et prae terra reliqua ornata fuit arboribus, et adspectu jucundis, et usu suavibus. Quod igitur in primo capite dixit: Dedi vobis omnem herbam et arborem, fuit is victus pro necessitate. Sed Paradisus etiam pro voluptate cibos suppeditavit, delicatiores, meliores et suaviores, quam arbores in reliqua terra proferebant, quibus bruta quoque vescebantur.

Lignum etiam vitae in medio Paradisi, et lignum scientiae boni et mali.

Describit Moses Paradisum ita, ut ex Deo hortulanum faciat, qui, cum hortum pro arbitrio cum magna diligentia plantavit, unam et alteram arborem deligit, quas prae reliquis colit et amat. Quarum una fuit arbor vitae, ad hoc condita, ut homo ea vescens servaretur integro corpore, sine morbis, sine fatigatione.

Atque hic iterum distinguitur homo non solum loco a brutis, sed etiam illo privilegio vitae longioris, et semper manentis in eodem statu, cum reliquorum animantium corpora in juventa augentur et validiora sunt, sed in senio languent et pereunt. Hominis alia fuerat futura conditio; edisset, bibisset, fuisset mutatio ciborum in corporibus facta, sed non ita foeda, ut nunc. Haec autem arbor vitae conservasset perpetuam juventam, neque homo ulla unquam senectutis sensisset incommoda, non rugas contraxisset frons, non pedes, non manus, non alia corporis pars infirmior esset facta aut languidior. Mansissent homini beneficio hujus fructus integrae vires ad generationem, ad labores omnes, donec tandem translatus esset ex corporali vita ad spiritualem. Ergo re-

liquae arbores suppeditassent victum delicatum e optimum, haec autem fuisset ceu pharmacum, qua vita et vires conservarentur perpetuo in summo vigore.

Hic iterum movetur quaestio, quomodo cibu corporalis seu pomum potuerit hoc modo servar corpus, ut non tempore redderetur languidius aut imbecillius? Sed facilis est responsio: Ipse dixit et facta sunt. Nam cum possit Deus ex lapide panem facere, cur non etiam per pomum posset conservare vires? Tamen post peccatum videmus, quantae vires etiam minutissimis herbis et seminibus insint.

Sed videamus corpora nostra. Unde est ea vis, ut panis comestus calore naturali coquatur et vertatur in sanguinem, unde postea totum corpus confirmatur et augetur? Affer totos caminos ignis; hoc tamen non poteris, ut ex pane sanguis fiat, quod tenuis calor, qui est in nostris corporibus, potest. Nihil igitur miremur hanc arborem, arborem vitae fuisse, sic volente, plantante et faciente Domino. Habuit Adam corpus naturale et mobile, quod generabat, edebat, laborabat. Haec corruptionem judicantur afferre, aut saltem mutationem aliquam, qua tandem homo naturaliter esset corruptus. Sed huic naturali ordinationi Deus curavit remedium per arborem vitae, ut homo sine ullo virium decremento longam et sanam vitam viveret in perpetua juventa.

Sic omnia haec sunt historica, id quod diligenter admoneo, ne incautus lector offendatur auctoritate Patrum, qui historiam relinquunt, et allegorias quaerunt. Ego Lyram ideo amo et inter optimos pono, quod ubique diligenter retinet et persequitur historiam; quanquam auctoritate Patrum saepe vinci pati-

tur, et nonnunquam illorum exemplo deflectit a proprietate sententiae ad ineptas allegorias.

Sed mirabilius est, quod dicitur de arbore scientiae boni et mali. Hic enim quaeritur, qualis ea arbor fuerit? cur sic dicta sit, et quid futurum fuerit, si haec arbor in Paradiso non fuisset? Augustinus et qui eum secuti sunt, recte dicunt, sic esse nominatam a futuro eventu. Adam enim sic erat conditus, ut, si quod naturae incommodum obtigisset, praesidium contra id haberet in arbore vitae, quae vires et perfectam sanitatem omni tempore servaret. Itaque absorptus totus in bonitate creatoris, si sic permansisset in innocentia, agnovisset Deum conditorem suum, et gubernasset bestias pro arbitrio suo sine omni molestia, imo cum summa voluptate. Omnia enim ejusmodi erant, ut non nocere sed extreme oblectare hominem possent.

Cum itaque sic esset conditus Adam, ut quasi ebrius esset laetitia erga Deum, et gauderet quoque in omnibus aliis creaturis, nunc conditur nova arbor ad discrimen boni et mali, ut haberet Adam certum signum cultus et reverentiae erga Deum. Nam cum omnia ei tradita essent, ut iis pro arbitrio frueretur, seu ad necessitatem seu voluptatem vellet, requirit tandem Deus ab Adámo, ut in hac arbore scientiae boni et mali reverentiam et obedientiam praestaret erga Deum, et hoc quasi exercitium cultus Dei retineret, ne ex ea quicquam gustaret.

Quae igitur hactenus a Mose dicta sunt, sunt vel naturalia, vel oeconomica, vel politica seu juridica, vel medica. Hoc autem theologicum est, quod Adae hic proponitur verbum de arbore hac, ut etiam secundum animalitatem haberet quoddam externum

signum colendi Dei, et praestandae obedientiae in externo opere. Sicut Sabbatum, de quo supra diximus, potissimum pertinet ad interiores et spirituales cultus praestandos, ad fidem, dilectionem, invocationem etc.

Sed recte instituta ratio hujus obedientiae externae, proh dolor, pessime cessit, sicut adhuc hodie videmus, verbum, quo nihil sanctius nec melius est, impiis esse scandalo. Baptismum instituit Christus, ut esset lavacrum regenerationis. Sed an non magnum scandalum inde excitatum est per sectas? An non misere tota doctrina de Baptismo depravata est? et tamen quid nobis magis necessarium fuit, hac ipsa institutione? Sic necessarium fuit, ut animalis homo etiam cultum animalem seu externum haberet, quo secundum corpus exerceretur in obedientia erga Deum.

Ita hic textus vere ad ecclesiam seu theologiam pertinet. Postquam enim Deus homini dedit politiam et oeconomiam, ac constituit eum in regem creaturarum, addito etiam praesidio ad haec corporalem vitam conservandam, arbore vitae, nunc ei quasi templum aedificat, ut colat Deum, ut Deo gratias agat, qui ista omnia sic benigne largitus est. Hodie in templis habemus altare, propter communionem Eucharistiae, habemus suggesta seu cathedras ad docendum populum. Haec non necessitatis tantum causa, sed etiam solennitatis facta sunt. Sed templum, altare et suggestum Adae fuit arbor haec scientiae boni et mali, in qua praestaret Deo debitam obedientiam, in qua agnosceret verbum et voluntatem Dei, ac Deo ageret gratias, imo etiam, ad quam invocaret Deum contra tentationem.

Ratio irascitur quidem, quod ista arbor est condita, quia in ea peccavimus et incidimus in iram Dei et mortem. Sed cur non eadem ratione irascitur, quod per Deum ostensa lex, et patefactum deinde per Filium Dei evangelium est? An non enim infinita scandala errorum et haeresium inde secuta sunt? Discamus itaque, necesse fuisse homini sic condito, ut omnes reliquas creaturas viventes in manu haberet, ut agnosceret creatorem suum, ut ageret creatori suo gratias, ut etiam externum aliquem cultum et certum opus obedientiae haberet. Si itaque Adam non esset lapsus, fuisset haec arbor ceu commune templum et basilica quaedam, ad quam homines confluxissent, sicut postea in corrupta natura certus locus cultui divino destinatus est, tabernaculum et Hierusalem. Nunc postquam haec arbor occasio fuit tam horrendi lapsus, vocatur recta a Mose arbor scientiae boni et mali, propter infelicem et miserabilem eventum.

Potest autem hic quaeri, an una tantum fuerit arbor, an vero plures, et an scripturae modo singulare accipiatur pro plurali, sicut nos collective vocamus pirum, pomum, notantes speciem, et non individua? Mihi sane non valde absurdum videtur, ut intelligamus arborem vitae certum spatium in medio Paradisi, et ceu nemus quoddam, in quo positae plures arbores ejusdem speciei arbor vitae dictae sint. Sic arborem scientiae boni et mali etiam possibile est collective dici lucum seu nemus, quod fuit tanquam sacellum quoddam, in quo fuerunt arbores multae ejusdem speciei, nempe arbores scientiae boni et mali, ex quibus Dominus prohibuit, ne quid comederet Adam; alioqui futurum, ut morte moreretur, non

quod natura hujus arboris fuerit occidere, sed quo per verbum Dei sic pronuntiatum erat, quod verbu omnibus creaturis tribuit suam efficaciam, et conse vat etiam omnes creaturas, ne degenerent, sed ut ce tae serventur species in infinita propagatione. Si verbo factum est, ut petra in deserto daret largissi mas aquas, ut aëneus serpens adspicientes sanaret etc Ad hunc modum haec una arbor, seu ista certa spe cies plurium arborum in medio Paradisi occidit Ada mum, non parentem verbo Dei, non quidem sua na tura, sed quia per verbum Dei sic erat definitum. Idem sentiamus de ligno vitae quoque, quo jussit Deus Adamum vesci, quoties vellet restaurari vires; virtute verbi id praestabat arbor.

Rationi valde videtur ridiculum, quomodo unum pomum sic potuerit esse noxium, ut totum genus humanum per infinitam quasi successionem perdiderit, idque aeterna morte. Sed pomi haec non fuit virtus; Adam quidem in pomum figit dentes; revera tamen figit dentes in aculeum, qui erat prohibitio Dei et inobedientia erga Deum. Haec est vera causa mali, scilicet, quod contra Deum peccat, ejus mandatum negligit, et paret Satanae. Fuit arbor scientiae boni et mali bona arbor, quae nobilissimos protulit fructus. Sed quia prohibitio accedit, et homo prohibitioni non paret, fit quovis veneno magis noxia.

Sic quia verbo Dei sancitum est, ne fureris, peccat, quisquis alienam rem attrectat. In Aegypto cum Iudaei argentum à vicinis petere, et id secum auferre juberentur, non fuit id peccatum; excusantur enim mandato Dei, cui in omnem eventum debetur obedientia. Procus cum amat puellam, et concupiscit eam in uxorem ac ducit, non committit adulterium, cum

tamen lex prohibeat concupiscentiam. Nam matrimonium divinitus institutum est, et mandatum iis, qui sine matrimonio non possunt caste vivere. Eadem plane ratio est harum arborum: arbor vitae vivificat virtute verbi promittentis, et sic ordinantis; arbor scientiae boni et mali occidit virtute verbi prohibentis.

Habet autem nomen scientiae boni et mali, sicut Augustinus dicit, quia, postquam in ea peccavit Adam, non solum vidit et expertus est, quid boni amiserit, sed etiam, in quantam miseriam per inobedientiam suam conjectus sit. Fuit itaque per se bona arbor, sicut etiam mandatum, quod additum est, bonum fuit, ut esset Adae arbor cultus divini, in qua probaret Deo etiam externo opere obedientiam. Sed propter peccatum sequens fit arbor maledictionis. Iam quadam digressione Moses latius describit hortum.

Et fluvius egrediebatur de Eden ad irrigandum hortum, qui inde dividitur in quatuor capita.

Iterum erravit noster interpres, cum ex proprio nomine Eden facit appellativum, sicut etiam hic iterum reprehendendi sunt Origenes et ejus sequaces, qui allegorias fingunt. Nam revera sic accidit, ut habuerit Eden magnum flumen, quo irrigatus est hortus. Id flumen ab oriente exiens divisit se in quatuor partes, ne qua pars horti esset non irrigua. Nam cogitandum est de amplissimo spatio terrae, quod hic hortus sic erat conditus, ut Adae et toti ejus posteritati, quae maxima futura erat, esset propria et perpetua habitatio.

Nomen uni Pison, ipse est, qui circuit omnem terram Hevila, ubi nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est ibique invenitur Bdellium et lapis Onychinus.

Hoc est unum de maximis scandalis in Mose neque enim res, quae ad oculum sunt, negari possunt. Nam haec descriptio ad Indiam pertinet proprie, quam Hevilam vocat, ubi est Pison seu Ganges. Reliqui tres fluvii Gyhon, Hidekel et Phrath, hoc est, Nilus, Tigris et Euphrates quoque noti sunt, quod longissime distent fontibus. Quaestio igitur est, cum constet, longissime inter se remotos esse hos fluvios, toti mundo notissimos, quomodo verum sit, quod Moses dicit, ab uno fonte eos manare, hoc est, in Eden horto ad orientem scaturire? Nam de Nilo, etsi origo ejus nescitur, tamen certa argumenta sunt, eum oriri in plaga meridionali. Ganges autem, Tigris et Euphrates ab aquilone fluunt, et contrarium habent ortum.

Ergo Moses evidentissime contra sensum pugnat. Atque haec res multis occasionem dedit, ut fingerent, Eden fuisse totum orbem terrarum. Sed hoc cum palam falsum sit, tamen nec sic quidem salvatur Mosi sententia, qui dicit, horum fluviorum eundem fontem esse. Etsi autem verisimile sit, si Adam mansisset in innocentia, post multiplicatam ejus posteritatem Deum hortum hunc fuisse amplificaturum, tamen nullo modo hoc potest dici, quod tota terra fuerit Eden. Textus enim diserte separat hortum Eden a reliqua terra. Quid igitur dicemus ad hunc Mosi locum, pugnantem cum sensu et experientia, atque ideo plenissimum scandali, unde Origeni et aliis prae-

bita: occasio est mirabilia fabulandi? Quidam interpretes hoc scandalum dissimulant, et quasi sicco pede per mare hoc ambulant. Sed debet hoc quoque ab interprete abesse.

Mea igitur haec sententia est, quam etiam supra ostendi, quod primum Paradisus per peccatum homini clausa, deinde per diluvium tota vastata, sit et disjecta, ut jam nullum ejus appareat vestigium. Nam sicut supra quoque dixi, omnino existimo, Paradisum post Adae lapsum exstitisse, et notam fuisse posteritati ejus, sed tamen inaccessibilem propter custodiam Angeli, qui cum gladio flammeo hortum custodivit, ut textus dicit. Sed diluvium omnia vastavit, sicut scriptum est, ruptos esse omnes fontes et abyssos. Quis igitur dubitet, etiam hos fontes ruptos et confusos esse? Sicut itaque post diluvium montes sunt, ubi antea agri in amoena planitie fuerunt, ita quoque non est dubium, nunc esse fontes, ubi antea nulli fuerunt, et e contra. Tota enim terrae facies mutata est. Nec dubito ego, reliquias diluvii esse, quod, ubi fodinae metallicae nunc sunt, ibi non raré reperiuntur ligna durata in saxum. In ipsis saxis conspiciuntur formae variae piscium et aliarum bestiarum. Sic credo, mare mediterraneum ante diluvium non fuisse intra terram, sed per diluvium ei esse factam viam hanc, in qua nunc consistit. Sic spatium rubri maris sine dubio antea fuit fecundus ager, et, ut verisimile est, portio aliqua hujus horti. Sic reliqui sinus, Persicus, Arabicus, etc. existunt, ex reliquiis diluvii.

Non igitur existimandum est, fluviorum horum esse hodie eundem fontem, qui tum fuit, sed, sicut terra adhuc est et profert arbores, herbas etc., haec

si ad incorruptam naturam referas, sunt quasi reliquiae miserabiles illarum opum, quas terra tum condita habuit; ita hi fluvii tanquam reliquiae manent, sed non in eodem plane loco, multo minus ex iisdem fontibus. De nostris corporibus quantum per peccatum periit? Loquendum itaque de tota natura post corruptionem est, tanquam de nova facie rerum, quam natura primum per peccatum, deinde per universale diluvium induit.

Ac adhuc ita solet Deus; cum peccata punit, simul etiam maledicit terram. Itaque apud Zoph. (1,3.) minatur, se congregaturum pisces maris et volatilis coeli. Sicut nostro seculo multi amnes minus piscium habent, quam majorum memoria. Minus frequentes sunt aviculae etc. Sic apud Esaiam cap. decimo tertio est de Babylone quoque. Quando enim homines auferuntur, etiam bestiae agri discedunt, nec quidquam remanet, praeter monstra et infaustas feras. Sic terra Canaan olim fertilissima, nunc dicitur plena esse salsuginis, sicut Psalmus 107. minatur. Si hoc accidit in particularibus poenis, quid putabimus, illam universalem poenam fecisse?

Nemo ergo offendatur hoc scandalo, quod audit Mosen dicere, ex eodem fonte flumina quatuor oriri, quae hodie longissime inter se distant, et diversos fontes habent. Neque enim cogitandum est, mundi eandem formam esse hodie, quae fuit ante peccatum. In ea opinione cum esset Origenes, ad ineptissimas allegorias se convertit.

Est quidem Nilus adhuc, est adhuc Ganges, sed sicut Virgilius de eversa Troja dicit: „Et campus, ubi Troja fuit". Si quis enim Nilum et alios fluvios vidisset in sua prima conditione et gloria, longe vi-

dinet esse alios. Iam non solum non est origo eadem, nec qualitas, sed nec cursus idem; sicut aliae quoque creaturae omnes deformatae et corruptae sunt. Ideo Petrus Actor. tertio (v. 21.) dicit: „Oportet Christum coelum accipere, usque ad tempus restitutionis omnium". Significat enim, sicut Paulus quoque dicit, totam creaturam vanitati subjectam esse, et sperari restitutionem omnium, non solum hominis, sed coeli, terrae, solis, lunae etc. (Rom. 8, 20.).

Sic igitur respondeo ad hunc locum, esse Nilum, Gangem, et caeteros fluvios, sed non tales, quales fuerunt. Neque enim fontes solum confusi, sed etiam qualitas mutata est, sicut homo habet quidem pedes, oculos, aures, sicut in Paradiso hac forma est conditus, sed haec ipsa membra miserrime corrupta et deformata sunt post peccatum. Habuit Adam ante peccatum clarissimos oculos, tenerrimum et subtilissimum odoratum, corpus ad generandum aptissimum et obedientissimum. Sed hodie quantum absunt membra nostra ab isto vigore? Eadem ratio est istorum fluminum, si ad primam eorum originem respicias, et totius creaturae.

Exspectamus igitur jam restitutionem omnium rerum, non solum animae, sed corporis quoque, quod ipsum melius et nobilius in illa die habituri sumus, quam in Paradiso fuit. Non enim collocabimur in animalem vitam, sua natura alterationi obnoxiam, sed in spiritualem, in quam Adam quoque fuerat transferendus, si sine peccato vixisset. Ad hanc spem nos deducit Christus, qui innocentiam restituit nobis per remissionem peccatorum, et facit nostram meliorem conditionem, quam Adae conditio in Paradiso fuit.

Verbum סָבַב, quo hic Moses utitur, habet ple-

nam significationem; significat enim circuire, sicut vigiles circumeunt in civitate. Pison itaque seu Ganges adhuc hodie est, si nomen spectes; sin amoenitatem, fecunditatem vires et cursum, vix reliquiae sunt istius generosi fluminis.

Terra Hevila est India, sita ad orientalem plagam. Hanc scriptura tum hoc in loco, tum alibi celebrat propter opulentiam, sicut adhuc hodie gemmae et aurum Indicum habentur pro nobilissimis. Existimo autem, sicut Moses hic loquitur, includi in appellationem Hevila, quam hodie vocamus felicem Arabiam et alia vicina loca.

Quod de Bdellio et Onychino lapide dicit, accipio speciem pro genere. Nam adhuc hodie videmus, non istis tantum gemmis, sed aliis quoque abundare, Smaragdis, Rubinis, Sapphiris, Turcis, Adamantibus (nam vulgares appellationes retineo). Sed hic iterum revoco vos ad id, quod ante dixi. Si quidem enim tanta opulentia divinitus huic terrae donata adhuc est, quanto putabimus eam feliciorem et opulentiorem fuisse ante peccatum? Nam quae hodie habemus, vix reliquiae merentur dici.

Nomen secundi fluvii Gihon; ipse est, qui circuit omnem terram Aethiopiae. Nomen fluminis tertii Hidekel. Quartus autem fluvius ipse est Phrath.

Reliqua tria flumina tantum nominat. Gihon est Nilus. Is quia per Aegyptum labitur, complectitur Moses nomine Chus seu Aethiopiae Aegyptum quoque. Hidekel est Tigris, omnium rapidissimus fluvius. Quartus, inquit, est ipse Phrath, scilicet vicinus nobis.

Ita hoc in loco habemus Paradisum descriptum cum suis fluminibus, sed jam penitus amissam, de qua nihil amplius exstat, nisi quatuor haec flumina corrupta et quasi leprosa, primo per peccatum hominis, deinde per diluvium.

Iam perget Moses exponere, quomodo, antequam Heva esset condita, Adae data lex sit, ut haberet etiam externum cultum, quo declararet obedientiam et gratitudinem erga Deum.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in hortum Eden, ut operaretur et custodiret eum.

Postquam Deus universum orbem terrarum varie ornavit, deinde etiam paravit hortum Eden, quem voluit esse habitationem et sedem regiam hominis, cui imperium in omnes bestias demandaverat, nunc hominem in hortum illum collocat, tanquam in arcem et templum, ex quo liberum fuit egredi, et in reliqua terra, quae et ipsa fecundissima fuit et amoenissima, spatiari, et cum animalibus ludere, quoties vellet.

Mandat autem Adae duplicem curam, ut operetur seu colat hortum hunc, et etiam, ut tueatur ac custodiat. Hujus mandati in miseris reliquiis, quas nos habemus, quaedam vestigia manent. Nam adhuc hodie haec conjuncta esse debent, ut terra non tantum colatur, sed ut, quae culta sunt, defendantur quoque. Sed infinitis modis utrunque deformatum est. Non enim cultus solum, sed defensio quoque plenissima est omnis generis molestiarum et miseriarum. Quae autem ejus rei causa sit, infra in tertio capite satis ostendetur. Ibi enim videbimus, operationem hanc

terrae perturbatam et defoedatam esse spinis, tribulis, sudore vultus et infinita miseria. Nam ut de victu parando taceam, quantum difficultatis, laborum et molestiarum in eo est, ut infantem educes?

Si igitur Adam mansisset in innocentia, coluisset terram, plantasset areolas aromatum, non solum sine molestia, sed quasi per lusum et cum summa voluptate. Nati liberi non ita diu usi lacte materno; forte statim, sicut in gallinarum pullis videmus, *se* conjecissent in pedes, et quaesivissent victum sine parentum labore ullo. Nunc videtis, quanta sit miseria nostrae originis.

Si de victu disputes, non solum eum communem nobiscum habent bestiae, sed homines hominibus eum subducunt, et per fraudem furantur. Ideo muris, sepibus et aliis munitionibus opus est, et tamen aegre servari possunt, quae magno labore coluisti. Ita reliquam habemus operationem, sed longe dissimillimam illi priori, non solum, quod cum summa molestia conjuncta est, sed etiam, quod terra quasi invita et parce dat, quae Adamo cum summa voluntate dedisset, et in maxima copia, sive intra hortum, sive extra in reliqua terra seminasset. Nullum fuisset periculum a furibus et homicidis; omnia fuissent in tuto.

Videmus igitur etiam hac in parte, quantum malum sit peccatum originis, cum inspicimus spinas, sentes, sudorem vultus, etc. Sicut enim homo per peccatum in spiritu cecidit, sic etiam in corpore cecidit in poena. Nam labor est poena, qui in statu innocentiae fuisset ludus et voluptas. Ac nunc in ista naturae miseria experimur, si quis amoenum hortum habet, quod neque serere, nec plantare, nec fodere

labor

labor est, sed fit cum studio et voluptate quadam; quanto id in horto isto in statu innocentiae fuisset perfectius? Prodest autem hic quoque admonere, quod homo non ad otium, sed ad laborem, etiam in innocentiae statu, conditus est. Quare merito otiosum vitae genus damnatur, quale Monachorum et Monialium est.

Sicut autem de labore seu operatione diximus, eam sine molestia futuram fuisse, ita quoque defensio seu custodia fuisset jucundissima, quae nunc plenissima periculi est. Uno verbo, imo nutu etiam ursos et leones fugasset Adam. Hodie habemus quidem defensionem, sed plane horribilem. Opus enim est ad eam gladiis, hastis, bombardis, muris, sepibus, fossis, et tamen vix possumus cum nostris in tuto esse. Obscura igitur et paene evanida vestigia exstant tum operationis, tum custodiae.

Alii exponunt hunc locum ita, quod Deus debeat operari et defendere. Sed textus loquitur simpliciter de opere et custodia humana, sicut infra dicitur, Cain fuisse agricolam, et in Hiob et Ecclesiaste vocantur reges cultores terrae, non solum propter operationem, sed etiam propter custodiam. Sed, sicut dixi, operari et custodire sunt tristia et difficilia vocabula: tum fuerunt ludus quidam et summa hominis voluptas.

Praecepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas.

Haec est institutio ecclesiae, antequam esset oeconomia et politia; nam Heva nondum est condita. Instituitur autem ecclesia sine muris et sine pompa aliqua, in loco spatiosissimo et amoenissimo. Post

institutam ecclesiam etiam oeconomia constituitur cum Adae additur socia Heva. Sic templum prius est quam domus, sicut etiam potius est. Politia autem ante peccatum nulla fuit; neque enim ea opus fuit; est enim politia remedium necessarium naturae corruptae; oportet enim cupiditatem constringi vinculis legum et poenis, ne libere vagetur. Ideo politiam recte dixeris regnum peccati, sicut Paulus Mosen quoque vocat ministrum mortis et peccati (Rom. 8, 2.). Hoc enim unum et praecipuum agit politia, ut peccatum arceat, sicut Paulus dicit (Rom. 14, 4.): „Potestas gerit gladium in vindictam malorum". Si igitur homines non essent per peccatum mali facti, politia nihil fuisset opus, sed Adam vixisset cum posteris suis in summa tranquillitate, ac plus effecisset moto uno digito, quam nunc omnes gladii, cruces, secures possunt efficere. Nullus fuisset tum raptor, homicida, fur, obtrectator, mendax; quid igitur legibus, quid politia fuisset opus? quae est ceu cauterium et horribilis medicina, per quam noxia membra praescinduntur, ut reliqua salventur.

Adae igitur in Paradiso post ecclesiam etiam oeconomiae administratio esset *) demandata. Ideo autem ecclesia primo instituitur, ut ostendat Deus hoc quasi signo, hominem ad alium finem esse conditum, quam reliqua animantia. Quia enim instituitur verbo Dei, certum est, quod sit conditus ad immortalem et spiritualem vitam, ad quam raptus seu translatus esset Adam sine morte, postquam in Eden et reliqua terra ad satietatem, et tamen sine molestia vixisset. Non fuisset in eo illa foeda libido, quae nunc est, fuisset simplex et purus amor sexus ad sexum. Ge-

*) Fort. est

neratio exstitisset sine vitio, tanquam obedientia quaedam. Matres sine dolore peperissent: infantes non sic misere et magno cum labore essent educati.

Sed quis illam innocentiae gloriam, quam amisimus, potest verbis consequi? Manet quidem in natura appetitus masculi ad feminam, item fructus generationis, sed cum horribili foeditate libidinis et ingenti dolore partus. Accedunt pudor, turpitudo, confusio, etiam inter conjuges, quoties licita consuetudine frui volunt. Adeo ubique praesens est peccati originalis gravissimum malum. Bona quidem est creatio, bona benedictio, sed per peccatum sic sunt haec corrupta, ut sine pudore conjuges non possint iis uti. Haec omnia in innocentia Adae non fuissent, sed sicut sine pudore conjuges simul edunt et bibunt, ita fuisset honestas singularis, non pudor, non confusio in generatione et partu. Sed redeo ad Mosen.

Instituitur hic, ut dixi, ecclesia, antequam oeconomia esset. Nam Dominus concionatur hic Adae, et proponit ei verbum. Id etsi breve est, tamen dignum est, in quo immoremur paululum. Haec enim concio, Adae et omnibus nobis, si in innocentia perstitisset, fuisset tanquam biblia, nec opus habuissemus papyro, atramento, calamis et illa infinita multitudine librorum, qua hodie indigemus, nec tamen millesimam partem ejus sapientiae consequimur, quam Adam habuit in Paradiso. Totum studium sapientiae haec brevis concio absolvisset, ac ostendisset nobis tanquam in tabula pictam bonitatem Dei, qui sine illis incommodis naturam hanc creasset, quae postea per peccatum sunt consecuta.

Hanc concionem si, ut textus ostendit, Adam solus audivit, sexta die habita est, ac Adam eam po-

stea cum Heva communicavit. Et nisi peccasse Adam porro toti posteritati hoc unicum praecepti proposuisset, et exstitissent inde optimi theologi, doctissimi jureconsulti et expertissimi medici. Hodie librorum infinitus est numerus, in quibus instituunt theologi, jureconsulti, medici, sed quicquid adji libris discimus, vix faeces merentur dici comparatione illius sapientiae, quam ex hoc unico verbi hausit Adam: sic omnia per peccatum originis sunt corrupta.

Haec igitur arbor scientiae boni et mali, seu locus, in quo magno numero hujusmodi arbores fuerunt consitae, fuisset ecclesia, ad quam Adam cum posteritate sua die Sabbato convenisset, et post refectionem ex arbore vitae praedicasset Deum, et laudasset eum pro tradito dominio omnium creaturarum super terram. Sicut Psalmus 148. et 149. quandam formam talis gratiarum actionis proponunt, ubi sol, luna, stellae, pisces, dracones jubentur laudare Dominum. Quanquam nullus tam eximius est *Psalmus*, quo non unusquisque nostrum meliorem et perfectiorem potuisset componere, si in innocentia *ab* Adamo propagati essemus. Praedicasset Adam summum beneficium, quod esset cum posteritate sua *conditus* ad similitudinem Dei. Hortatus esset, ut sancte et sine peccato viverent posteri, ut operarentur fideliter in horto, ac custodirent eum diligenter, ut summo studio caverent sibi ab arbore scientiae boni et mali. Hunc externum locum, ritum, verbum, cultum habuisset homo, postea rediisset ad operationem et custodiam, donec praefinitum tempus impletum esset, quo esset translatus in coelum cum summa suavitate.

Sed loquimur de his bonis, tanquam de thesauro perdito, et merito suspiramus ad eum diem, in quo restituentur omnia. Utile tamen est meminisse tum bonorum, quae amisimus, tum malorum, quae sustinemus, et in quibus miserrime vivimus, ut excitemur ad exspectationem illam redemptionis nostrorum corporum, de qua Apostolus loquitur Rom. 8. Nam quod ad animam attinet, sumus per Christum liberati, et eam liberationem retinemus in fide, donec reveletur.

Utile autem est, ut hoc quoque consideremus, Deum Adae verbum, cultum et religionem dedisse nudissimam, purissimam et simplicissimam, in qua nihil laboriosum, nihil sumptuosum fuit. Non enim praecipit mactationem taurorum, non fumum turis non vota, non jejunia, non alias afflictiones corporis; hoc tantum vult, ut laudet Deum, ut gratias ei agat, ut laetetur in Domino, et ei in hoc obediat, ne ex vetita arbore comedat.

Hujus cultus reliquias habemus aliquo modo per Christum restitutas in hac carnis nostrae infirmitate, quod nos quoque laudamus Deum, et gratias ei agimus de omni benedictione spirituali et corporali. Sed vere nihil haec sunt quam reliquiae. Cum autem post hanc miseram vitam veniemus ad choros Angelorum, tum sanctius et purius hos cultus praestabimus. Sic sunt reliquiae hujus felicitatis, quod per conjugium cavemus et vitamus adulteria, quod haec corporalis vita non solum victum, quanquam laboriosum, habet, sed etiam custodiam et defensionem aliquam contra incommoda varia, quibus alioqui opprimeremur. Reliquiae hae sunt, sed profecto miserae reliquiae, si ad primam conditionem respicias.

Porro hic monendi estis contra Pseudoprophetas, per quos Satan sanam doctrinam varie conatur depravare. Recitabo autem exemplum meae historiae, quomodo a fanatico spiritu sub initio hujus doctrinae sim vexatus. Habet quidem textus verbum praecipiendi וַיְצַו יְהוָה et praecepit Dominus, et tamen ille sic colligebat: Iusto non est lex posita; Adam fuit justus; ergo Adae justo non est lex posita. Ex hoc postea illud nectebat, hanc non legem, sed tantum admonitionem esse. Porro quia praevaricatio non est, ubi lex non est, eo sensim ferebatur, ut negaret peccatum originale. At in ista sententiarum connexione magnos agebat triumphos, tanquam qui thesaurum toti mundo hactenus incognitum reperisset. Utile autem est, videre Satanae molimina, ut eis prudenter discamus obviam ire.

Ambae sententiae sunt Pauli, quod justo non sit lex posita, et quod, ubi lex non est, ibi quoque non sit transgressio. Sed boni dialectici est observare dolos ac studium Diaboli, quod postea etiam ejus mancipia, miseri sophistae, usurpant. Nituntur quidem scriptura; nam ridiculum esset, nihil praeter sua somnia hominibus obtrudere; sed eam non integram producunt, semper ea arripiunt, quae in speciem pro ipsis faciunt, hoc autem, quod contra ipsos est, aut callide dissimulant, aut vafris glossematis depravant. Sic cum Satan Christum audiret niti fiducia misericordiae Dei in magna fame, conabatur eum ad prohibitam fiduciam, hoc est, ad tentandum Deum inducere. Utebatur sententia Psalmi (91, 11. 12.) sibi commoda: „Mandavit Angelis suis de te, ut portent te in manibus, et non offendas ad lapidem pedem tuum. Hoc autem, quod contra Satanae institu-

tum erat, quod scilicet custodia haec Angelorum esset in viis nostris, seu vocatione nostra, id callide dissimulabat. In eo enim totius argumenti solutio est: nempe, quod Angeli custodes nostri sunt, sed in nostris viis. Hanc solutionem Christus erudite ostendit, cum opponit praeceptum: „Non tentabis Dominum Deum tuum". Significat enim, hominis viam non esse volare in aëre, (ea enim volatilium via est) sed gradus, qui erant de tecto templi ad id facti, ut facilis, et sine periculo descensus esset. Cum ergo sumus in vocatione et officio, sive mandato divinitus, sive per homines, qui vocationis legitimum jus habent, ibi credamus praesidium Angelorum non defuturum nobis esse.

Haec utilis regula est, quoties cum fanaticis est disputandum. Nam incauti falluntur, cum homines vafri suo more aut a divisis ad conjuncta transferunt orationem, aut utuntur fallacia compositionis et divisionis, nec integras adducunt sententias.

Idem in hoc argumento fit, cum sic colligitur: Iusto non est lex posita; Adam fuit justus; ergo ei non fuit posita lex, sed tantum admonitio quaedam fuit. Qui hic non bene prudens et cautus est, irretitur praeter suam exspectationem in horribilem conclusionem, quod ne quidem peccatum fuerit de pomo illo comedere, si quidem non lex fuit. Verum enim est, ubi non est lex, ibi non est transgressio.

Atque haud scio, an non etiam nostro tempore quidam hoc ipso argumento decepti sint. Sic enim de peccato originali loquuntur, ac si non sit culpa, sed tantum poena. Sicut Erasmus quoque alicubi disertis verbis disputat, esse peccatum originale poenam inflictam parentibus primis, quam nos posteri

quoque cogimur sustinere propter alienam culpam sine nostro merito, quemadmodum puer ex scorto natus cogitur sustinere infamiam, non sua culpa sed matris. Quid enim peccavit, qui nondum fuit? Ah blandiuntur haec rationi, sed sunt plena impietati et blasphemiae.

Quod igitur est vitium hujus syllogismi? Hoc scilicet commune, quod textus non est integre citatus, sed cum summa perfidia mutilatus. Nam textus integer sic habet: Non est lex justo posita, sed homicidis, adulteris etc. Ex hoc quid aliud sequitur, quam quod Paulus loquatur de ea lege, quae post peccatum est lata, et non de hac lege, quam tulit Dominus, cum Adam adhuc esset integer et justus. Justo, inquit, lex non est lata; ergo sequitur irrefragabiliter, legem latam esse naturae nocenti et peccatrici.

An non autem ingens scelus est, sic confundere in gravissimis causis sententias? Adam post peccatum non est, qui fuit ante peccatum in statu innocentiae, et tamen isti nullum discrimen faciunt inter legem ante peccatum et post peccatum latam. Sed quod Paulus dicit de lege, quae post peccatum subintravit, mendaciter et cum blasphemia transferunt ad legem in Paradiso latam. Nisi enim peccatum exstitisset, illa lex peccatum prohibens etiam non exstitisset, sicut supra dixi, politia et legibus ceu cauterio et, ut Paulus vocat, paedagogo non fuisse opus in integra natura. Puer quia malus est, opus habet paedagogo et virga. Sic quia princeps habet inobedientes cives, lictoribus et carnificibus opus est. De tali lege proprie Paulus loquitur, qua post naturam peccato corruptam opus fuit.

Dixi autem supra quoque, cur hoc mandato de arbore scientiae boni et mali opus habuerit Adam; nempe ut esset externus cultus, et opus obedientiae externum erga Deum. Sic Angelus Gabriel est sine peccato, purissima et innocens creatura, et tamen accipit a Deo mandatum, ut Danielem de maximis rebus doceat, ut virgini Mariae nuntiet, quod futura sit mater Christi promissi patribus. Haec sunt vere praecepta, quae innocenti naturae proposita sunt. Sic Adae hic praecipitur a Domino ante peccatum, ne edat de ligno scientiae boni et mali, id quod libenter et summa cum voluptate fecisset, si fuisset absque fraude Satanae. Sed Paulus de alia lege loquitur; clare enim dicit, se loqui de lege, quae est posita non justis, sed injustis. Quis jam tam aut stupidus, aut insanus est, qui inde velit colligere, Adae non esse positam legem, cum audiat, Adam esse justum? Nihil enim aliud inde sequitur, quam legem, quae injustis est posita, eam legem non esse positam justo Adae. Cum autem Adae justo posita lex sit, sequitur, eam esse aliam legem, quam quae posthac injustis est posita.

Est itaque in hoc argumento vitium compositionis et divisionis, quia mutilus textus adducitur. Deinde est ibi duplex aequivocatio, prima in eo, quod aliud est lex ante peccatum, et aliud post peccatum; secunda, quod justus quoque non eodem modo dicitur post peccatum, et ante peccatum. Haec utile est observare, et artes hoc modo transferri debent ad usum in gravibus disputationibus. Non enim ad illas otiosas contentiones in scholis excogitatae sunt, sed ut gravissima negotia per eas recte possint explicari. Sicut hoc ipso argumento Satan magnam

nem agit, ut peccatum originale neget. Atqui h vere est negare passionem et resurrectionem Chri Nihil ergo impediat nos Pauli sententia, quin cu Mose statuamus, Adae justo esse positam legem, de ligno scientiae boni comederet, sicut Angelis da tur mandata. Hoc mandatum quia transgressus e peccavit, et peccatores postea ex se propagavit.

Quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

Haec comminatio tam diserte addita etiam ar guit, legem Adae esse positam. Deinde ostendit hoc quoque, Adam esse conditum in statu innocentiae seu justum; nondum enim erat peccatum, quia Deus peccatum non creavit. Si itaque Adam paruisset huic mandato, nunquam esset mortuus; nam mors per peccatum venit. Reliquae igitur arbores Paradisi omnes in hoc fuerunt conditae, ut adjuvarent et conservarent homini animalem vitam integram et sine ullo incommodo.

Mira autem hodie nobis res est, esse animalem vitam, sine morte et sine omnibus accidentibus mortis, qualia sunt morbi, pustulae, foetidae superfluitates in corporibus etc. Nulla enim pars corporis fuit sordida in statu innocentiae; non fuit foetor in excrementis, non aliae foeditates, sed omnia fuerunt pulcherrima, sine ulla offensione organorum sensuum, et tamen fuit animalis vita. Comedebat Adam, concoquebat, digerebat, fecisset alia, si sic permansisset, quae animalis vita exigit, donec tandem esset translatus ad spiritualem et aeternam vitam.

Nam hoc quoque per peccatum amisimus, quod nunc inter praesentem et futuram vitam tam horri-

ille medium est, mors scilicet. In statu innocentiae mansisset id medium iucundissimum, quo ad spiritualem vitam translatus esset Adam, seu, ut Christus in Evangelio appellat, ad Angelicam vitam, in qua animales actiones cessant. Non enim in resurrectione mortuorum edemus, bibemus, nuptias contrahemus etc. Animalitas haec cessasset, et spiritualis vita esset consecuta, sicut nos quoque beneficio Christi credimus consecuturam esse. Esset exutus puerili gloria, et indutus coelesti, esset exutus inferioribus actionibus, quae tamen purae et non molestae fuissent, sicut nunc sunt post lapsum, et de innocentia, ut sic dicam, puerili esset translatus in innocentiam virilem, qualem habent Angeli, et nos quoque habituri sumus in futura vita.

Nam puerilem innocentiam ideo voco, quia fuit, ut sic dicam, medius Adam, qui tamen poterat decipi per Satanam, et cadere in illam calamitatem, in quam cecidit. Tale periculum lapsus non erit in illa perfecta innocentia, quae erit in futura et spirituali vita. Atque hoc significat etiam poenae comminatio. Quacunque die comederis de ligno hoc, morieris. Quasi dicat: Potes quidem manere in vita, ad quam te condidi, et tamen non sic es immortalis, ut Angeli. Est vita posita ceu in medio; potes in ea manere, et postea rapi ad inamissibilem immortalitatem. Contra, si non parueris, mortem incurres, et immortalitatem amittes.

Ergo est magna differentia inter spiritualem Angelorum conditionem et Adae innocentiam. Angeli, ut nunc sunt, non possunt cadere; Adam autem potuit cadere. Fuit enim in tali statu, in quo poterat fieri immortalis, (erat enim sine omni peccato) et

quimur, definiemus, originalem justitiam dici, quod homo fuit justus, verax, rectus, non solum corpore sed magis animo, quod agnovit Deum, quod obedivit Deo cum summa voluptate, quod intellexit opera Dei, etiam non admonitus. Sicut illustre ejus rei exemplum est, cum Adam profundissimum somnum dormiret, et Deus ex costa ejus conderet Hevam, statim, ut evigilat Adam, agnoscit opus Dei dicens: „Hoc est os ex ossibus meis". Hic an non excellens intellectus est, statim primo obtuitu intelligere et agnoscere opus Dei?

Ad hanc originalem justitiam pertinet, quod insigni et purissimo affectu diligebat Adam Deum, et opera ejus, quod vivebat inter creaturas Dei in pace, sine timore mortis, sine omni metu morborum, quod habebat quoque corpus obedientissimum, sine malis affectibus et foeda libidine, quam nunc sentimus. Sicut pulcherrima pictura et certissima orginalis justitiae potest sumi a corruptione ista, quam jam in natura nostra sentimus.

Sophistae cum de peccato originis loquuntur, tantum de misera et foeda libidine seu concupiscentia loquuntur. Sed peccatum originale est vere totus lapsus naturae humanae, quod est intellectus obscuratus, ut non agnoscamus amplius Deum et voluntatem ejus, ut non animadvertamus opera Dei; deinde quod etiam voluntas mire est depravata, ut non fidamus misericordiae Dei, ut non metuamus Deum, sed securi, omisso verbo et voluntate Dei, sequimur concupiscentiam et impetus carnis; item, quod conscientia non amplius tranquilla est, sed cum de judicio Dei cogitat, desperat, sequitur et quaerit illicita praesidia et remedia. Haec peccata sic alte in

naturae infixa sunt, ut in hac vita non possint penitus evelli; et tamen miseri sophistae ne quidem verbo ea attingunt. Ad hunc modum (sicut correlativorum natura est) peccatum originale demonstrat, quid sit justitia originalis, et e contra, nempe quod est amissio justitiae originalis seu privatio, sicut caecitas est privatio visus.

Hoc longe patet latius, quam Monachi cogitant, qui justitiam originalem fere intelligunt de castitate. Anima inspicienda erat primum, postea etiam corpus coucupiscentia sic defoedatum. In anima autem praecipuum est, quod amissa est cognitio Dei, quod non ei ubique et semper gratias agimus, quod non delectamur ejus operibus et factis, quod non confidimus ei, quod, cum meritas poenas infligit, incipimus Deum odisse et blasphemare, quod, quando cum proximo agendum est, obsequimur cupiditatibus nostris, sumus rapaces, fures, adulteri, homicidae, crudeles, inhumani, immisericordes, etc. Est quidem furor libidinis pars quaedam peccati originalis. Sed majora sunt illa animi vitia, incredulitas, ignorantia Dei, desperatio, odium, blasphemia. Has calamitates spirituales Adam in statu innocentiae nescivit.

Deinde annumerandae hic sunt poenae originalis peccati. Nam originale peccatum recte vocatur, quicquid est deperditum de iis conditionibus, quas Adam, cum adhuc esset natura integra, habuit, quod fuit sagacissimo ingenio, ut qui Hevam statim intellexit carnem suam esse, et omnium creaturarum exactam notitiam habuit, quod fuit justus, rectus, intellectu praestanti, voluntate recta, et tamen imperfecta; nam perfectio differebatur post illam animalem vitam ad

spiritualem. Haec satis sint de illo textu, in quo ecclesia constituta est. Jam pergit Moses:

Dixit quoque Dominus Deus, non est bonum, hominem solum esse; faciam ei adjutorium, quod coram eo sit.

Ecclesiam habemus constitutam verbo et cultu certo. Politia nulla opus fuit, cum natura esset integra et sine peccato. Nunc etiam oeconomia instituitur. Facit enim Deus ex Adam solitario maritum, et adjungit ei uxorem, qua ad multiplicationem generis humani opus fuit. Sicut autem supra de conditione hominis admonuimus, deliberato consilio Adam esse conditum; ita hic quoque videmus, certo consilio condi Hevam, ut hic denuo ostendat Moses, hominem esse singularem creaturam, et pertinere ad participationem divinitatis et immortalitatis. Est enim homo praestantior creatura quam coelum, quam terra et omnia, quae in eis sunt.

Peculiariter autem de altera parte humanae naturae, hoc est, de femina voluit Moses admonere, quod singulari consilio Dei sit condita, ut ostendat, hunc quoque sexum pertinere ad istud genus vitae, quod Adam exspectabat, qui sexus servire debebat ad generationem. Hinc sequitur, nisi per serpentem mulier decepta esset et peccasset, eam in omnibus parem fuisse futuram Adae. Nam quod nunc viro subjecta est, ea poena est inflicta ei post peccatum, et propter peccatum, sicut aliae molestiae et pericula, labor partus, dolor, et infinitae aliae aerumnae. Non igitur ut hodie est mulier, ita tum fuit Heva; longe melior et praestantior fuit conditio, et in nulla re inferior Adamo, sive corporis, seu animi dotes numeres.

Sed

Sed hic quaestio est. Cum dicat Deus: Non est bonum hominem esse solum, de quonam bono loquatur, cum Adam esset justus, et muliere non haberet opus, sicut nos, qui carnem peccato leprosam habemus.

Respondeo, loqui Deum de bono communi seu speciei, non de bono personali. Personale bonum est, quod habet Adam innocentiam; sed commune bonum nondum habet, quod habebant reliqua animalia, quae propagabant speciem per generationem. Erat enim Adam adhuc solus, necdum habebat socium ad illud praeclarum opus generationis et conservationis suae speciei. Significat itaque bonum hoc in loco multiplicationem generis humani. Ad hunc modum, quantumvis innocens et justus Adam, nondum habebat illud bonum, ad quod erat conditus, nempe immortalitatem, ad quam, si in innocentia mansisset, suo tempore a Deo esset translatus. Sententia igitur est, quod Adam pulcherrima creatura, quod ad suam personam attinet, satis habet, sed deest ei adhuc aliquid, nempe donum multiplicationis et benedictionis, quia est solus.

Hodie, postquam natura peccato corrupta est, est mulier necessaria non solum ad multiplicationem, sed etiam ad vitae societatem et defensionem quoque. Nam ministerio muliercularum opus habet oeconomia. Imo, quod miserabile est, opus est muliere etiam ad remedium peccati. Itaque in muliere non solum oeconomiae ratio, sed etiam medicina considerari debet. Sicut Paulus (1. Cor. 7, 2.) dicit: „Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam". Et Magister sententiarum erudite dicit, conjugium in Paradiso esse institutum ad officium; post peccatum

autem ad remedium quoque. Itaque cogimur hoc sexu uti ad vitandum peccatum. Hoc quidem paene turpe dictu est, sed tamen verum est. Paucissimi enim sunt, qui tantum propter officium uxores ducunt.

At reliqua animalia istam necessitatem non habent; itaque maxima ex parte semel tantum in anno conveniunt, ac ea consuetudine sunt contenta, quasi re ipsa dicant, se propter officium convenire. Hominum alia ratio est; hi consuetudine uxorum in matrimonio coguntur uti, ut vitent peccatum. Ergo generamur, et nascimur etiam in peccatis, quia parentes non conveniunt tantum officii gratia, sed quoque remedii, seu peccati vitandi gratia.

Et tamen sub isto remedio, et in tam misero statu implet Dominus benedictionem, ut homines in peccato et cum peccato generentur. Hoc in Paradiso non sic fuisset. Nam generatio fuisset sanctissima, sine omni furore libidinis, qui nunc est, et essent filii nati in justitia et rectitudine originali. Statim non admoniti agnovissent Deum, praedicassent, gratias egissent, etc. Sed haec omnia nunc amissa sunt, et tamen expedit de his cogitare, ut teneamus discrimen aliquod ejus status, in quo nunc sumus, hoc est orginalis peccati, et ejus, in quo Adam fuit, seu originalis justitiae, quam speramus, cum omnia restituentur; Act. tertio (v. 21.).

De verbo „Faciamus" admonui, ideo singulari consilio Hevam condi, ut appareat, eam esse sociam immortalis et melioris vitae, quam reliquorum animantium est, qui tantum animalem vitam vivunt, sine spe aeternae vitae.

Quod Latinus habet: „Simile sibi", in Ebraeo est: „Quod sit coram eo". Distinguit autem hac

quoque voce feminam hominem a femellis omnium reliquorum animantium, quae non sunt coram suis maritis semper. Mulier autem sic condita est, ut sit coram suo marito ubique et semper. Sicut etiam Imperator vocat conjugum vitam individuam consuetudinem. Brutalis femina semel in toto anno virum requirit; postquam autem concepit, redit ad sua, et se curat, liberorum alio tempore natorum nullam habet curam, non cohabitat semper marito.

Sed conjugii inter homines est alia ratio. Ibi mulier sic addicitur viro, ut coram eo sit, ei cohabitet tanquam una caro. Ac si Adam in statu innocentiae permansisset, fuisset haec consuetudo mariti et uxoris suavissima; ipsum opus generationis quoque fuisset sanctissimum et reverendum. Non fuisset ille pudor ex peccato natus, qui nunc est, quod parentes tum coguntur se abdere in tenebras. Non minor fuisset in concumbendo honestas, quam est in capiendo somno, cibo, potu cum uxore.

An non igitur horribilis hic lapsus est? Revera enim nullum opus fuit praestantius et admirabilius in tota natura, quam generatio. Est enim post praedicationem nominis Dei summum opus, quod tam sine peccato Adam et Heva in statu innocentiae potuerunt facere, quam sine peccato erant laudaturi Deum. Hoc opus cum, sicut aliae primae conditionis miserabiles reliquiae, in natura adhuc maneat, quam horribiliter deformatum est? Honeste in publico coram ecclesia conjunguntur maritus et uxor, sed cum summo pudore etiam inter se soli conveniunt. Taceo nunc foeditatem, quae in carne haeret, bestialem scilicet appetentiam et pruritum; omnia haec sunt originalis peccati manifesta signa.

Adae itaque adjutorium fuit mulier; solus enim non potuit generare, sicut nec mulier sola generare potest. Porro amplissima haec sunt praeconia sexus quod masculus pater generationis, mulier autem mater generationis est et adjutorium mariti. Sed cum ad statum innocentiae respicimus, etiam generatio infinitis modis fuit melior, jucundior, sanctior.

Hodie multos invenias, qui vellent sibi nullos liberos nasci, atque haec plus quam barbarica immanitas et inhumanitas praecipue inter nobiles et principes invenitur, qui saepe a conjugio ea una ratione abstinent, ne habeant posteritatem. Longe foedius est, quod invenias principes, qui se cogi sinunt, ne ducant uxores, ne scilicet familia augeatur ultra modum. Profecto digni, quorum memoria deleatur de terra viventium. Quis enim haec porcina portenta non exsecretur? Sed ostendunt haec quoque peccatum originis; alioqui generationem admiraremur, tanquam summum opus Dei, et tanquam maximum donum ornaremus meritis laudibus.

Hinc nata etiam sunt convicia in sexum muliebrem, quae impius coelibatus auxit. Magnum autem beneficium est, quod Deus nobis quasi invitis et nolentibus servavit mulierem, tum ad generationem, tum etiam ad medicinam contra peccatum fornicationis. In Paradiso fuisset mulier adjutorium officii tantum; nunc etiam est et pro majore parte remedium et medicina, de qua sine pudore vix loqui possumus, certe sine pudore non possumus ea uti. Causa est peccatum. Nam in Paradiso congressus ille fuisset sine omni verecundia, tanquam opus a Deo conditum et benedictum; habuisset honestam voluptatem, qualis tum in cibo et potu fuit. Nunc, proh dolor,

est tam foeda et horribilis voluptas, ut a medicis comparetur cum epilepsia, seu comitiali morbo. Sic morbus verus cum ipso opere generationis conjunctus est. Sumus enim in statu peccati et mortis; ideo etiam poenas istas sustinemus, ut muliere sine horribili furore libidinis et tanquam morbo comitiali non possimus uti.

Idem accidit nobis propter peccatum etiam in spiritualibus donis. Etsi enim fidem habemus, et in fide vivimus, tamen dubitatione et sensu mortis carere non possumus. Has peccati originalis poenas bene viderunt et senserunt sancti Patres. Ideo scriptura quoque עֶרְוָה pudenda seu turpitudinem vocat.

Quae sequuntur, sunt quasi repetitio, ut Moses eo commodius deveniat ad descriptionem, quomodo mulier sit condita; ideo legenda sunt in praeterito plusquamperfecto.

Cum formasset Dominus Deus de humo cuncta animantia terrae, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea.

Quasi dicat, Deus certo et bene prius deliberato consilio voluit creare feminam; vidit enim omnes alias bestias habere adjutorium generationis, solus Adam non habuit. Adduxit itaque ad Adam omnia animantia; ea cum Adam singula suis nominibus notasset, nullum invenit sibi simile. Atque hic iterum admonemur de insigni cognitione et sapientia, quae in Adam fuit, qui creatus in innocentia et justitia, sine aliqua nova illuminatione, tantum naturae suae bonitate, intuetur omnia animalia et sic habet eorum cognitam naturam, ut singulis aptum et naturae ipsorum conveniens nomen indat. Hanc lucem merito

etiam dominium in omnes animantes secutum est, quod hic quoque ostenditur, cum ad arbitrium Adae vocantur. Uno verbo itaque leones, ursos, apros, tigrides, et quicquid est praestantiorum animalium, cogere potuit ad quaevis efficienda, quae naturae ejus conveniebant. Haec quoque per peccatum amisimus.

Itaque non mirum est, quod Dei nullam cognitionem habemus, cum etiam bestiarum naturas, cujus virtutis et efficaciae sint, non noverimus. Exstant varii libri, qui plantarum et bestiarum naturas describunt. Sed quanto tempore, quam longa observatione opus fuit, dum haec per experientiam ita colligerentur. Aliud in Adamo lumen fuit, qui statim, ut inspexit animal, totam ejus naturam et vires habuit cognitas, ac longe melius, quam nos, etiam cum totam vitam ad inquisitionem harum rerum conferimus. Haec cognitio in Adamo, sicut fuit donum Dei excellens, ita etiam Deo mire placuit, et grata fuit. Itaque jubet, ut hac cognitione utatur, et indat omnibus animantibus nomina.

Omne enim, quod vocavit Adam animam viventem, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia coeli, et omnes bestias terrae. Adae vero non inveniebatur adjutorium, quod coram eo esset.

Quantum mare cognitionis et sapientiae in hoc uno homine fuit! Etsi autem de hac cognitione quoque multum amisit Adam per peccatum, tamen credo, quicquid adhuc in omnium sapientum libris est, qui tot seculis ab eo tempore, quo literae primum

natae sunt, scripserunt, id totum eam sapientia nondum potuit aequare, quae tamen postea in Ada haesit, sed paulatim in posteris obscurata, et paen extincta est.

Porro hic iterum admonendi sumus, Mosen ad huc versari in descriptione operis sexti diei. Ho enim, quod in primo capite brevibus dixit: „Faciamus hominem“, id hoc in capite voluit plenius explicare, ut non uno argumento discerneret hominem a reliquis animantibus. Totum itaque secundum caput consumit in explicatione conditionis hominis. De masculo dixit, ex pulvere factum, inspiratum in faciem ejus spiraculum vitae, adductam coram eo universam animantium turbam. In ea cum Adam nullum videret adjutorium, factam esse feminam, sociam generationis, et conservationis speciei. Neque enim posteros eodem modo voluit Deus nasci, quo Adam ex terra factus est. Sed voluit, ut haberet homo generationem, qualem aliae bestiae habent. Nam quod ad animalem vitam attinet, bibimus, edimus, generamus et generamur, sicut bestiae reliquae. Et tamen magno consilio hoc agit Moses, ut distinguat hominem a reliquis animantibus, ideo quia futurum erat, ut post animalem vitam esset homo particeps spiritualis et aeternae vitae. Omnia haec pertinent ad opus sexti diei. Quia enim dixerat Deus: „Crescite et multiplicamini“, necessaria fuit explicatio, quomodo mulier Adae addita, facta et conjuncta sit.

Pertinet autem hoc eo, ut firmiter teneamus hanc sententiam, vere sex dies fuisse, quibus Dominus creavit omnia, contra Augustini et Hilarii sententiam, qui uno momento putant omnia esse condita. Ii ab historia discedunt, et sequuntur allegorias, ac n

cio quas speculationes comminiscuntur. Non auten dico haec in contumeliam sanctorum Patrum, quorum labores venerari decet, sed ad confirmationen veritatis, et nobis in consolationem. Fuerunt enim magni viri, sed tamen homines, qui lapsi sunt, e potuerunt labi, ne efferamus eos, ut Monachi, qu sic adorant omnia eorum, quasi non potuerint peccare. Mihi potius in eo magna videtur consolatio esse posita, quod deprehenduntur errasse, et interdum peccasse. Sic enim cogito, si ipsis errores et peccata ignovit Deus, cur ego desperem veniam? Contra desperationem inducit, si credas, eos non eadem esse passos, quae tu pateris. Certum autem est, inter Apostolorum vocationem et Patrum magnum esse discrimen. Cur igitur Patrum scripta aestimaremus paria Apostolorum?

Ac sane quod ad praesentem locum attinet, quomodo, quaeso, possibile est, sex dies fuisse aut horam aut momentum unum? Nec ratio, nec fides, quae verbo nititur, admittunt hoc. Ergo sentiamus, fuisse intervalla quaedam temporis, ita ut Adam solus sit creatus, postea adducta sint ad eum animalia, et tentatus Adam, num inveniat aut videat in isto ordine sociam, et post tandem sit Heva condita. Et certae voces istae: „De omni ligno comedes" etc. quia aures Adae verberarunt, in tempore ista omnia per intervalla dicta esse arguunt, nisi ad absurdissimas allegorias Origenis in morem te velis vertere. Non enim agitur hic de Deo, in cujus conspectu omnia praeterita et futura sunt praesentia, de Adamo agitur, qui in tempore fuit et vixit, apud quem est discrimen futuri et praeteriti, tanquam apud

creaturam. Haec paucis hic duxi esse repetenda. Iam pergamus.

Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormivisset, tulit unam de costis ejus, et clausit locum carne.

Hic quoque non solum fides, sed ratio et res arguit, aliud esse tempus vigiliae, aliud somni; habent enim ista sua intervalla. Quod igitur Adam sexto die est conditus, quod adducta sunt ad eum animalia, quod audivit praecipientem Dominum de arbore scientiae boni et mali, item, quod immisit ei *Dominus* somnum, haec omnia, manifestum est, quod ad tempus et ad animalem vitam pertinent. Ideo necesse est, istos dies intelligi veros dies, contra opinionem sanctorum Patrum. Quoties enim videmus Patrum opiniones cum scriptura non convenire, cum reverentia eos toleramus, et agnoscimus tanquam majores nostros; sed propter eos tamen non discedimus ab auctoritate scripturae. Elegans et vera sententia est Aristotelis primo Ethicorum (Cap. 4. in.), melius esse patrocinari veritati, quam nimis addictos esse iis, qui nobis familiares et conjuncti sunt. Atque hoc in primis decere philosophum. Cum enim ambo nobis cari sint, veritas et amici, potiore loco veritatem habendam esse, *ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.* Hoc si homo ethnicus in civilibus disputationibus faciendum censet, quanto id magis faciendum est in iis, quae manifestum testimonium scripturae habent, ne hominum auctoritatem scripturae anteponamus. Homines enim falli possunt; at verbum Dei est ipsa sapientia Dei et certissima veritas.

Quod autem ad hanc historiam attinet, quaeso te, si rationem sequaris, quid potuit dici fabulosius An enim quisquam esset, qui hoc de conditione Hevae crederet, nisi ita aperte traderetur? Hic enim universae creaturae sunt exempla in oppositum. Quicquid enim vivum generatur, generatur ex masculo et femina, sic ut per feminam edatur in lucem. Hic ipsa femina ex viro conditur, non minus admirabili conditione, quam Adae fuit, qui ex gleba terrae factus est in animam viventem. Portenta haec sunt et nugacissimae nugae, si seposita scripturae auctoritate rationis judicium sequaris. Ideo Aristoteles neque primum, neque ultimum hominem dicit posse dari. Idem nos quoque cogeret ratio pronuntiare, si absque hoc textu esset. Si enim constituas, verum esse, quod totius creaturae uniformis ratio testatur, nihil nasci vivum, nisi ex masculo et femella, non potest dari primus homo.

Idem de mundo quoque pronuntiandum esset, quem ideo aeternum philosophi statuerunt. Etsi autem finguntur rationes, quibus probatur, mundum non esse aeternum, tamen ratio tota vi in eam sententiam procumbit. Quod enim inveniet initium in nihilo? Porro si dicas, mundum coepisse, et esse tempus, quo mundus non fuerit; statim sequitur, ante mundum nihil fuisse; sequuntur alia absurda infinita, quibus moti philosophi judicarunt, mundum esse aeternum. Sin dicas mundum esse infinitum, statim nascetur quoque aliud novum infinitum in successione hominum. At plura infinita philosophia non concedit, et tamen cogitur concedere, quia initia nulla mundi et hominum novit. Haec pugnantia et obscuritas Epicureis dedit occasionem, ut dicerent, si-

ne ratione existere mundum et hominem, et sine ratione quoque interitura esse, sicut intereunt pecudes, quae mortuae sic sunt, ac si nunquam fuerint. Hinc sequuntur alia: Deum aut plane non esse, aut humana non curare. In hos labyrinthos deducitur ratio, cum destituta est verbo, et sequitur suum judicium.

Utile autem est videre, quam non possit longius progredi ratio, seu sapientia nostra in aestimatione creaturae. Quid enim, quaeso, novit philosophus de coelo et mundo, si quidem nescit, unde sit, et quo tendat? Imo quid nos de nobis ipsis scimus? Videmus, nos esse homines, sed quod hunc patrem, hanc matrem habeamus, an non credi hoc debet, sciri autem nullo potest modo? Sic omnis nostra cognitio seu sapientia tantum est posita in notitia causae materialis et formalis, quanquam in his quoque nonnunquam turpiter hallucinamur. Causam efficientem et finalem plane non possumus ostendere, praesertim, quod miserabile est, cum de mundo, in quo sumus et vivimus, item de nobis ipsis est disputandum aut cogitandum. Haec an non misera et egena sapientia est?

Dicit Aristoteles: Homo et sol generant hominem. Belle dictum! sequere hanc sapientiam, et eo devenies, ut statuas, hominem et solem esse aeternum ac infinitum. Nunquam enim invenies hominem, qui sit vel principium vel finis, sicut ego principium et finem meae personae non possum invenire, si certo scire id, et non credere potius volo. Qualis autem sapientia, qualis notitia est ignorare causam finalem, et causam efficientem? Nam quod formae notitiam habemus, sic vacca novit domum suam, sic (ut Germanico proverbio dicitur) intuetur et agnoscit ostium. Apparet itaque

hic quoque, quam horribilis lapsus sit peccati originalis, quo amisimus eam notitiam, ut neque principium nec finem nostri videre possimus.

Quod igitur Plato, Cicero et alii philosophi, qui melioris notae sunt, disputant, hominem incedere erecto capite, cum caetera terram prona spectent, quod praedicant rationem seu vim intelligendi et judicandi in homine, et postea concludunt, esse hominem singulare animal, conditum ad immortalitatem, quaeso, quam hoc exile, et paene futile est? Totum enim a notitia formae est sumptum. Si autem postea etiam de materia cogites, an non coget te ratio, ut statuas naturam hanc iterum dissolvendam esse, et non posse esse immortalem?

Ergo discamus, veram sapientiam esse in scriptura sancta et in verbo Dei. Id enim non solum de materia, non solum de forma totius creaturae, sed etiam de efficienti et finali causa, de principio et de fine omnium rerum docet, quis creaverit, et ad quid creaverit. Sine harum duarum causarum cognitione sapientia nostra non multum differt a bestiis, quae etiam oculis et auribus utuntur, sed principium et finem plane ignorant.

Insignis itaque hic textus est, qui quanto videtur cum tota experientia et ratione magis pugnare, tanto diligentius observandus et certius credendus est. Hic enim docemur de principio hominis, quod primus homo non exstiterit per generationem, sicut Aristoteles et reliqui philosophi, a ratione decepti, somniaverunt. Propagatio posteritatis per generationem fit, sed primus masculus ex gleba agri, prima femella ex costa viri dormientis efficta et condita est.

Hic igitur invenimus principium, quod per philosophiam Aristotelis non possibile est invenire.

Hoc principio constituto sequitur deinde propagatio, non minus admirabilis per conjunctionem masculi et feminae, ubi ex guttula humani corporis procreatur universum genus humanum. Sicut Paulus ex hoc loco eleganter inter philosophos Athenis philosophatur Act. 17, (v. 25.). „Deus ipse dat omnibus ζωὴν καὶ πνοήν, spiritum et vitam in universum, facitque ex unius sanguine omne genus hominum, ut habitet super universam terram, ut quaerant Deum, si forte palpent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum". Hic Paulus loquitur de propagatione, facta per primum hominem, sicut dicit, „ex unius sanguine". Si igitur ex guttula sanguinis generatur homo, sicut experientia omnium hominum in toto orbe terrarum testatur, profecto non minus hoc est admirabile, quam quod primus homo ex gleba, et femella ex costa viri condita est.

Sed cur hoc de Adae et Hevae conditione sic incredibile et admirabile videtur, et alterum de propagatione, quod omnes homines norunt et vident, non sic admiramur? Nimirum ideo, quod, sicut Augustinus dicit, miracula assiduitate vilescunt. Sic non admiramur illam admirabilem solis lucem, quia quotidiana est, non admiramur alia creationis dona infinita, obsurduimus enim ad haec, sicut Pythagoras bene dixit, mirabilem concentum et suavissimum edi ab illa harmonia motuum, qui sunt in orbibus coelestibus: sed quia homines assiduo audiunt hunc concentum, obsurdescunt ad eum perinde, ut qui ad

Catadupas *) Nili sunt, sonitu et fragore aquae, quem assiduo audiunt, non afficiuntur, cum aliis non assuefactis esset intolerabilis. Sine dubio ex Patrum traditione hanc ipsam vocem accepit, qui non voluerunt, quasi edatur sonitus illo motu coelestium corporum. Hoc voluerunt, conditionem eorum esse suavissimam et plane admirabilem, sed a nobis ingratis et insensatis non observari, non agi Deo gratias dignas pro ista admirabili conditione et conservatione creaturae.

Sic magnum miraculum est, quod exiguum semen seritur, et inde altissima quercus enascitur. Sed quia quotidiana haec sunt, viluerunt, sicut ista ipsa propagationis nostrae ratio. Quid enim non dignissimum admiratione est, quod mulier semen accipit, quod semen concrescit, ac, sicut eleganter dixit Hiob (10, 10.), coagulatur, deinde formatur et alitur usque, dum ferendo aëri maturus sit fetus. Edito fetu per partum, non quidem novum alimentum, sed nova via et novo modo venit, quod ex uberibus geminis, tanquam ex fonte lac promanat, quo infans alitur. Omnia haec plenissima admirationis, et penitus incomprehensibilia sunt, sed assiduitate viluerunt, nosque ad hunc suavissimum concentum naturae vere obsurduimus.

Quodsi vera fide haec a nobis inspicerentur et aestimarentur, ut sunt, profecto non viliora essent, quam quod Moses hic dicit, dormienti Adae exemptam ex latere costam, et Hevam inde esse conditam. Quin si placuisset Domino eadem ratione nos formare, qua Adam ex limo terrae formatus est, nunc

*) Catadupa?

quoque desiisset id nobis esse miraculi loco, et magis admiraremur istam rationem propagationis per semen viri. Verum enim est, quod barbaro, sed profecto non temere conficto versiculo dicitur: Omne rarum carum, vilescit quotidianum. Si non singulis noctibus aut omnibus in locis orirentur stellae, quantus esset concursus ad id spectaculum? Nunc nemo nostrum ne quidem fenestram ejus rei causa aperit.

Merito igitur damnatur ingratitudo nostra. Si enim credimus, causam efficientem et finalem esse Deum, an non opera ejus admirari, iis delectari et ea semper et ubique debebamus praedicare? Sed quot sunt, qui id faciunt vere et ex animo? Audimus Deum apprehendisse glebam, et fecisse hominem; hoc admiramur, et prae admiratione ducimus esse fabulosum. Quod autem apprehendit adhuc hodie guttam de sanguine patris, et creat hominem; hoc non admiramur, quia hoc quotidie fit, illud semel factum est, cum tamen utrunque eadem arte et eadem potentia fiat, ab eodem auctore. Nam qui ex gleba formavit hominem, idem adhuc hodie creat homines ex sanguine parentum.

Frustra igitur Aristoteles nugatur, quod homo et sol generant hominem. Nam etsi solis calor fovet corpora, tamen generandi causa longe aliud est, nempe verbum Dei sic jubentis, quod dicit ad hunc maritum: Iam sanguis tuus fiat masculus, fiat femella. Hoc verbum ratio nescit. Itaque non potest non pueriliter nugari de causis tantarum rerum. Sic medici philosophos secuti generationem referunt ad convenientem mixturam qualitatum, quae in materia praedisposita operantur. Id etsi ratio non potest negare, (nam videt siccas et frigidas naturas ad generatio-

nem ineptas, contra humidas et moderate calid aptiores) tamen primam causam non attingunt. A tius enim quam in naturam, quam in qualitates temperamenta earum, nos ducit Spiritus sanctus, cu verbum proponit, in quo omnia creantur et co servantur.

Quod igitur ex gutta sanguinis homo, non bo non asinus nascitur, verbi virtute fit, quod a De prolatum est. Itaque vere, sicut in oratione dominic etiam Christus docet, Deum vocamus patrem no strum et creatorem nostrum, sicut symbolum appella In hanc causam cum respicimus, tum caste, pure e cum gaudio de iis rebus possumus loqui, quarum alioqui, hac causa omissa, sine foeditate et obscoeni tate non possumus meminisse.

Apparet autem ex hac quoque disputatione, quam horribilis lapsus sit peccati originalis, si quidem universum genus humanum suam originem nescit. Videmus quidem copulari masculum et feminam; videmus ex guttula sanguinis impraegnari feminam, postea edi in lucem certissimo tempore infantem. Sunt haec oculis omnium exposita et notissima, et tamen, nisi verbum te admoneat et doceat, ipsum opus, quod sciens vidensque facis, nescis, sicut philosophorum disputationes, de quibus jam diximus, satis ostendunt. Haec an non horribilis caecitas et miserabilis est ignorantia?

Si itaque Adam perstitisset in innocentia, neutiquam fuisset opus admoneri posteros de sua origine, sicut non opus fuit, ut admoneretur Adam de conditione Hevae suae; ipse statim, cum eam intuetur, agnoscit, quod sit os ex ossibus suis, et caro ex carne sua. Talis cognitio sui et aliarum creaturarum man-

mansisset etiam in posteritate Adae. Omnes statim animadvertissent finalem et efficientem causam, de quibus nunc nihilo plus scimus, quam ipsae pecudes.

Ergo pulcherrima et jucundissima est haec fabula in auribus rationis, qua ad delicias usque abusi sunt philosophi, si eam audierunt; sicut quidam audierunt, praesertim qui Aegyptiorum literas et sapientiam didicerunt, sed inaestimabilis sapientia nobis scire, quod nobis haec quantumvis ridicula (ut mundus judicat) fabula ostendit, nempe, quod initium generationis humanae constiterit per verbum. Si quidem Deus apprehendit glebam, et dicit: Faciamus hominem. Sic postea apprehendit costam Adae, et dicit: Faciamus homini adjutorium. Nunc verba consideremus, postquam de re, quae necessaria fuerunt, admonuimus.

Dominus Deus, inquit Moses, fecit illabi seu cadere super Adam תַּרְדֵּמָה, soporem seu profundum somnum. Nam verbum רָדַם significat somno opprimi, sicut qui non sentientes obdormiscunt, et nutant capite. Sunt enim differentes somni, quidam profundi seu graves, qui nullis somniis impediuntur; hi salubres sunt, bene enim humectant corpora et concoctioni utiles sunt, nec fatigant caput. Alii sunt leviores, et quasi mixti vigiliis; in his crebriora sunt somnia, laedunt autem caput, et sunt argumentum corporis minus firmi.

Dicit itaque Moses profundo somno oppressum Adamum, ita ut procumbens in virentem terram longos duxerit spiritus, sicut solent, qui bene et suaviter dormiunt. Hunc somnum, inquit, fecit Dominus super eum cadere. Est enim somnus vere divinum et pulcherrimum donum, quod desuper tanquam ros

defluit, et humectat totum corpus. Cum itaque sic dormiret Adam, tulit Dominus unam de costis ejus. Vocabulum Ebraeum צֵלָע costam et latus significat. Quare sic accipio, quod non nudam costam, sed vestitam carne acceperit Dominus, sicut Adam infra dicit: „Hoc est os ex ossibus meis, et caro de carne mea“. Porro hoc quoque fecit Dominus per verbum suum, ne putemus, eum chirurgi more sectione aliqua usum esse. Dixit: Ex isto osse sic induto carne fiat mulier, et ita factum est. Atque eum hiatum lateris postea clausit carne.

Hic disputatio oritur inter glossatores mirabiliter nugaces. Dicunt, masculum in uno latere plus habere costarum quam in altero. Sed hoc melius sciunt medici, qui anatomiam norunt. Lyra disputat, num ea costa in corpore Adae fuerit superflua? Sed hoc si fuit, inquit, monstrosum fuit; si non fuit, sequitur Adamum postea diminutum fuisse costa. Sed id quoque monstrosum est, inquit. Tandem respondet, illam costam fuisse superfluam ratione individui, itaque sublata ea, fuisse corpus Adae integrum, et tamen corpus Adae indiguisse hac costa propter mulierem ex ea formandam.

Sed nos ad haec omnia respondemus per verbum: Dixit Deus: hoc verbum solvit omnia hujusmodi argumenta. Quid enim necesse est disputare, unde reliquam materiam acceperit Deus, qui uno verbo potest et condit omnia? Oriuntur autem hae quaestiones ex philosophia et medicina, quae sine verbo de Dei operibus disputant. Fit autem hoc modo, ut amittatur gloria scripturae sanctae et majestas creatoris. Quare omissis his disputationibus simpliciter manebimus in historia, sicut a Mose exponitur, quod

Heva sit condita ex costa Adae, et quod ea pars corporis iterum clausa sit carne, sicut Adam ex gleba, ego ex guttula sanguinis patris mei factus sum. Quomodo mater me conceperit, quomodo in utero formatus sim, et incrementa sumserim, hoc gloriae conditoris relinquo. Vere enim incredibile est, ex gutta sanguinis hominem nasci, et tamen est verum. Si igitur ex gutta sanguinis ista potentia generandi exsistit, cur non etiam ex gleba? Cur non ex costa?

Quod autem Adam sic dormit, ut non sentiat, haec secum agi, est iste somnus quasi pictura quaedam ejus mutationis, quae in statu innocentiae futura fuerat. Nam justa natura nullam sensisset mortem, vixisset in summa voluptate, in obedientia Dei, et admiratione operum Dei, usque dum tempus mutationis venisset. Ibi sensisset Adam simile quiddam hujus somni, qui suavissimus ei accidit, cubanti inter rosas, et sub amoenissimis arboribus. In eo somno esset mutatus et translatus in spiritualem vitam, tam non sentiens dolorem aliquem, quam non sentit, aperiri corpus, et eximi costam cum carne. Nunc mortem patitur corrupta haec natura; eam corporis dissolutionem sequitur in piis suavissimus somnus, donec evigilabimus in novam et aeternam vitam. Sicut autem Adam hic admirabundus dicit: „Hoc est os ex ossibus meis", et tamen sic suavi somno oppressus fuit, ut non sentiret, id eximi: ita nos in illa die dicemus: Ecce hoc corpus a vermibus corrosum in quantam subito gloriam surgit! etc.

Diximus satis copiose hactenus de conditione Hevae, quae etsi rationi fabulosa videtur, tamen est certissima veritas, quia in verbo Dei est prodita, quod solum vere docet, ut dixi, de duabus principalibus

causis, efficiente et finali, quarum cognitio etiam in naturalibus, sicubi haberi potest, plurimum momenti habet. Quid enim prodest scire, quam pulchra creatura sit homo, si finem ignores, quod scilicet est conditus ad cultum Dei, et ut cum Deo in aeternum vivat? Aliquid dicit Aristoteles, cum ponit hominis finem esse felicitatem, quae in actione virtutis consistit. Sed in hac naturae imbecillitate quis ad hunc finem pervenit? cum etiam, qui optimi sunt, variis incommodis objiciantur, quae tum fortuna, tum hominum malitia et pravitas conciliat. Requirit ea felicitas tranquillitatem animi, sed eam quis perpetuo in tanta fortunae jactatione retinere potest? Frustra igitur hic finis praescribitur, quem nemo attingit.

Principalis igitur finis est, quem scriptura ostendit, quod homo sit conditus ad similitudinem Dei, ut cum Deo in aeternum vivat, et hic in terra Deum praedicet, ei agat gratias, et verbo ejus obediat in patientia. Hunc finem utcunque, quamvis infirmiter, apprehendimus in hac vita; in futura autem vita perfecte eum consequemur. Haec philosophi non norunt; itaque mundus in summa sua sapientia est stultissimus, quando sacra scriptura seu theologia caret. Nam neque principium, nec finem suum homines norunt, quando verbo carent; taceo de reliquis creaturis.

Et aedificavit Dominus Deus costam, quam sumserat de Adamo, in mulierem, et adduxit eam ad Adam.

Nova et inaudita haec phrasis, quod Moses utitur non verbo fingendi et creandi, sicut supra, sed aedificandi. Omnes interpretes movit, ut suspicaren-

tur, subesse mysterium quoddam. Lyra cum suo Rabi Salomone putat, ad novam formam corporis muliebris respici. Sicut enim aedificiorum forma in inferiori parte latior, in superiore autem angustior est, ita dicit corpora mulierum in ima parte crassiora, in superiore contractiora esse, cum viri latos humeros et ampliora pectora habeant. Sed haec accidentia sunt corporis. Scriptura autem loquitur de toto corpore, quod sit aedificium, sicut Christus quoque Matthaei 12. (v. 44.) vocat corpus hominis domum.

Alii allegoriam quaerunt, et dicunt, mulierem vocari aedificium propter similitudinem cum ecclesia. Sicut enim in domo diversae partes sunt, parietes, trabes seu tigna, tectum etc., ita in ecclesia, quae corporis similitudinem propter diversitatem membrorum habet, esse varia ministeria et functiones. Mihi quidem non displicent, quae apte ad Christum et ecclesiam transferuntur. Sed quia haec in totum allegorica sunt, historica et propria hujus loci sententia quaerenda ac retinenda est. Vocatur enim mulier, praesertim maritata, aedificium non propter allegoriam, sed historice; sicut scriptura ubique hac ratione loquendi utitur. Sicut Rahel dicit ad Jacob (Gen. 30, 3.): „Accipe ancillam, ut aedificer in ea". Idem de Sara dicit scriptura. Et in Exodo (1, 21.) dicitur de obstetricibus: „Dominus aedificavit eis domus", hoc est, rependit per benedictionem familiae illa beneficia facta populo Israel contra regis mandatum. Item in historia de Davide, cum vellet Domino aedificare domum, respondetur ei: Scias, Dominum tibi aedificaturum domum, (2. Sam. 7, 11.).

Ita usitata haec phrasis est in scriptura, ut uxor

dicatur aedificium oeconomicum propter generationem et educationem sobolis. Hujus aedificationis formam, quae in Paradiso futura fuerat, per peccatum ita amisimus, ut ne cogitatione quidem eam possimus attingere. Sicut autem supra dixi, nostram praesentem vitam habere quasdam parvas et miseras reliquias culturae et defensionis, item dominii in bestias; oves, boves, anseres, gallinas regimus, quanquam apri, ursi, leones hoc nostrum regnum non curant: ita etiam hujus aedificii imago quaedam obscura est reliqua, quod qui uxorem duxit, habet eam seu nidum et domum, apud quam moratur in certo loco, sicut aves cum pullis suis in nidulo. Hanc habitationem non habent, qui coelibes vivunt, sicut impuri Papistae.

Haec igitur cohabitatio, quae inter maritum et uxorem est, quod simul habitant, quod curant rem familiarem, quod simul generant et educant liberos, est quaedam imago obscura et quasi reliquiae illius beatae cohabitationis, propter quam Moses mulierem dicit aedificium esse. Posteri Adae, si Adam in innocentia perstitisset, ductis uxoribus emigrassent ab Adamo patre in quendam proprium hortulum; ibi cum uxoribus vixissent, simul colentes terram, et educantes liberos. Non opus fuisset magnificis aedificiis ex secto lapide, non culina, non cella vinaria, ut nunc, sed sicut avium niduli sunt, ita hinc inde habitassent in opere et vocatione Dei, ac mulier praecipua exstitisset causa, ut mariti in certis sedibus habitarent. Nunc in hac peccati calamitate, ubi propter aëris injurias domibus opus est, ne cogitatione quidem imaginem hujus felicitatis possumus consequi, et tamen illae misellae reliquiae sunt excellentia do-

na Dei, quibus sine gratiarum actione uti profecto impietas est.

De dominio, quod homo in Paradiso accepit, omnes sentimus, quantum amissum sit, postquam peccato sic sumus defoedati. Et tamen quantum adhuc beneficium est, dominium hoc traditum esse homini, et non Diabolo? Quomodo enim contra invisibilem hostem possemus consistere, si cum voluntate nocendi etiam facultas conjuncta esset? Una hora, momento uno, extingueremur omnes, si saltem feras contra nos incitaret Satan. Etsi igitur dominium fere in totum amissum est, tamen ingens beneficium est, extare adhuc ejus reliquias aliquas.

Sicut etiam generationis reliquiae extant, quanquam in statu innocentiae non solum sine dolore peperissent mulierculae, sed etiam multo major fuisset futura fecunditas. Iam mille morbis impeditur generatio, et accidit, ut aut fetus non sint durabiles, aut conjugia non nunquam plane sint sterilia. Hi sunt defectus et poenae horribilis illius lapsus Adae et peccati originalis. Ad eundem modum mulier adhuc hodie est domus mariti, ad quam maritus se confert, cum qua habitat, cum qua conjungit studium et laborem alendae familiae. Sicut infra dicetur: „Adhaerebit homo uxori suae, et relinquet patrem et matrem suam" etc.

Sed haec cohabitatio cum aliis incommodis, quae conjugium propter peccatum infinita habet, etiam a perversis naturis mire deformatur, cum non solum sint, qui sapientiam esse ducant convitiari sexui, et aspernari conjugia, sed qui ductas conjuges deserant, quique liberorum curam omnem abjiciant. Hi aedificium Dei improbitate et perversitate sua destruunt,

ac vere sunt foeda quaedam naturae monstra. Pareamus itaque verbo Dei, et agnoscamus nostras uxores ceu aedificium Domini, quod per eas non solum aedificatur domus per generationem et alia ministeria in oeconomia necessaria, sed etiam quod ipsi mariti per eas aedificantur, quibus sunt tanquam nidus et habitatio quaedam, ad quam se conferant, ubi morentur et habitent cum voluptate.

Quod addit Moses: „Et adduxit eam ad Adam", est descriptio quaedam sponsalium, imprimis digna observatione. Nam Adam conditam Hevam non rapit ad se ex suo arbitrio, sed exspectat adducentem Deum. Sicut Christus quoque dixit (Matth. 19, 6.): „Quod Deus conjunxit, homo non separet". Est enim legitima conjunctio masculi et feminae ordinatio et institutio divina.

Ideo Moses retinet hic suam propriam phrasin: Adduxit, inquit. Quis? Nimirum Jehova Elohim, hoc est, tota divinitas, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Hi dicunt ad Adam: Ecce haec est sponsa tua, cum qua habites, cum qua generes liberos. Ac sine dubio Adam eam cum magna voluptate accepit, sicut adhuc in hac corrupta natura sponsi et sponsae amor mutuus egregius est; sed tum fuit sine illa epileptica et apoplectica voluptate, quae hodie in conjugio est, fuit castus et suavissimus amor, et ipsa quoque copulatio fuisset honestissima et sanctissima. Nunc vero ubique oculis atque auribus, denique sensibus omnibus peccatum se ingerit et offert.

Notandus itaque praecipue hic locus est, non solum contra omnes horribiles abusus libidinum, sed etiam pro confirmatione conjugii contra impia convitia, quibus Papatus conjugium deformavit. An non

enim magnum est, quod etiam in innocentiae stat Deus conjugium ordinavit et instituit? Tanto autem nunc hac institutione et ordinatione magis est opus quanto haec caro per peccatum magis infirmata corrupta est. Stat igitur haec consolatio invicta contra omnes daemoniorum doctrinas, quod scilicet conjugium est vitae genus divinum, hoc est, ab ipso Deo ordinatum.

Quid igitur in mentem venit Satanae organis hostibus Christi, qui negarunt castitatem esse in conjugio, et dixerunt eos aptissimos ministeriis ecclesiarum, qui vivant coelibes, quia scriptura dicit (Lev. 11, 44.): Mundi estote? An immundi sunt, qui sunt conjuges? Deus igitur immunditiei auctor et institutor est, qui ipse Hevam adducit ad Adamum? Adam igitur male facit, quod ad immunditiem persuaderi patitur, qui conjugio in innocenti natura carere poterat? Sed an non meritas poenas harum blasphemiarum impius Papatus exsolvit, quod non solum multitudine scortorum se polluunt, sed etiam aliis nefandis sceleribus ad abominationem usque indulgent, jamdudum maturi poenis Sodomorum et Gomorrae.

Me puero sic infames propter impium et impurum coelibatum habebantur nuptiae, ut putarem sine peccato de conjugum vita me non posse cogitare. Hoc enim persuasissimum erat omnibus, si quis sanctam et Deo acceptam vitam vellet agere, hunc non conjugem debere fieri, sed coelibem vivere, votum coelibatus suscipere debere. Itaque multi, qui conjuges fuerant, post uxorum mortem aut Monachi aut sacrificuli fiebant. Necessariam igitur ecclesiae et utilem operam omnes illi sumserunt, qui in

incubuerunt, ut conjugium per verbum Dei cohonestaretur iterum, et meritis laudibus ornaretur. Unde factum est, Dei gratia, ut nunc bonum et sanctum omnes esse statuant, cum conjuge unanimiter et tranquille vivere, etiam si sterilem habeat aliquis aut aliis incommodis laborantem uxorem.

Non autem nego, quin aliqui sint, qui sine conjugio possint caste vivere. Sed hi, quia majus vulgo donum habent, navigent suo vento. Illa autem castitas; quam Pontifex in suis Monachis, Monialibus et sacrificulis commendat, horribilibus peccatis contaminata et polluta est, praeterquam quod coelibatus sine verbo Dei institutus est, imo, sicut praesens historia testatur, contra verbum Dei. Quos enim triumphos agerent, si suum coelibatum ex verbo Dei sic possent probare, sicut nos probamus conjugium divinitus institutum esse? Quanto molimine tum omnes ad coelibatum suum cogerent? Nunc hanc unam veram commendationem coelibatus habent, quod sit traditio humana, seu, ut cum Paulo loquamur, doctrina daemoniorum.

Dixitque Adam: Hoc tandem os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Haec vocabitur virago, quoniam de viro sumta est.

Sententia, quae paulo post sequetur: „Ideo derelinquet homo patrem et matrem", et a Christo citatur, quod ab ipso Deo dicta sit, et non ab Adam. Sed in ea re nihil est difficultatis; quia enim Adam purus et sanctus est, recte ejus vox dicitur divina vox. Nam Deus per eum locutus est, et in statu illo innocentiae verba et opera Adae omnia sunt vere Dei verba et opera. Offertur ei Heva ab ipso Deo. Sicut

igitur Dei voluntas parata est ad instituendum conjugium, ita Adam cum summa voluptate et sanctimonia paratus est ad Hevam suscipiendam. Sicut adhuc insignis affectus sponsi est erga sponsam, sed contaminatus tamen illa leprosa libidine carnis, quae in Adam justo non fuit.

Sed dignissimum admiratione est, quod Adam statim, cum Hevam tanquam aedificium ex se intuetur, agnoscit eam, et dicit: „Hoc nunc est os ex ossibus meis, et caro de carne mea". Haec sunt verba non stulti, aut peccatoris hominis, non intelligentis opera et creaturam Dei, sed justi et sapientis, ac pleni Spiritu sancto, qui revelat istam sapientiam, mundo adhuc ignotam, quod causa efficiens uxoris et conjugii sit Deus, finalis autem causa sit, ut uxor sit marito politicum habitaculum. Haec cognitio non simpliciter procedit ex sensu et ratione, sed est revelatio Spiritus sancti.

Vocabulum הַפַּעַם, nunc, seu ista vice, seu tandem, non est otiosum, ut apparet, sed pulcherrime exprimit maritalem affectum, requirentem istam jucundam et plenam non solum amoris, sed sanctitatis quoque societatem seu cohabitationem, quasi dicat: Omnes bestias vidi, consideravi femellas, datas ad multiplicationem et conservationem speciei; sed hae nihil ad me. Haec autem est tandem caro de mea carne, et os de meis ossibus, cum qua cupio vivere et voluntati Dei in propaganda posteritate obsecundare. Hunc exundantem amoris affectum particula haec ostendit. Hodie illa puritas et innocentia amissa est; manet quidem gaudium sponsi et affectus erga sponsam, sed impurus et vitiosus propter peccatum. Adae affectus purissimus fuit et sanctissi-

mus ac Deo gratus, quo affectu impulsus dicit: Hoc nunc est os ex ossibus meis, non ex ligno, non lapide, non ex gleba terrae; propius me attingit; est enim facta ex ossibus et carne mea. Itaque inquit:

Haec vocabitur virago, quoniam de viro sumta est.

Sicut igitur praeterita, quae non viderat, per Spiritum sanctum agnovit Adam, et Deum praedicat, ac laudat propter conditam ex suo corpore sociam vitae: ita jam prophetat in futurum, cum dicit, viraginem vocari debere. Nos Ebraicae linguae elegantiam neutiquam possumus imitari. אִישׁ significat virum: Hevam autem dicit vocandam אִשָּׁה, perinde ac si dicas a Vir Vira, quod sit uxor, heroica mulier, quae virilia gerit.

Continet autem haec appellatio mirabilem et jucundam descriptionem conjugii, in quo, sicut jureconsultus quoque dicit, mulier fulget radiis mariti. Quicquid enim maritus habet, hoc totum habet et possidet conjunx. Sunt communes non solum opes, sed liberi, cibus, lectus, domicilium; voluntates quoque pares sunt, ita ut maritus ab uxore secundum nullam aliam rem differat, quam secundum sexum, alias mulier plane est vir. Quicquid enim vir in domo habet et est, hoc habet et est mulier, solo sexu differt. Deinde etiam, quod Paulus annotat 1. Tim. 2, (v. 13.) est virago origine, quod mulier descendit a viro, non vir a muliere.

Hujus quoque communionis hodie in conjugio videmus reliquias aliquas, quanquam miseras, si respiciamus ad primam originem. Ibi enim uxor, si

modo honesta, pudica et pia sit, participat curis, studiis, officiis, actionibus omnibus mariti. Ad hoc enim initio est condita, et ideo virago, seu, si Latine sic possemus dicere, vira appellatur, ut sexu tantum differat a patrefamilias, si quidem de carne viri sumta est. Nam etsi hoc de sola Heva possit dici, quae hoc modo condita est, tamen Christus Matth. 19. (v. 5.) ad omnes uxores hoc accommodat, cum dicit, maritum et uxorem esse unam carnem. Ita quanquam tua uxor non sit de ossibus tuis facta, tamen, quia uxor est, est domina domus sicut tu, nisi quod per legem, quae post peccatum lata est, viro mulier subjecta est. Ea poena est, sicut aliae, quae diminuunt glorias paradisiacas, de quibus nos hic textus admonet. Loquitur enim Moses non de hac misera vita, quam nunc vivunt conjuges, sed de illa innocentiae in Paradiso; ibi fuisset gubernatio aequalis, sicut Adam hic prophetat, Hevam dicendam viram, seu viraginem propter similium rerum administrationem in domo. Nunc viro incumbit sudor vultus; uxori mandatur, ut sit sub viro: et tamen reliquiae, ceu faeces quaedam dominii remanent, ut adhuc possit uxor dici virago, propter societatem possessionis.

Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.

Christus et Paulus referunt hoc etiam, tanquam communem regulam, ad nostra conjugia, post amissam innocentiam. Si itaque Adam in innocentia perstitisset, nati liberi etiam essent facti conjuges, et tum deserta mensa et cohabitatione parentum habuissent proprias arbores, sub quibus vixissent separati

a parentibus. Non nunquam venissent ad patrem Adam cecinissent hymnum, praedicassent Deum, postea rediissent ad sua. Nunc per peccatum, etsi reliqua sint mutata, tamen hoc arctum vinculum conjugum manet, ut vir citius deserat patrem et matrem, quam uxorem. Ubi autem diversum fit, sicut nonnunquam conjuges se mutuo deserunt, ibi non solum fit *contra* mandatum hoc, sed etiam sunt ista signa horribilis corruptionis, quae per peccatum in homines *venit*, et a Satana, dissidiorum omnium parente, augetur.

Viderunt autem gentes quoque, hac consuetudine conjugum nihil esse aptius nec utilius. Itaque dicunt, naturali lege esse conclusum, quod necessaria sit uxor, quae individuam consuetudinem retineat usque ad mortem. Ad hunc modum Christus quoque dicit (Matth. 19, 8.), divortium a Mose concessum propter duritiam cordis Iudaeorum; ab initio autem non sic fuisse. Haec incommoda per peccatum postea enata sunt, sicut adulteria, veneficia et similia, quae non nunquam inter conjuges oriuntur. Itaque vix millesima pars istius primae institutionis mansit reliqua, et tamen propter prolem maritus et uxor suum proprium nidulum habent adhuc hodie, secundum hanc sententiam, qua gloriose et magnifice confirmatur hoc genus vitae per primum parentem, imo per ipsum Deum, sicut Christus allegat.

Porro desertio non est sic intelligenda, quasi prorsus non visitaturi fuerint parentes suos liberi conjuges; pertinet enim tantum ad cohabitationem, quod liberi conjuges suum proprium nidulum *sint* habituri. Hodie in istis peccati incommodis etiam hoc est, quod liberi parentes, senio confectos et egentes, coguntur alere. Sed in Paradiso fuisset alia et me-

lior conditio nostra, et tamen tum quoque hoc ita esset servatum, ut maritus propter amorem conjugis, sicut aviculae solent, suum proprium nidulum deligeret, et cohabitationem parentum desereret.

Pertinet autem haec quoque sententia ad prophetiam; nondum enim erat pater et mater, nondum liberi, et tamen per Spiritum sanctum sic prophetat Adam de vita conjugum, de domicilio proprio, de distinctione dominiorum per totum orbem, ut singulae familiae suum proprium, quasi nidulum sint habiturae.

Fuerunt autem ambo nudi, vir et uxor ejus, et non erubescebant.

Videtur, quod haec clausula potuerit omitti, quae admonet de re non admodum necessaria. Quid enim refert, sive in Paradiso nudi, sive induti vestibus obambulaverint. Sed profecto insignis et necessaria clausula est, quae ostendit in re, ut nobis videtur, levicula, quantum mali per peccatum originale haec natura acceperit. Omnes gentes, ac praesertim, quae ad septentrionem magis declinant, abhorrent a nuditate corporum. Itaque paulo verecundiores et graviores homines non solum reprehendunt curtas et militares penulas in adolescentibus; sed etiam publica balnea vitant, cum tamen pudenda loca studiose tegantur, tum a mulierculis, tum a viris. Haec nunc sapientia est, et disciplina digna laude; quis enim pater sine scelere se coram filio nudare posset? At Adam et Heva, inquit Moses, incedebant nudi et non erubescebant; non solum itaque non turpe fuit, nudos incedere, sed etiam laudabile, gloriosum et jucundum.

Hoc nunc amisimus per peccatum. Nascimur quidem nudi et cum glabra cute in hunc mundum, cum reliqua animalia omnia suas pelles, pilos, plumas, squamulas secum afferant. Itaque contra aestum solis umbra aedificiorum, contra pluviam, grandinem, nivem vestibus multiplicibus habemus opus. Horum nihil sensisset Adam, sed sicut oculi humani adhuc eam habent naturam, ut nec frigore nec aestu afficiantur: ita tum fuisset totum corpus tutum a frigore. Ac quidem multis modis melius Heva, mater nostra, sedisset apud nos nuda, nec quenquam offendisset nuditas uberum et reliquarum partium corporis, quae nunc pudendae sunt, et accendunt propter peccatum libidinem.

Quare hic locus pulchre docet, quantum mali peccatum Adae secutum sit. Nunc enim extrema insania judicaretur, si quis incederet nudus. In quo igitur tum summa nostra gloria fuisset, in eo nunc extrema turpitudo est. Homini gloriosum fuisset, cum omnia animalia ob foeditatem tegendam pilis, plumis, squamis haberent opus, solum hominem ea dignitate et pulchritudine corporis esse conditum, ut glabra et nuda cute incedere posset. Haec gloria periit; majore enim studio et cura cogimur tegere corpora nostra non solum propter necessitatem, sed magis propter turpitudinem cavendam, quam reliqua animalia a natura velata sunt.

Ad hunc modum explicat hoc caput opus diei sexti paulo clarius, quomodo singulari consilio homo sit conditus; quomodo in Eden hortus factus, in quo cum voluptate homo posset versari; quomodo denique, dum arbor scientiae boni et mali prohibetur, externus cultus futurae ecclesiae divina auctori-

toritate constituitur, in quo erant Deo obedientiam suam testaturi, si absque Satanae insidiis fuissent. Eam itaque noctem, sicut quidam opinantur, in Paradiso fuit Adam cum Heva sua usque in sequentem diem Sabbati; quid autem Sabbato die acciderit, docebit sequens caput.

TERTIUM CAPUT GENESIS.

Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus.

Audivimus in praecedenti capite, quomodo homo sexto die sit conditus ad imaginem et similitudinem Dei, ut bona et sana esset voluntas, deinde ut etiam ratio seu intellectus esset sanus, ut, quicquid Deus vellet, aut diceret, idem homo quoque vellet, crederet, intelligeret. Hanc cognitionem necessario secuta est cognitio omnium aliarum creaturarum; ubi enim Dei cognitio perfecta est, ibi necesse est, esse quoque cognitionem perfectam aliarum rerum, quae sunt infra Deum.

Ostendunt autem haec, quam horribilis ruina Adae et Hevae fuerit, per quam amisimus pulcherrime illuminatam rationem et voluntatem conformem verbo et voluntati Dei. Amisimus quoque illam dignitatem corporum, ut jam extrema turpitudo sit nudum conspici, quod tum fuit pulcherrimum et singularis praerogativa generis humani prae omnibus aliis bestiis. Sed gravissima jactura in eo est, quod non solum ista amissa sunt, sed aversio quaedam vo-

luntatis a Deo secuta est, ut homo nihil eorum vel aut faciat, quae Deus vult et praecipit: item, quod nescimus, quid Deus, quid gratia, quid justitia, denique quid ipsum peccatum sit. Hi sunt profecto horribiles defectus, quos qui non intelligunt, nec vident, talpa caeciores sunt. Experientia quidem docet nos de his calamitatibus: sed tamen magnitudinem earum plene non sentimus, nisi respiciamus ad illam qualemcunque imaginem status innocentiae, in qua voluntas bona et ratio recta fuit, denique summa dignitas corporis humani. Horum donorum privationem seu amissionem cum consideramus in contrario, tum aestimari aliquo modo malum peccati originalis potest.

Magnorum itaque errorum causam praebent, qui hoc malum extenuant, et loquuntur de natura corrupta philosophorum more, quasi non sit corrupta; sicut dicunt, non solum in hominis natura, sed etiam in Diabolo naturalia mansisse integra. Sed hoc palam falsum est. Quid et quantillum remanserit, aliquo modo videmus et sentimus, sed quantum amiserimus, profecto non vident, qui disputant, naturalia mansisse integra. Nam voluntas bona, recta, Deo complacens, Deo obediens, fidens in creatore, et creaturis recte cum gratiarum actione utens amissa est, adeo ut ex Deo nostra voluntas faciat Diabolum, et horreat ad mentionem nominis ejus, praesertim cum premitur judicio Dei. Hoc num, quaeso, est naturalia esse integra?

Sed considera inferiora. Conjunctio maris et feminae divinitus est constituta; sed quam foeda ea nunc est post peccatum? quam ipsa caro furiose incenditur? Itaque nunc post peccatum conjunctio haec non tanquam Dei opus in publico fit, sed honesti conju-

ges quaerunt sola loca, remota ab oculis hominum. Ad hunc modum corpus habemus, sed quam miserum, quam varie laesum? Habemus voluntatem quoque et rationem, sed quam multipliciter vitiatam? Sicut enim ratio ignorantia multiplici oppressa est: ita voluntas non perturbata solum, sed aversa a Deo, et inimica Dei est, quae cum voluptate ad malum fertur, ubi diversum faciendum erat. Non itaque haec naturae multiplex corruptio extenuanda, sed magis amplificanda est, quod homo ab imagine Dei, a notitia Dei, a notitia aliarum creaturarum omnium, ab honestissima nuditate in blasphemias, in odium, in contemtum Dei, imo quod plus est, in inimicitiam erga Deum lapsus est. Taceo jam de tyrannide Satanae, cui propter peccatum misera haec natura subjecta est. Amplificanda, inquam, haec sunt, propterea quod, nisi recte cognoscatur magnitudo morbi, remedium quoque non cognoscitur, nec desideratur. Quanto enim magis peccatum extenuaveris, tanto quoque gratia magis vilescet.

Ad hanc autem amplificationem proprie pertinent, quae Moses supra dixit, quod Adam et Heva nudi non erubescebant. Non excitabatur in eis illa foeda libido, sed alter alterum inspiciens agnoscebat Dei bonitatem, laetabatur in Deo, securus erat in bonitate Dei: ubi nunc non solum peccato carere non possumus, sed etiam laboramus desperatione et odio Dei. Hic tam horribilis casus clare ostendit, quam non integra sint naturalia.

Sed quanto impudentius hoc ipsum de Diabolo sophistae affirmant, in quo etiam major erga Deum inimicitia, odium et furor est, quam in homine. Cum tamen non malus creatus sit, sed habuerit volunta-

tem conformem voluntati Dei, hanc voluntatem amisit; amisit quoque pulcherrimum et clarissimum intellectum, et versus est in horribilem spiritum, furentem contra suum creatorem. An non enim maxima corruptio est, ex amico Dei fieri acerbissimum et obstinatissimum hostem Dei?

Sed opponunt Aristotelis sententiam: Ratio deprecatur ad optima: hanc etiam quibusdam sacris sententiis conantur confirmare. Item eo, quod philosophi disputant, rectam rationem esse causam omnium virtutum. Haec quidem non nego esse vera, cum transferuntur ad res rationi subjectas, ad gubernandas pecudes, aedificandam domum, conserendum agrum. Sed in rebus superioribus non sunt vera. Quomodo enim recta ratio dici potest, quae odit Deum? Quomodo voluntas bona dici potest, quae Dei voluntati resistit, ac Deo parere recusat? Quando igitur dicunt: Ratio deprecatur ad optima: dic tu, ad optima politice, hoc est, de quibus ratio potest judicare; ibi dictat et ducit ad honestum, et utile corporale seu carnale. Caeterum cum plena sit ignorationis Dei, et adversionis a voluntate Dei, quomodo potest in hoc gradu bona dici? Notum autem est, cum praedicatur notitia Dei, et hoc agitur, ut ratio restituatur, tunc, qui optimi sunt, et melioris, ut sic dicam, rationis ac voluntatis, hi tanto acerbius evangelium oderunt.

In theologia itaque sic dicamus, rationem in hominibus esse inimicissimam Dei, deinde honestam voluntatem esse maxime adversariam voluntati Dei, sicut hinc oriuntur odium verbi, et persecutio piorum ministrorum. Quare, ut dixi, non extenuemus, sed amplificemus potius hoc malum, quod natura huma-

na ex peccato primorum parentum contraxit: tum fiet, ut et deploremus hanc nostram conditionem, et suspiremus ad Christum medicum nostrum, qui in hoc a Patre est missus, ut quae Satan per peccatum mala nobis inflixit, ea per ipsum sanentur, et nos restituamur in amissam et aeternam gloriam.

Quod ad historiam praesentem, quam hoc in capite describit Moses, attinet, dixi antea meam sententiam, quod mihi videtur, hanc tentationem esse factam in die Sabbato, ita ut in sexto die Adam et Heva sint conditi, Adam citius, Heva sub vesperam: sequenti die Sabbato mane Adam Hevae concionatus est de voluntate Dei, quod benignissimus Dominus totam Paradisum condiderit ad usum et voluptatem hominum, quod etiam lignum vitae singulari bonitate creaverit, cujus usu restaurarentur vires corporis, et retineretur perpetua juventa; unam autem arborem scientiae boni et mali esse prohibitam, ex qua non liceat comedere; hanc obedientiam tam benigno conditori praestandam esse. Haec forte cum dixit, in Paradiso Hevam suam circumducens Adam prohibitam arborem ei ostendit.

Ita Adam et Heva florentes innocentia et justitia originali, pleni securitate propter fiduciam in Deum tam benignum, deambularunt nudi, tractantes verbum et mandatum Dei, et benedicentes Deum, sicut in die Sabbato decet. Ibi, proh dolor, intervenit Satan, et intra paucas horas subvertit ista omnia, sicut audiemus.

Porro hic quoque mare quaestionum oritur. Nam homines curiosi quaerunt, cur Deus permiserit hoc Satanae, ut tentaret Hevam? Cur autem Satan per serpentem potius, quam aliam bestiam Hevae insi-

dictus sit? etc. Sed quis reddere potest rationem eorum, quae videt divinam majestatem permisisse fieri? Cur non potius discimus cum Hiob, non posse Deum vocari in jus, nec ipsum cogi posse ad reddendam nobis omnium, quae facit, aut permittit fieri, rationem? Cur non eadem ratione cum Deo expostulamus, quod non per totum annum terra germinat et arbores virent, sicut in Paradiso omnino existimo perpetuum ver futurum fuisse sine ulla hieme, sine nive et frigoribus, quae hodie sunt post peccatum. Sed sunt ista omnia posita in potestate et voluntate divina; hoc scire satis est. Accuratius autem ea inquirere est impia curiositas. Quare nos, lutum manuum ejus, cessemus disputare de talibus. Non judicemus Deum nostrum, sed sinamus nos ab eo potius judicari.

Responsio itaque ad omnia hujusmodi argumenta haec una esse debet: quod Domino sic placuit, ut periclitaretur Adam, et exerceret vires suas, sicut adhuc hodie, cum baptisati, et in regnum Christi translati sumus, non vult Deus nos otiosos esse, vult exerceri verbum et dona sua; ideo permittit nos infirmos a Satana cribrari. Ad hunc modum videmus ecclesiam repurgatam verbo assidue periclitari; excitantur Sacramentarii, Anabaptistae et alii fanatici doctores, qui ecclesiam exercent variis tentationibus: accedunt etiam internae vexationes. Haec ita permittit Deus fieri, non quod constituerit ecclesiam aut deserere, aut perire velle, sed, sicut Sapientia (10, 12.) dicit, illa certamina ecclesiae et piis objiciuntur, ut vincant, et ipso usu discant, quoniam omnium potentior est sapientia.

Alia quaestio hic est, de qua fortasse minore

cum periculo, fructu autem majore disputari potest, nempe, cur scriptura ista sic involvat, et non potius aperte dicat, Angelum, qui cecidit, invasisse serpentem, et per serpentem locutum esse, et decepisse Hevam? Sed respondeo, ista sic involuta esse, ut omnia reservarentur Christo et ejus spiritui, qui per totum orbem debebat lucere, sicut sol meridianus, et omnia scripturae mysteria aperire. Hic spiritus Christi quia in Prophetis fuit, intellexerunt Prophetae sancti talia scripturae mysteria.

Diximus autem supra, serpentem (sicut etiam bestiae sua differentia dona habent) excelluisse dono calliditatis; ideo ad hunc Satanae ludum aptior fuit. Et hujus rei satis evidens testimonium est hic Mosi textus, qui dicit, singularem prae omnibus bestiis terrae calliditatem in serpente fuisse. Miramur hodie in vulpibus istam insidiandi calliditatem, deinde in fugiendo periculo mirabilem solertiam, quod non nunquam insectantibus canibus, postquam cursu defatigata est, caudam objicit; in eam cum canes magno impetu feruntur et cursum sistunt, ipsa mirabili celeritate aliquantulum spatii occupat, et sic evadit. Sunt aliae bestiae, in quibus singularem solertiam et industriam miramur. Sed haec in serpente singularis fuit; ideo Satanae commodum organum visum, per quod insidiaretur Hevae.

Qui dixit ad mulierem: Scilicet praecepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi?

Disputant sophistae quoque de genere hujus tentationis, qualisnam fuerit. Num peccaverint idolatria, num superbia seu securitate, an vero simplici pomi comestione? Sed nos, si ista, uti debent, paulo

diligentius considerabimus, inveniemus summam et acerrimam omnium tentationum hanc fuisse, quia serpens invadit ipsam voluntatem Dei bonam, et nititur ex interdictione arboris probare, Dei voluntatem erga hominem non esse bonam. Ipsam igitur imaginem Dei et summas vires, quae in natura incorrupta erant, petit: ipsum summum cultum, quem Deus ordinaverat, conatur evertere. Frustra igitur disputamus de hoc aut illo peccato; sollicitatur enim Heva simpliciter ad omnia peccata, cum contra verbum et voluntatem Dei bonam sollicitatur.

Itaque Moses cautissime loquitur, et inquit: „Dixit Serpens“, hoc est, verbo impugnat verbum. Verbum, quod Adae dixerat Dominus, hoc erat: „De ligno scientiae boni et mali ne comede“. Hoc verbum erat Adae evangelium et lex, erat ejus cultus, erat servitus et obedientia, quam poterat Deo in ista innocentia praestare. Haec petit Satan, haec conatur evertere. Nec tantum hoc agit, quod imperiti cogitant, ut ostendat arborem, et invitet ad fructum decerpendum; ostendit quidem, sed addit aliud et novum verbum, sicut adhuc solet in ecclesia.

Quando enim evangelium pure praedicatur, tunc homines certam fidei suae regulam habent, et idolatriam cavere possunt. Sed ibi Satan varia conatur et tentat, quomodo aut a verbo abducat homines, aut depravet verbum. Ita in Graeca ecclesia etiam Apostolorum tempore excitatae sunt variae haereses; alius negavit, Christum esse filium Dei, alius negavit, eum esse filium Mariae, sicut Anabaptistae hodie impie negant, Christum de carne Mariae aliquid sumsisse. Ac Basilii temporibus praecipue conati sunt, Spiritum sanctum negare, quod Deus sit.

Eadem exempla nostra aetas etiam vidit, ubi, postquam purior evangelii doctrina illuxit, impugnatores operum et verbi Dei non unius generis exorti sunt. Non quidem cessant aliae tentationes, quod sollicitat Satan ad scortationem, adulteria et similia flagitia. Sed haec tentatio, cum Satan verbum et opera Dei petit, longe est gravior et periculosior, et propria ecclesiae et sanctorum.

Ad hunc igitur modum Adam et Hevam petit hic Satan, ut verbum eis eripiat, et ut mendacio credant, amisso verbo et fiducia in Deum. Hoc cum accidit, quid mirum est postea fieri superbum? esse contemtorem Dei et hominum, fieri adulterum, homicidam? etc. Vere igitur haec tentatio caput omnium tentationum est, quae secum affert ruinam seu violationem totius Decalogi. Fons enim omnium peccatorum est incredulitas; hanc cum Satan excusso aut depravato verbo excitavit, nihil ei non facile est.

Sic cum Heva verbum sibi esset passa per mendacium excuti, facillimum fuit accedere ad arborem et pomum ex ea decerpere. Itaque stultum est cogitare, sicut sophistae et Monachi de hac tentatione cogitant, quod Heva, cum arborem esset intuita, paulatim coeperit incendi cupiditate decerpendi pomi, donec tandem victa cupiditate pomum ori admovit. Nam tentatio summa fuit, audire aliud verbum, ac discedere ab eo, quod Deus prolocutus erat, futurum ut morerentur, si ex ea comedissent. Sed videamus ordine verba Mosi.

Primo Satan imitatur Deum. Sicut enim Deus erat concionatus Adae, ita ipse quoque concionatur Hevae. Verum enim est, quod proverbio dicitur: In nomine Domini incipit omne malum. Sicut igitur ex

verbo Dei vero salus est: ita etiam ex verbo Dei depravato est perditio. Voco autem verbum depravatum non solum vocale ministerium, sed etiam persuasionem internam, seu opiniones a verbo dissidentes.

Significat autem hoc Moses per verbum: dixit. Hoc enim egit Satan, ut per suum dicere abduceret Hevam ab eo, quod Deus dixerat, ac sublato verbo corrupit optimam voluntatem, quam antea habuit homo, ut fieret rebellis: corrupit etiam intellectum, ut dubitaret de voluntate Dei. Ex his sequitur postea rebellis manus, contra mandatum Dei extensa ad pomum carpendum: deinde os et dentes rebelles. In summa, omnia mala sequuntur incredulitatem seu dubitationem de verbo et Deo. Quid enim potest esse pejus, quam inobedientem esse Deo, et obedire Satanae?

Hanc astutiam et malitiam Satanae imitantur omnes Haeretici, ut specie boni eripiant hominibus Deum et verbum quasi ex oculis, et fingant eis alium Deum novum, qui nusquam est. Nam si spectes verba, nihil iis sanctius, nihil religiosius est. Testantur Deum, quod ex toto corde quaerant salutem ecclesiae, detestantur, ut qui maxime impia docentes; nomen et gloriam Dei magno conatu fatentur se cupere propagare. Quid multis? non volunt videri, quod sint doctores Diabolici seu Haeretici, et tamen hoc unum agunt, quomodo veram doctrinam opprimant, etDei cognitionem obscurent.

Itaque facilis postea lapsus est; incauti enim homines patiuntur se a verbo abduci ad periculosas disputationes; non contenti verbo quaerunt, cur et quare ista sic fiant? Sicut Heva, cum audit Diabolum in dubium vocare mandatum Dei, periit; ita

[illegible] cum dubitamus, num voluerit Deus nos, morte et peccato oppressos, salvari per Christum, quam facile accidit, ut decipiamur, et patiamur nobis indui cucullos, ut propter opera perfectionis coronemur?

Ita ne advertentibus quidem hominibus novus fingitur a Satana Deus; proponit enim ipse quoque verbum, sed non quale a Deo propositum est, ut scilicet praedicetur poenitentia et remissio peccatorum in nomine Christi. Cum ad hunc modum verbum Dei mutatur aut depravatur, tunc, sicut Moses in Cantico suo dicit: „Veniunt novi recentesque *Dii*, quos non coluerunt patres nostri, Deutero. 32. (v. 17.).

Has insidias novisse utile est. Si enim doceret Satan, occidendum, fornicandum, parentibus resistendum esse, quis non videret eum suadere a Domino prohibita? facile itaque esset eum cavere. Sed hic cum verbum aliud proponit, cum disputat de voluntate Dei, cum opponit nomen Dei, ecclesiae et populi Dei, ibi tam facile caveri non potest. Sed est opus acerrimo judicio spiritus, ut distinguamus inter Deum verum et novum Deum; sicut Christus distinguit, cum Satan ei persuadere conatur, ut dicat, ut lapides panis fiant, ut se praecipitet de pinnaculo templi; volebat enim Satan Christo persuadere, ut conaretur aliquid sine verbo. Sed non potuit Christum decipere, sicut Hevam decepit; retinet enim verbum, nec patitur se a vero Deo ad falsum et novum Deum abducere.

Vere enim fons omnis peccati est incredulitas et dubitatio, cum a verbo disceditur. His quia mundus plenus est, ideo manet in idolatria, negat veritatem Dei, et fingit novum Deum.

Monachus est idolatra; sic enim imaginatur, si secundum regulam Francisci aut Dominici vixerit tam esse viam ad regnum Dei. Hoc autem est fingere novum Deum, et fieri idolatram, quia verus Deus pronuntiat viam ad regnum coelorum esse, si credas in Christum. Amissa igitur fide sequitur incredulitas et idolatria, quae transfert gloriam Dei in opera. Sic Anabaptistae, Sacramentarii, Papistae omnes sunt idolatrae, non quod lapides aut ligna adorent, sed quia adorant cogitationes suas, relicto verbo.

Pertinet itaque hic locus eo, ut discamus, initium peccati originalis fuisse hanc tentationem Diaboli, cum a verbo Dei abduxit Hevam ad idolatriam, contra primum, secundum et tertium praeceptum.

Huc enim proprie pertinent verba haec: „Scilicet praecepit vobis Deus"? Est horribilis audacia Diaboli, fingentis novum Deum, et negantis priorem verum et aeternum Deum cum tanta securitate et fiducia. Quasi dicat: Profecto fatui estis, si creditis, Deum ita praecepisse; Deus enim nullo modo talis est, ut tam sollicite curet, sive edatis, sive non. Quia enim est arbor scientiae boni et mali, quomodo potest in eum cadere tanta invidia, ut nolit, vos esse sapientes?

Porro ineffabilis haec malitia satis arguit, etsi Moses tantum serpentis et non etiam Satanae mentionem facit, Satanam hujus negotii architectum fuisse. Ac Patres et Prophetae sancti, quantumvis involuta haec essent, tamen Spiritu sancto eos illustrante, facile viderunt, non esse hoc negotium serpentis, sed fuisse in serpente spiritum illum, hostem innocentis naturae, de quo Christus in evangelio clare concionatur, quod non steterit in veritate, et quod

homicida et mendax sit (Ioh. 8, 44.). Evangelii enim fuit ista explicare clarius, et ostendere hunc hostem Dei et hominum.

Viderunt autem Patres hoc ipsum ex tali ratiocinatione: Certum est, fuisse tum omnes creaturas in perfecta obedientia, secundum sententiam: „Et vidit Deus cuncta, quae fecit, et erant valde bona". Hic autem in Serpente prodit se talis spiritus, qui sit hostis Dei, et verbum Dei depravet, ut eo modo innocentem hominem in peccatum et mortem inducat. Manifestum igitur est, fuisse in serpente aliquid deterius, quod proprie possit vocari adversarius Dei, mendax et homicida spiritus, in quo maxima et horribilis est securitas, quod non veretur depravare mandatum Dei, et sollicitare hominem ad idolatriam; ex qua novit totum genus humanum periturum esse. Vere horribilia haec sunt, cum recte a nobis aestimantur, ac videmus etiamnum in Papistis et aliis sectis exempla similis securitatis, qua verbum Dei depravant, et homines seducunt.

Heva initio egregie resistit tentatori; ducitur enim adhuc Spiritu illo praelucente, sicut supra ostendimus, hominem integrum, et ad Dei similitudinem esse conditum; sed tandem patitur se persuaderi.

De lapsu autem Angelorum incertum est, quo die acciderit, secundone an tertio? Hoc tantum ex evangelio ostendi potest, cecidisse eum de coelo, sicut Christus testatur, vidisse se, quomodo de coelo ceciderit (Luc. 10, 18.). An autem perfecti tum fuerint coeli, an rudes adhuc et imperfecti, nescimus.

Sed haec disputatio non est propria hujus loci. Hoc autem proprium est, videre extremam malitiam cum horribili securitate conjunctam, quod non vere-

tur hic spiritus mandatum divinae majestatis in dubium vocare, praesertim cum sciat, quanta totius humani generis calamitas secutura sit.

Secundo consideranda etiam est astutia singularis, quae in hoc primum deprehenditur, quod Satan invadit summas hominis vires, et ipsam Dei similitudinem impugnat, nempe voluntatem recte de Deo sentientem. „Fuit serpentis astutia (inquit textus) major, quam omnium animalium terrae".

Sed haec astutia supra illam naturalem astutiam serpentis est, quod cum homine disputat de verbo et voluntate Dei. Hoc serpens ex natura conditionis suae non potuit, qui fuit subditus hominis imperio. Spiritus autem, qui in serpente loquitur, sic callidus est, ut hominem vincat, et persuadeat comedere de fructu ligni prohibiti. Non igitur creatura Dei sic loquitur, quae bona est, sed hostis acerrimus Dei et hominum, qui quidem etiam creatura Dei est, sed non sic mala creata a Deo. Non enim stetit in veritate, ut Christus dicit, Ioh. 8. Haec plana consequentia ex evangelio et hoc textu sequuntur.

Deinde deprehenditur astutia etiam in eo, quod Satan invadit infirmam partem humanae naturae, Hevam feminam, et non Adam masculum. Quanquam enim ambo aequaliter justi creati sunt, tamen Adam Hevae praestitit. Sicut enim in tota reliqua natura mascula virtus excedit alterum sexum: ita etiam in integra natura masculus praestitit non nihil femellae. Ideo Satan, quia Adamum praestantiorem esse videt, non audet eum invadere; metuit enim, ne frustra cedat conatus. Ac credo, si primum tentasset Adamum, Adami victoriam fuisse futuram. Pede contrivisset potius serpentem, et dixisset: Tace tu: Domi-

nus aliud jussit. Satan igitur Hevam tanquam infirmiorem partem adoritur, et tentat ejus fortitudinem; videt enim eam sic confidere viro, ut non putet se posse peccare.

Porro hic quoque admonemur de permissione divina, quod Diabolo permissum est invadere bestias, sicut hic invasit serpentem. Non enim dubium est, verum serpentem fuisse, in quo Satan fuit, et cum Heva collocutus est.

Quod autem disputant, an fuerit humana facie, ridicula sunt. Fuit serpens bestiola pulcherrima, alioqui non sic secure cum eo esset collocuta Heva. Post peccatum autem non solum illa serpentis pulchritudo immutata est (minatur enim Deus, futurum, ut repat humi, qui ante erectus incessit sicut gallus: item, ut comedat terram, qui prius vescebatur melioribus fructibus); sed etiam securitas illa amissa est; fugimus enim a serpentibus, sicut vicissim serpentes nos fugiunt. Haec vulnera naturae propter peccatum inflicta sunt, sicut nos nuditatem, rectam voluntatem, sanum intellectum amisimus. Ac de astutia quoque plurimum serpentem amisisse credo, quam Moses hic tanquam singulare donum creatoris praedicat. Sicut igitur serpens hodie malus est inter bestias, ita tum pulchrum, bonum, benedictum et amabilem fuisse judico, cum quo non homo solum, sed caeterae quoque bestiae libenter et cum voluptate vixerunt. Quare Satanae quoque ad hanc rem, quam instituit, aptissimus fuit, ut per eum loqueretur, et ad peccatum Hevam sollicitaret.

Haec mea est cogitatio de serpente naturali, quo Satan abuti voluit, qui fuit tum pulcherrima bestiola sine venenata cauda, sine squamis illis foedis.

Haec enim propter peccatum postea accesserunt. Sicut videmus in Mose praeceptum esse, ut bestiae, quae caedem fecissent, occiderentur, non aliam ob causam, quam quod Satan per eas peccavit occidendo hominem: ita serpens in testimonium hujus lapsus et malitiae diabolicae punitus est.

Quod ad grammaticam attinet, Latinus particulam, אַף כִּי vertit Cur. Etsi autem id a sententia non multum abludit, tamen minus proprium est. Nam prima et maxima tentatio est, quando disputatur de consilio Dei, quare Deus hoc vel illud fecerit? Mea autem sententia emphasis non est posita in illa particula Cur vel Num, sed potius in nomine Elohim, Deus. Id enim facit tentationem fortiorem.

Quasi dicat: Profecto bene fatui estis, si cogitatis Deum noluisse, ut de hac arbore comederetis, qui super omnes Paradisi arbores vos constituit dominos, imo vestra causa eas condidit. Quomodo, qui favit vobis omnia, hujus unius arboris fructus invidere vobis potest, tam jucundos et suaves? Eo enim respicit Satan, quomodo eis verbum eripiat et cognitionem Dei, ut statuant, non est haec voluntas Dei, Deus hoc non praecepit. Hanc enim sententiam sequentia quoque comprobant, ubi dicit: Non moriemini. In hoc enim Satanae posita sunt omnia, quomodo a verbo et fide, hoc est, a vero Deo abducat ad falsum Deum.

Hanc rationem Satanae sequuntur omnes fanatici spiritus. Sic Arius: Putasne, quod Christus sit Deus, qui clare dicit: Pater major me est? Sic Sacramentarii: Putasne, quod panis sit corpus Christi, et vinum sanguis Christi? profecto sic absurda Christus

ne

ne cogitavit quidem. His cogitationibus cum postea indulgent homines, paulatim a verbo discedunt, et incidunt in errorem.

Cum igitur caput tentationis sit dubitare, an Deus hoc dixerit, rectius emphasis ponitur in nomine Deus. Particula Quare languidiusculam sententiam facit. Magis igitur mihi placet, ut vertas: Non, vel Num dixit Deus: Non comedetis de omni ligno horti? Non enim hoc agit proprie, ut quaerat causam, quare Deus hoc dixerit? Illud potius agit, ut Hevá statuat, Deum hoc simpliciter non dixisse, ut ita verbum ei eripiat. Videt enim, rationem hoc modo facile posse falli, quando sub Dei nomine et verbo Deus et verbum amittitur.

Porro hoc quoque insidiosissime dictum est, quod in genere loquitur, et includit universaliter omnes arbores; quasi dicat: Habetis universale dominium in omnes bestias, et scilicet Deus, qui universale hoc dominium in omnes bestias vobis tradidit, non tradidit simul omnes arbores? Quin hoc potius cogitabitis: Sicut Deus omnem terram et pecudes omnes vobis subjecit, ita etiam concessit usum omnium terra nascentium.

Haec sane magna tentatio est, qua Hevae animum sic conatur sollicitare, ut statuat, Deum non esse dissimilem sui. Itaque si tradidit aliarum creaturarum universalitatem, tradidit quoque universalitatem arborum. Sequitur igitur, mandatum de arbore non gustanda non esse Dei mandatum, aut saltem non sic intelligendum, quasi nolit ex ea arbore comedi.

Sic gemina tentatio proponitur, qua tamen Satan idem agit: prima est: Deus hoc non dixit: ergo

licet ex arbore hac comedere. Secunda est: Deus dedit vobis omnia: ergo habetis omnia: ergo una haec arbor vobis non est prohibita etc. Tendit autem utraque ad id, ut a verbo et a fide abducatur Heva. Nam hoc praeceptum, quod eis a Deo traditum est, de non gustanda hac arbore, arguit Adam cum suis posteris victurum fuisse etiam in integra natura in fide, donec ex corporali hac vita esset translatus ad spiritualem. Ubi enim verbum est, ibi necessario etiam est fides. Hic est verbum, ne gustet hanc arborem; alioqui eum moriturum esse: oportuit igitur Adamum et Hevam credere, quod arbor haec esset saluti inimica. Sic inclusa est in hoc ipsum praeceptum fides.

Nos, qui ex peccato transferimur in justitiam, et ex mortali corpore ad corpus immortale, etiam in fide vivimus. Sed verbum habemus aliud, quod Adam in integra natura non habuit, qui simpliciter ex animali vita erat transferendus ad spiritualem. Ideo supra dixi, hanc arborem in medio Paradisi futuram fuisse ceu templum, in quo hoc verbum praedicaretur, quod aliae arbores omnes essent salubres, haec autem esset exitiosa. Quare discerent obedire Deo, et hunc cultum Deo praestare, ne ex ea gustarent; Deum enim prohibuisse.

Ad hunc modum natura incorrupta, quae Dei notitiam veram habuit, tamen habuit verbum seu praeceptum, quod esset supra intellectum Adae, et credi oporteret. Ideo autem hoc praeceptum traditum est innocenti naturae, ut haberet Adam signum seu formam colendi Deum, Deo gratias agendi, et instituendi filios suos. Hoc videns Diabolus, et sciens, quod hoc praeceptum esset supra intellectum homi-

nis, tentat Hevam, ut ipsa cogitet, sitne hoc Dei mandatum et voluntas, an non? Est autem haec omnis tentationis origo et caput, cum de verbo et Deo ratio per se judicare conatur sine verbo.

Voluerat Deus, ut hoc praeceptum esset homini occasio obedientiae et cultus externi: item, ut arbor ista esset ceu signum, quo testaretur homo se Deo obedire. Sed Satan quia disputationem movet, an hoc Deus praeceperit, ab hac obedientia hominem conatur abducere ad peccatum. Hic unica salus fuisset, si Heva ursisset mandatum Dei, nec passa se esset ad alias disputationes abduci, num Deus hoc mandasset? num, cum omnia hominis causa condiderit Deus, una haec arbor ad hominis perniciem sit condita? Sapientia quidem esse videtur, haec perscrutari accuratius, sed cum primum hujusmodi disputationibus indulget animus, actum est. Sed audiamus, quid responderit Heva.

Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quae sunt in Paradiso, vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, praecepit nobis Deus, ne comederemus, neque tangeremus illud, ne forte moriamur.

Initia satis secunda sunt: distinguit inter reliquas arbores et hanc, recitat mandatum Dei. Sed ibi labascit, cum ad poenae commemorationem est ventum. Non enim recitat poenam, sicut a Domino proposita fuerat: simpliciter enim dixerat: „Quacunque die ex ea comederitis, morte moriemini“. Ex hac absoluta sententia facit ipsa non absolutam, sed addit: „Ne forte moriamur“.

Hoc notabile et non praetereundum vitium est; arguit enim, quod a fide deflexerit ad infidelitatem. Nam sicut promissio exigit fidem, ita etiam commi-natio exigit fidem. Statuere debebat Heva: Si manducavero, certo moriar. Hanc fidem sic invadit Satan insidiosa oratione, ut Heva addat particulam Forte. Sic enim persuasa erat a Diabolo, ut cogitaret, Deum neutiquam tam esse crudelem, ut propter pomum gustatum occidat. Sic veneno Satanae cor Hevae nunc infectum est.

Noster textus ideo hic quoque parum bene translatus est, quod sonat, quasi Heva sua verba recitet, cum recitet verbum Dei, et de suo ad verbum Dei addat particulam Forte. Successit itaque dolus mendaci spiritui; quod enim praecipue quaesivit, quomodo Hevam a verbo et fide abduceret, id nunc eo usque perfecit, ut Heva depravet verbum Dei, hoc est, ut Pauli verbis utar, avertit eam a voluntate divina, ut post Satanam eat, 1. Tim. 5, (v. 15.). Initium autem ruinae est averti a Deo, et converti ad Satanam, hoc est, non constanter manere in verbo et in fide. Haec initia cum videt Satan, incumbit jam summa vi, tanquam in inclinatum parietem, ut penitus eam opprimat.

Et dixit serpens ad mulierem: Nequaquam moriemini: sed scit Deus, quod ea die, qua ex hac arbore comedetis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum.

Haec est Satanica rhetorica, qua miseram mulierculam penitus obruit, cum videt eam aversam a Deo et inclinatam ad alium doctorem audiendum.

Supra cum diceret: „Num Deus vobis hoc praecepit", non manifeste negavit verbum, sed per modum quaestionis in dubitationem conatus est Hevam abducere. Nunc, postquam hoc se effecisse videt, incipit cum summa temeritate simpliciter Dei verbum negare, et Deum mendacii et crudelitatis arguere. Non satis ei est, Hevam addidisse particulam Forte, sed ex particula Forte nunc facit negationem, et dicit: Non moriemini.

Videmus igitur hic, quam horribilis res sit, cum Diabolus incipit hominem tentare. Ibi enim ruina ruinam trahit, et in speciem levis offensio ingentem ruinam commovet. Magnum erat averti a Deo et verbo ejus, et praebere aures Satanae. Sed longe majus est, quod nunc fit, ut assentiatur Heva Satanae, arguenti Deum mendacii, et impingenti quasi colaphos in faciem Dei. Non igitur amplius aversa est Heva, ut in prima tentatione, sed cum Satana incipit contemnere Deum, negare verbum Dei, et credere patri mendaciorum contra verbum Dei.

Haec nobis documento sint, ut discamus, quid sit homo. Si enim accidit hoc in natura adhuc integra, quid putabimus de nobis futurum esse? Et exempla ante oculos sunt. Qui nobiscum initio gratias Deo agebant pro revelato verbo, horum multos videmus non solum cecidisse, sed etiam nunc adversari nobis.

Sic postquam Ariani coepissent labi a fide divinitatis Filii, mox in eum furorem acti sunt, ut verae ecclesiae hostes fierent, et eam summa crudelitate persequerentur. Sicut ejusdem furoris exempla etiam in Anabaptistis vidimus. Omnes cum initio ad particulam Forte a Satana abducti sunt, postea ex Forte

faciunt negativam Non: ex desertoribus Dei etiam fiunt persecutores Dei. Imitantur enim patrem suum Satanam. Is postquam de coelo per peccatum delapsus est, acerrimus hostis Christi et ecclesiae factus est.

Nec desunt hodie exempla similia: neque enim habemus acriores hostes, quam qui a nostra doctrina defecerunt. Ex hoc enim peccato sequitur illud infelix elogium: „Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus" (Psalm. 14, 1.). Non enim sic lapsis satis est averti a Deo, nisi etiam Deum et verbum ejus impugnent.

Quare hac regula praecipue opus est, ad quam tanquam ad sacram ancoram respiciendum est in omni vita, ut, postquam constat, hoc esse verbum Dei, quod habemus et profitemur, simplici fide ei assentiamur, et non disputemus curiose. Nam omnis curiosa disputatio certissimam secum affert ruinam.

Habemus Christi verbum manifestum de coena Domini, ubi de pane dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. De poculo: Hic est calix novi testamenti in meo sanguine. Fanatici igitur, cum a fide horum verborum discedunt, et disputant, quomodo haec sic esse possunt, paulatim eo labuntur, ut simpliciter hoc verbum Christi negent et impugnent, sicut hoc in loco Hevae accidit.

Sic cum Arius de Deo cogitat, quod sit simplicissima unitas, initio apprehendit hanc propositionem: Forte Christus non est Deus. Deinde tantisper absurditates colligit, dum plane defendat, et statuat certo, Christum non esse Deum. Non movet eum, quod Iohannes (1, 1.) clare dicit: „Verbum erat Deus": non movet eum, quod Christus jubet baptiza-

ri in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: non, quod mandatum habemus credendi in Christum, adorandi et invocandi eum. Quid autem est magis absurdum, quam quod nobis sumimus judicium de Deo et verbo ejus, qui a Deo judicari debebamus? Ergo in hoc simpliciter consistendum est, cum audimus, Deum aliquid dicere, ut id credamus et non disputemus, sed potius captivemus intellectum in obsequium Christi.

Recte citatur Esaiae sententia Cap. 7, (v. 9.): „Nisi credideritis, non permanebitis". Nam etiamsi rumpamur, tamen nunquam intelligimus, quomodo oculus videat, quomodo auris audiat, quid anima sit? etc. Et tamen haec in nobis sunt, his quotidie et omni momento utimur in omnibus actionibus. Quomodo igitur intelligemus illa, quae supra omnes sensus in solo verbo sunt? Sicut in solo verbo est, quod ille panis sit corpus Christi, quod vinum hoc sit sanguis Christi: credi debent, intelligi nec debent, nec possunt.

Sic, quod ad praesentem Mosi locum attinet, verba erant simplicissima: „Ex arbore in medio Paradisi non comedetis". Sed rationem horum verborum non intelligebat ratio, quare Deus haec ita vellet fieri. Dum igitur curiosius inquirit Heva, non contenta eo, quod audierat Dominum praecepisse, perit. Quare haec tentatio verum exemplar est omnium tentationum, per quas Satan impugnat verbum et fidem. Priusquam Hevam subit libido comedendi pomi, amisit verbum, quod Deus ad Adamum dixit. Hoc verbum si retinuisset, mansisset reverentia Dei et fides: ubi contra amisso verbo adest contemtus Dei et obedientia Diaboli.

Haec utilia sunt, ut discamus, sicut Petrus (1. Petr. 5, 9.) dicit, in tentatione fortiter stare, et resistere tentatori, retinentes verbum forti fide, et occludentes aures, ne admittamus ea, quae a verbo aliena sunt. Vere enim haec παθήματα Hevae et Adae nobis sunt μαθήματα, ne a verbo et fide abducti patiamur eadem.

Quod sequitur in textu: „Scit Deus, quod aperientur oculi vestri", duplicem sententiam habet. Aut enim intelligi potest, quod dixerit hoc ad movendam invidiam Deo, qui tam utili fructu noluit vesci hominem, ut Heva hoc modo inciperet odisse Deum tanquam parum faventem: aut, sicut ego intelligo, laudat Deum, ut eo facilius Hevam in fraudem inducat. Quasi dicat: Profecto Deus non talis est, ut velit vos tanquam in tenebris vivere, sine cognitione boni et mali. Bonus est: nihil vobis invidet, quod ad vos juvandos aliquo modo conducibile est; aequo animo feret, vos ipsi esse similes.

Ad hunc modum cum Satan Deum laudat, tum vere habet novaculam in manu, ut gulam praecidat homini. Hic enim lapsus facillimus est, ubi ad id, quod cupiditas suadet, etiam praetextus verbi et voluntatis Dei accedit. Atque hoc facit, ut potius intelligam, haec a Satana dici ad persuadendam Hevam quam ad invidiam movendam Deo. Et tamen liberum vobis facio, ut sequamini, quod libet. Summa certe haec est, quod conatur a verbo abducere et persuadere, ut Heva id faciat, quod per verbum erat prohibitum. Est enim acerrimus verbi Dei hostis, quod novit, in obedientia verbi nostram salutem esse positam.

Sed hic movetur quaestio non sane absurda, qui

fiat, quod Heva peccatum suum nondum sentiat? Etsi enim pomum nondum voraverat, tamen peccavit contra verbum et fidem, si quidem a verbo aversa est ad mendacium, a fide ad incredulitatem, a Deo ad Satanam, a cultu Dei ad idolatriam. Hoc cum caput peccati sit (nam pomum decerpere non fuit peccati caput), qui fit, quod mors non statim sequitur? qui fit, quod peccatum suum non sentit? imo, qui fit, postquam ipsa pomum comedit, quod mortem non sentit, priusquam Adamum etiam persuaserit ad comedendum?

Scholae varia disputant de rationis portione superiore et inferiore, quod Adam sit superior portio rationis, Heva inferior. Sed his ineruditis et scholasticis rationibus omissis quaeramus veram sententiam. Ea autem haec est:

Primum Deus est longanimis: itaque non statim punit peccatum: alioqui fieret, ut in peccatis statim periremus. Hac longanimitate Dei Satan abutitur, cui utile est ad institutum suum, ut homo peccatum suum non statim sentiat. Fit itaque, ut, quia poena cessat, Satan animum impleat securitate, ut non solum homo non observet a se peccatum esse, sed ut etiam in peccatis suis gaudeat et exsultet. Sicut videmus in Pontificibus. Hi si carnificinam conscientiarum, imo interitum hominum, in quem per impiam doctrinam eos adducunt, oculis et animo cernere possent, sine dubio emendarent doctrinam. Iam autem Satan oculos quasi praestringit, ne iram Dei et judicium suum videre possint. Itaque in his ipsis gravissimis peccatis cum summa securitate, cum gaudio et laetitia vivunt, ac quasi re bene gesta magnificos triumphos agunt.

Idem plane hic Hevae accidit. Per incredulitatem a verbo in mendacium ruerat; itaque coram oculis Dei jam mortua. Tenente autem Satana animum et oculos, mortem non solum non videt, nec sentit, sed paulatim etiam magis incenditur cupiditate pomi, et delectatur in idolatria ista et peccato. Si igitur Heva a verbo non discessisset, abominatio ei fuisset, sic inspicere pomum, ut eo vesci cuperet: nunc cum voluptate hoc peccatum in animo versat. Ubi prius refugisset, si quem alium vidisset extendentem manus ad arborem istam: nunc morae impatiens est, sic descendente peccato ad inferiora membra, et prorumpente ex corde. Haec igitur delectatio et cupiditas comedendi pomi est tanquam morbus ex peccato natus, quem postea mors sequitur, licet eam Heva interim, dum peccat, non sentiat, sicut sequitur.

Vidit itaque mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis et delectabile, quia prudentes faceret: tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, et comedit.

Vide, quomodo peccatum paulatim diffundatur in omnes sensus. Quid enim omittit Heva, quod ad peccatum augendum attinet, postquam Satanae contra Dei verbum credit, futurum, ut non moriatur, sed potius, ut aperiantur oculi, et cognoscat malum et bonum? Oculi non possunt satiari adspectu: parum ei est, quod habet cognitionem Dei et rectam rationem, etiam mali cognitionem optat accedere. Hoc vero est Satanae ipsissimum venenum, quod optat sapere supra id, quod ei praeceptum erat. Est enim haec sapientia mors, et inimica sapientiae Dei

in praecepto traditae. Facit enim haec sapientia, ut, quod peccatum est, judicet esse justitiam, et quae extrema insania est, sentiat esse optimam sapientiam.

Emphasis igitur in eo est, quod tamen Latinus textus omisit, quod scilicet arbor ideo videbatur delectabilis, quia prudentes faceret. Hoc enim Diabolus in omnibus tentationibus solet, ut, quanto homo a verbo discedit longius, tanto videatur sibi doctior et sapientior.

Sic magnam sapientiam esse putant dicere, quod panis panis sit, quod vinum sit vinum, non corpus et non sanguis Christi. Arius se in eo palmarium reperisse putat, quod ex quibusdam sententiis male detortis λόγον fuisse dicit ante creaturas, et tamen esse creatum. Anabaptistis magna sapientia videtur, cum plenis buccis declamitant, aquam non posse attingere spiritum seu animam, sed nudam cutem: igitur baptismum non facere ad remissionem peccatorum, sicut novimus fanaticos spiritus alicubi baptisasse sine aqua, qui tamen gloriantur, se nunquam dissensisse a nobis. Ac verum est, quod haec est sapientia, sed est sapientia Diabolica, contraria verbo et sapientiae Dei. Est autem propria haec Diaboli tentatio, ut nos sic reddat sapientes contra et supra verbum Dei, sicut ipse fuit in coelo. Longe autem vincit haec sapientiae tentatio illas crassiores libidinis, avaritiae, superbiae etc.

Verbum הִשְׂכִּיל significat prudentem esse, inde מַשְׂכִּיל sapiens, prudens, ut Psal. 14, (v. 2.): „Vidit Deus de coelo super filios hominum, num quis esset intelligens, et qui requirat Deum". Et Esaiae 53, (v. 13.): „Servus meus יַשְׂכִּיל, prudenter aget". Significat autem proprie eam sapientiam, qua cognos-

citur Deus. At habuit eam lucem ceu solem He antea in corde suo, si quidem verbum habebat, dei de etiam cognitionem omnium creaturarum. Sed e sapientia non contenta vult altius adscendere, Deum aliter cognoscere, quam in verbo suo oste derat. Hic ille lapsus est, ut amissa vera sapienti ruat in extremam coecitatem.

Sicut autem Satan tum fecit, ita adhuc faci Iubet Deus, ut credamus evangelio de Filio suo, e sic salvemur. Haec vera sapientia est, sicut Christu quoque dicit: „Haec est vita aeterna, ut cognoscan te, verum Deum, et quem misisti Iesum Christum (Ioh. 17, 3.). Hanc sapientiam Monachus negligit, e vertitur ad alia; induit cucullum, cingit se fune, *sus*cipit votum coelibatus etc., ac statuit sic placiturum se Deo, et salvatum iri. Haec est ista sublimis *sa*pientia, quae exercetur in cultu et religione erga Deum, plantata per Satanam et originale peccatum in hac misera natura, ut homines omisso verbo, quod Deus proposuit ad salutem, vertantur ad suas cogitationes. Sicut Heva sapientissima femina condita appetit aliam sapientiam extra verbum, et propter hanc sapientiam sic multipliciter peccat omnibus sensibus, videndo, cogitando, desiderando et operando.

Non igitur audiendi sunt, qui disputant, crudelitatem esse, quod propter pomi morsum natura haec sic misere corrupta sit, et demersa in mortem et reliquas calamitates. Nam Epicurei cum haec audiunt, tanquam fabulam rident. Sed diligenti lectori facile apparet, pomi morsum non esse causam: peccatum causa est, quo peccat Heva contra utranque tabulam et contra ipsum Deum et verbum ejus, ac peccat eo

modo, ut verbum Dei abjiciat, et se totam praebeat Satanae discipulam.

Haec nullo modo possunt extenuari; sunt enim, ut dicunt, praegnantes causae harum poenarum, quas sustinemus, tam horribile peccatum et tam horribilis aversio a Deo. Hanc intueri animo debebamus, et non tantum haerere in decerpto ac vorato pomo. Qui enim solum opus et non peccatum, ex quo opus hoc secutum est, intuentur, hi non possunt Deum non accusare crudelitatis, quod ob tantillum peccatulum tantas poenas universo generi humano inflixerit. Quare oderunt Deum, et desperant, aut, sicut Epicurei, haec tanquam fabulam rident.

In verbum igitur respiciendum est; est autem id Dei verbum: Quam magnum igitur est verbum, tam magnum etiam est peccatum, quod contra verbum admittitur. Huic peccato universa natura succumbit: quomodo enim id posset vincere? est enim inexhaustae magnitudinis. Quare ad vincendum hoc peccatum eo opus est, qui afferat secum inexhaustam justitiam, hoc est, Filio Dei.

Atque hoc etiam Satanae astus ostendit. Neque enim Hevam statim sollicitat suavitate pomi: summam virtutem hominis primum invadit, fidem in verbum. Radix igitur et fons peccati est incredulitas et aversio a Deo, sicut e contra fons justitiae et radix est fides. Et Satan primum abducit a fide ad incredulitatem: hoc ubi confecit, ut non crederet Heva praecepto a Deo tradito, facile fuit etiam id perficere, ut involaret in arborem, et pomum decerptum comederet; nam peccatum per incredulitatem consummatum in corde sequitur etiam externa inobedientia. Ad hunc modum peccati ratio consideranda

est secundum suam magnitudinem veram, in qua nos omnes periimus. Nunc sequitur revelatio peccati cum poenis suis.

Tum aperiebantur oculi amborum, cumque cognovissent, se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.

Dixi supra, eandem formam esse omnium tentationum Satanae, quod primo fidem tentat, et a verbo abducit: deinde sequuntur peccata contra secundam tabulam. Haec nostra experientia sic geri videmus. Quae jam sequuntur, ad descriptionem peccati pertinent, quale sit, cum in actu est, et quale sit postea, cum transiit. Dum enim in actu est, non sentitur; alioqui rediremus in viam, admoniti incommodis, quae peccatum affert: sed ea quia latent, postquam ab integritate et fide discessum est, secure procedimus in ipsum opus, sicut Heva delinquit in pomo, postquam persuasa est contra verbum Dei, futurum, ut non moriatur, sed tantum aperiantur oculi, et prudentior fiat. Hoc venenum Satanae cum auribus haustum est, extendit manum ad prohibitum fructum, et ore edit, sicque peccat per omnes sensus animi et corporis, et tamen peccatum nondum sentit. Comedit enim pomum cum voluptate, et hortatur maritum quoque, ut idem faciat.

Similia sunt haec in omnibus tentationibus et peccatis sive libidinis sive irae sive avaritiae. Dum enim peccatum in opere est, non sentitur, non terret, non mordet, sed blanditur et delectat. Nec mirum est, nobiscum ista sic fieri, qui isto veneno peccati originalis a planta pedis usque ad verticem infecti su-

mus, si quidem in natura adhuc integra haec accidere. Itaque homines profani, deinde spiritus fanatici, qui vel fidem non habuerunt, vel a fide lapsi sunt, videmus, quam securi sint, quam in defendendis erroribus vehementes et pertinaces sint, ut etiam mori non recusent. Est haec peccati natura, ut aliquandiu non sentiatur: quando autem postea per legem revelatur peccatum, tum nimis graviter incumbit in hominem.

Sed ante hanc revelationem, dum perpetratur, non sunt oculi Hevae aperti: alioqui mortua esset, priusquam attigisset pomum. Quia autem oculi nondum aperti sunt, et manet incredulitas, manet simul delectatio pomi prohibiti, manet studium et desiderium sapientiae acquirendae, quae etiam prohibita erat: misera Heva tum spiritu tum corpore sic absorbetur in incredulitate, ut non videat se male agere.

Similia exempla securitatis ostendunt historiae ecclesiasticae. Arius se beatum putat, dum invenit, quomodo eludat sententias de divinitate Filii. Sed haec securitas non est perpetua. Cum primum enim Hevae oculi aperiuntur, reminiscitur legis, cujus antea oblita erat, quae jubebat, ne vescerentur ex prohibita arbore. Ante hujus legis cognitionem erat sine peccato, sicut Paulus dicit, Rom. 7, (v. 9.): „Ego vivebam aliquando sine lege", non, quod lex non esset, sed quod non sentiret minas et poenas legis; videbatur igitur sibi sine peccato esse. „Per legem enim est cognitio peccati"; reviviscente igitur lege simul reviviscit et peccatum.

Hoc Moses indicat in hac historia primorum parentum, cum dicit: „Aperti sunt oculi eorum". Quasi dicat: Clauserat Satan non solum oculos, sed cor

quoque Hevae per incredulitatem et inobedientiam omnium membrorum intus et foris. Sed post admissum et consummatum peccatum aequo animo patitur aperiri eorum oculos, ut videant, quid fecerint. Hic enim aliud compendium Satan sequitur, ut scilicet in desperatione pereant, qui peccaverunt.

Est igitur historia haec ceu expositio sententiae Pauli, cum dicit: „Per legem cognitio peccati" (Rom. 3, 20.). Lex enim nihil aliud facit, quam ut revelet seu vivificet peccatum, quod jacebat ante legem cognitam ceu mortuum vel dormiens, sicut infra ad Cain dicitur: „Si male egeris, peccatum tuum quiescet, donec reveletur". Quiescit enim, dum in actu est, sed veniente lege, ibi aperiuntur oculi, ut cogitet homo, quid praeceperit Deus, quam poenam in transgressores constituerit. Hoc cum fit, ut sic dominetur lex in conscientia, tum vera peccati cognitio adest, quam sustinere humana corda non possunt, nisi divinitus accedat consolatio.

Quod igitur Moses addit, vidisse post comestum pomum, quod essent nudi, non otiosum est, sed si diligenter consideretur, pulchram descriptionem habet justitiae originalis.

Scholastici disputant, quod justitia originalis non fuerit connaturalis, sed ceu ornatus quidam additus homini tanquam donum, ut si quis formosae puellae coronam imponat. Corona certe non est pars naturae virginis, sed quiddam separatum a natura, quod ab extra accedit, et sine violatione naturae potest iterum adimi. Quare disputant de homine et daemonibus, quod, etsi originalem justitiam amiserint, tamen naturalia pura manserint, sicut initio condita sunt.

Sed

Sed haec sententia, quia peccatum originis extenuat, ceu venenum fugienda est.

Quin hoc statuamus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis: sed fuisse vere naturalem, ita ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum etc. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt. Quia autem, si oculum vitiosum reddas inflicto vulnere, recte dicas, naturam violatam esse; ita, postquam homo ex justitia in peccatum lapsus est, recte et vere dicitur, naturalia non integra, sed corrupta esse per peccatum. Sicut enim natura oculi est videre, ita natura rationis et voluntatis in Adamo fuit, nosse Deum, fidere Deo, timere Deum. Haec cum jam amissa esse constet, quis tam amens est, qui dicat, naturalia adhuc esse integra? Et tamen hac sententia in scholis nihil fuit usitatius nec receptius. Quanto autem absurdius est, hoc de Daemonibus affirmare, quos Christus dicit in veritate non stetisse, et quos novimus acerrimos hostes esse Christi et ecclesiae?

Integra naturalia igitur in homine fuerunt cognitio Dei, fides, timor, etc. Haec Satan per peccatum ita corrupit, ut, sicut lepra carnem inficit, ita voluntas et ratio per peccatum sic vitiata est, ut non solum non diligat amplius Deum, sed eum fugiat et oderit eum, et cupiat sine eo esse et vivere.

Pulchre igitur hic ea corruptio describitur, quae successit originali justitiae et gloriae. Gloria enim fuit, non videre se esse nudum. Quae autem potest esse major corruptio, quam quod nuditas, quae ante gloria fuit, nunc vertitur in summam turpitudinem? Nemo erubescit ob oculos sanos et integros: distor-

ti oculi aut hebetes minus honesti habentur, et inducunt pudorem. Sic in statu innocentiae honestissimum fuit ingredi nudum; nunc post peccatum, cum se nudos esse Adam et Heva vident, pudefiunt, et quaerunt perizomata, quibus turpitudinem tegant. Quanto autem major turpitudo in eo est, quod voluntas saucia, intellectus corruptus et ratio tota vitiosa et in aliud mutata est? Hocne est esse naturalia integra?

Sed vide, quid sequatur ex illa sententia, si statuas justitiam originalem non fuisse naturae, sed donum quoddam superfluum superadditum: an non, sicut ponis, justitiam non fuisse de essentia hominis, ita etiam sequetur, peccatum, quod successit, non esse de essentia hominis? An non igitur frustra est mittere redemtorem Christum, cum justitia originalis, tanquam aliena res a natura nostra, ablata est, et integra naturalia manent? Quid potest indignius theologo dici?

Quare fugiamus deliria ista, tanquam veras pestes et corruptelam sacrarum literarum, et sequamur potius experientiam, quae docet, quod nascimur ex immundo semine, et contrahimus ex ipsa natura seminis ignorantiam Dei, securitatem, incredulitatem, odium erga Deum, inobedientiam, impatientiam et similia gravissima vitia. Haec sic in carnem nostram sunt implantata, hoc venenum sic late per carnem, corpus, animam, nervos, sanguinem, per ossa et medullas ipsas in voluntate, in intellectu, in ratione diffusum est, ut non solum eximi plene non possit, sed ne quidem agnoscatur peccatum esse.

Nota Comici sententia est: Non est flagitium adolescentem scortari. Sed venia debetur homini eth-

nico. Hoc vero indignissimum est, quod Christiani et sacrarum literarum periti in eam sententiam inclinarunt, quod simplex scortatio non sit peccatum. Ac collegia Canonicorum magno consensu eandem sententiam vita et moribus suis comprobant. Hoc cum fit in externo peccato, quid judicabimus de immunditia cordis et internis motibus, quos homines impii non intelligunt esse peccata?

Sic non intelligit homo, gloriam nuditatis per peccatum esse amissam. Nam quod Adam et Heva nudi incesserunt, fuit summus ornatus coram Deo et omni creatura: nunc post peccatum non solum fugimus hominum conspectum nudi, sed etiam coram nobis ipsis verecundamur, sicut de Adam et Heva hic Moses dicit. Testatur autem hic pudor, amissam esse in corde fiduciam erga Deum, quam ante peccatum nudi habuerunt. Quare Adam etsi caecus fuisset, tamen veritus esset se nudum ostendere oculis Dei et hominum, quod per inobedientiam fiducia erga Deum esset amissa.

Porro haec omnia probant, originalem justitiam fuisse de natura hominis; ea autem per peccatum amissa, manifestum est, naturalia non mansisse integra, sicut Scholastici delirant. Sicut enim naturae hominis fuit incedere nudum, plenum fiducia et securitate erga Deum, et sic placere Deo et hominibus: ita nunc post peccatum sentit homo hanc nuditatem innocentis naturae displicere, Deo, sibi et omnibus creaturis; ideo parat perizomata, et tegit corpus. Haec an non naturae est immutatio? Manet quidem natura, sed multis modis corrupta, si quidem fiducia erga Deum amissa est, et cor plenum est diffidentia, metu, pudore. Sic manent in natura

membra eadem: sed quae antea nuda cum gloria conspiciebantur, nunc tanquam turpia et inhonesta velantur propter interiorem defectum, quod natura fiduciam in Deum per peccatum amisit; si enim crederemus, non erubesceremus.

Ex hac corruptione, quae per peccatum secuta est, natum est aliud malum, ut Adam et Heva non solum erubescerent ob nuditatem, quae antea fuit honestissima et singularis ornatus hominis, sed etiam ut facerent sibi cinctoria ad eam corporis partem tanquam turpissimam velandam, quae natura sua honestissima et dignissima erat. Quid enim in tota natura nobilius est, quam opus generationis? Hoc opus divinitus attributum est non oculis, non ori, quas judicamus honestiores partes corporis, sed ei parti, quam nos, per peccatum sic edocti, pudenda appellamus, et studiose involvimus, ne conspiciantur. Sicut autem in innocenti natura totum opus generationis sanctissimum et purissimum fuisset; ita post peccatum lepra libidinis hanc corporis partem invasit. Qui igitur extra conjugium vivunt, ardent turpissime: qui in conjugio vivunt, nisi moderentur affectus, et sollicite custodiant benevolentiam mutuam, quam varie tentantur!

An non igitur sentiemus tandem, quam foeda et horribilis res sit peccatum? si quidem sola libido nullo remedio potest curari, ne quidem conjugio, quod divinitus infirmae naturae pro remedio ordinatum est. Major enim pars conjugatorum vivit in adulteriis, et canit de conjuge notum versiculum: Nec tecum possum vivere, nec sine te. Haec horribilis turpitudo oritur ex honestissima et praestantissima parte corporis nostri. Praestantissimam appello

propter opus generationis, quod praestantissimum est, si quidem conservat speciem. Per peccatum itaque utilissima membra turpissima facta sunt.

Non enim haec sic fuissent in Adam et Heva: erant pleni fide erga Deum: itaque quoties liberis voluissent operam dare, convenissent non incitati furore illo, qui nunc in leprosa carne est, sed admirantes Dei ordinationem, et obedientes ei, cum summa moderatione, sicut cum jam convenimus ad audiendum verbum Dei et cultum Dei. Haec omnia per peccatum ita amisimus, ut solum privative, et non positive ea possimus intelligere. Ex malo enim, quod retinemus, cogimur colligere, quantum bonum sit, quod amisimus. Debemus autem Deo gratiam pro reliquiis quantumvis corruptae generationis adhuc manentibus, quibus ecclesia et politia opus habet.

Mirabile autem est, in omnibus omnium linguarum scriptoribus nullum apicem inveniri, qui ostenderet nuditatem per peccatum ignominiosam factam, quae antea honestissima fuit. Hujus cognitionis igitur unicum magistrum habemus Mosen, qui tamen brevissimis verbis ostendit, quod homo, lapsus a fide, confusus sit, et quod illa genitalium gloria versa sit in summam ignominiam, ut cogeretur homo ea tegere perizomate.

Vocabulum חֲגֹרֹת, cujus hic plurale est, proprie significat cingulum, ut intelligas, folia ficus femora ex omni parte texisse, ut illa pars ante peccatum honestissima tegeretur tanquam turpissima et indigna oculis hominum. O quam horribilis lapsus peccati! sic enim aperiuntur oculi hominis, ut, quod honestissimum erat, nunc adspiciat pro turpissimo.

Sic adhuc hodie, postquam lex venit, tunc primum apparet, quid fecerimus. Revelatum autem peccatum tantam turpitudinem videtur habere, ut animi conspectum ejus non possint sustinere. Itaque conantur id tegere. Nemo, etiamsi fur, adulter, homicida sit, vult talis videri. Sic Haeretici nullo modo agnoscunt errorem, sed pertinacissime defendunt, et volunt videri Catholici: id ut obtineant, folia ficus satis lata consuunt, hoc est, tentant omnia, quae ad colorandum et palliandum errorem apta sunt.

Haec peccati natura etiam in pueris cernitur, qui saepe deprehensi in ipso facto tamen satagunt, quo parentibus aliud persuadeant, et se excusent. Sic simpliciter solent homines, etiam cum deprehensi tenentur, tamen conantur elabi, ne confundantur, sed videantur boni et justi. Hoc venenum etiam per peccatum in naturam instillatum est, sicut praesens locus testatur.

Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram diei, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei inter arbores Paradisi.

Hoc nunc tertium malum est peccati originalis, quod probat, justitiam originalem amissam esse. Ceterum Lyram hic iterum implicant sententiae Rabinorum. Alii enim „ad auram diei" exponunt de loco seu plaga inter austrum et occidentem: alii de tempore exponunt, quod hoc acciderit sub vesperam, cum remittit calor, et incipiunt venti spirare.

Mea sententia haec est, ut accipiamus spiritum simpliciter pro vento, et quod, postquam conscientia per legem convicta fuit, territi sint Adam et Heva

ad sonitum folii: sicut videmus in hominibus meticulosis; hi cum audiunt crepitum trabis, metuunt ruinam totius domus; cum murem audiunt, metuunt, ne Satan praesens sit, et velit eos interficere. Natura enim sic sumus vere perterrefacti, ut etiam, quae tuta sunt, metuamus.

Adam igitur et Heva, postquam conscientia per legem convicta est, et sentiunt turpitudinem coram Deo et se, amissa fiducia erga Deum, sic pleni sunt metu et pavore, ut, cum spiritum seu ventum audiant, statim cogitent, Deum adesse ultorem, et se abscondant. Atque existimo, vocem Domini obambulantis dici a Mose ventum seu sonum venti, qui praecessit apparitionem Domini. Sicut Christus in evangelio de vento dicit (Joh. 3, 8.): „Vocem ejus audis". Cum enim audiverunt folia crepantia, tanquam a vento impulsa, cogitaverunt: Ecce jam advenit Dominus, expetiturus a nobis poenas.

Itaque cum Moses addit postea: „Ad auram diei", videtur mihi, quod se exponat, quasi dicat: Erat vox sicut ventus diei, ut emphasis in vocabulo diei sit; non enim dicit de vento in nocte; ut exaggeret ingentem pavorem, qui peccatum secutus est, quasi dicat: Ita pavidi fuerunt, ut in clara luce diei metuerent a sonitu folii. Quid accidisset, si Deus in tenebris et nocte venisset; ibi enim terror longe major est. Sicut enim lux animosos facit, ita tenebrae augent pavorem. Hic pavor, quo Adam et Heva in ipso diei lumine post peccatum excipiuntur, manifestum signum est, cecidisse eos prorsus a fide.

Hanc existimo veram sententiam esse hujus loci, et convenit cum illa comminatione Mosi, ubi in Levitici 26, (v. 36.) concionatur de poenis secuturis

peccatum, quod a sonitu folii volantis peccatores timebunt, et fugient tanquam a gladio. Cum enim conscientia vere est perterrefacta, ita opprimitur homo, ut non solum nihil facere, sed ne cogitationem aliquam instituere possit, sicut dicunt in acie fieri: ibi metu oppressi milites non manum movere possunt, sed praebent se mactandos hosti. Tam horribilis poena sequitur peccatum, ut a sonitu folii metuat conscientia, imo ut pulcherrimam creaturam, ipsum lumen diei, sustinere non possit, quo tamen natura recreamur.

Vides igitur hic iterum magnitudinem peccati originalis nobiscum nati, et nobis per peccatum primorum parentum implantati. Facit autem hoc quoque incommodum ad intelligendam privative seu a contrario justitiam originalem. Fuit enim in homine pulcherrima fiducia erga Deum, nec potuisset homo timere, etiamsi coelum vidisset ruere.

Quanta cum securitate audit Heva serpentem? Nos non cum catello domi educato et assuefacto, non cum pullo tam familiariter loquimur. Non igitur ante peccatum quaerebant latibula, sed sapientes, recti stabant erecta facie, laudantes Deum: at nunc a sonitu folii terrentur. O quam gravis casus, labi ex summa securitate, fiducia et delectatione Dei in tam horribilem pavorem, ut homo a conspectu Dei plus, quam a Diaboli conspectu et praesentia refugiat! Non enim Diabolum fugiunt Adam et Heva: Deum, conditorem suum, fugiunt, eum judicant sibi graviorem et formidabiliorem esse Satana, Satanam autem meliorem Deo; a Satana enim non fugiunt. Ergo pavor hic vere fuga et odium Dei est.

Utile autem est videre, quomodo peccatum pau-

latim incrementa sumat, donec fiat supra modum peccans peccatum, sicut Paulus (Rom. 7, 13.) appellare solet. Primum enim cadit homo ex fide in incredulitatem et inobedientiam: incredulitatem autem sequitur pavor, odium et fuga Dei, quae desperationem et impoenitentiam secum adducunt. Quo enim confugiat cor, sic pavens a praesentia Dei? num ad Diabolum? Non quidem id utile nec consultum est, et tamen ita fit, si quidem haec historia ostendit, quod Deus creaverit hominem, et fecerit eum Dominum omnium, et tamen homo fugiat eum, nec quidquam eo habeat aut invisum magis, aut intolerabilius: alioqui non averteret se a Deo, non fugeret eum, non paveret a voce Dei venientis non in nocte, non cum fulminibus et tonitruis, sicut in Sina, sed in claro diei lumine, levi et suavi vento spirante, ac folia arborum leniter commovente. Nihil igitur gravius, nihil miserius est conscientia, territa lege Dei et conspectu peccatorum.

Haec facit, ut, quod pessimum est, Adam et Heva fugiant Creatorem et Deum suum, et confugiant ad illa vere ficulnea praesidia, ut et tegant se, et abscondant inter medias arbores. Quid potest dici horribilius, quam fugere Deum, et velle abscondi ab eo?

Quare hic iterum apparet, quam recta sit voluntas et intellectus post peccatum. Voluntatem depravatam esse, ostendit ipsum factum, quod appetunt divinitus prohibita, et sic appetunt, ut Deo inobedientes, Satanae autem obedientes fiant. Nec de intellectu depravato dubitare possumus, cum videamus consilium, quo Adam et Heva se tutos putant. An non enim extrema stultitia est, primum tentare impossibilia, dum conantur Deum fugere, quem non

possunt fugere; secundo tentare fugam tam stulto modo, ut inter arbores se tutos credant, quos ferrei muri et montium ingentes moles non poterant salvare? Ad hunc modum, amissa fiducia Dei, sequitur in voluptate horribilis pavor, et amissa sapientia et intelligentia, pulcherrimis dotibus, sequitur extrema stultitia, ut stultissimis rationibus impossibilia tentent. Adeo inexhaustum malum est peccatum originis, et tamen haec sunt quasi praeludia; nondum enim ad judicium ventum est, quod longe est atrocius et gravius.

Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es?

Haec est descriptio judicii; postquam enim Adam territus est conscientia sui peccati, fugit conspectum Dei, et sentit, non solum Paradisum, sed totum mundum angustiorem esse, quam in quo possit tuto latere. Ostendit igitur in illa anxietate animi suam stultitiam, quod quaerit remedium peccati fugiendo a Deo. At jam nimis procul a Deo fugerat. Nam ipsum peccatum est vera discessio a Deo, nec oportuit majorem fugam addere. Sed ita fit, haecque natura peccati est, ut, quanto a Deo discessit homo longius, tanto longius adhuc optet discedere, quique semel fugit et apostatavit, fugit in aeternum. Ideo de infernis quoque poenis dicunt, hanc fore maximam, quod impii volent fugere, et sentient tamen, se non posse effugere. Sicut Adam hic, quamvis deprehensus, tamen non cessat fugere.

Quod igitur dicit Moses: „Vocavit eum“, intelligendum est, quod vocaverit Adamum ad judicium. Quaeritur autem hic de persona, per quam

vocatus sit Adam. Ac non absurdum est, Deum ista omnia gessisse per ministerium Angelorum, et Angelum egisse vices Dei, ac in persona Dei cum Adamo ista locutum esse, sicut magistratus cum aliquid vel faciunt, vel dicunt, non id faciunt nec dicunt in sua persona, sed Dei. Ideo scriptura vocat judicium Dei judicia, quae exercentur seu administrantur per homines. Non igitur mihi displicet, per Angelum vocatum esse Adamum, et ostensum ei, quod fuga esset impossibilis.

Singulariter autem observandum est, quod Moses diserte dicit, Adamum vocatum esse, utpote ad quem solum die sexto factum sit verbum Domini de arbore illa non gustanda. Sicut igitur solus audivit praeceptum, ita solus vocatur initio ad judicium: Heva autem, quia peccavit ipsa quoque, et defecit a Deo, audit simul judicium, et fit particeps poenae.

Verba „Ubi es?" sunt verba legis per Deum intentata in conscientiam. Quanquam enim omnia coram Deo nuda et nota sunt, Ebrae. 4, (v. 13.) tamen loquitur ad nostrum sensum, si quidem videt nos hoc agere, ut subducamus nos a conspectu ejus. Quod igitur dicit „Ubi es?" perinde est, ac si dicat: Putas, quod te non videam? Vult enim Adae ostendere, quod absconditus a Deo non sit absconditus, et quod fugiens Deum non effugerit Deum. Hoc enim naturaliter in omni peccato accidit, ut stulte conemur effugere iram Dei, et tamen non possimus effugere. Stultitia enim extrema est, quod existimamus remedium potius in fuga a Deo esse, quam in reditu ad Deum, et tamen natura peccatrix non potest redire ad Deum. Quid igitur putabimus animi fuisse Adae, cum audiret vocem hanc? Spera-

verat stulte, se latere posse, et ecce! stat ante tribunal Dei, et poscitur jam ad poenam.

Qui ait: Vocem tuam audivi in Paradiso, et timui eo, quod nudus essem, et abscondi me.

Sicut stulte coepit fugere, ita etiam stultissime respondet; adeo destitutus est per peccatum omni sapientia et consilio. Vult Deum docere, quod nudus sit, qui eum nudum creaverat: sic se ipsum confundit, prodit et condemnat proprio ore. Dicit, audivisse se vocem Domini et timuisse. An non autem audiverat antea quoque vocem Domini prohibentis, ne de arbore vetita comederet? Cur igitur tum non timuit? cur tum se non abscondit? Cur tum stabat laetus et erectus, cum Deum praesentem videret et audiret? nunc autem ad sonitum folii pavet. Sequitur igitur, non esse Adamum eum amplius, qui fuit, sed mutatum, et alium esse factum, qui mendacem causam accersat ad defensionem. Quomodo enim verum est, causam timoris esse vocem, cum antea vocem non timuerit, sed cum voluptate audiverit Deum?

Discamus igitur, hanc perversitatem et stultitiam semper comitari peccatum, ut excusando peccatores se accusent, et defendendo se prodant, maxime coram Deo, sicut Adam hic vult tegere crimen, et se ornare. Dicit, causam fugae esse, non quod peccarit, sed quod audiverit vocem Domini, et ea sit perterrefactus, et erubescat, quod nudus sit. Non cogitat miser, se hunc timorem antea non habuisse, nec erubuisse ob nuditatem, quae cum Dei creatura esset, cur veretur in eo, quod Deus fecit? Nudus antea in conspectu Dei et omnium creaturarum in Paradiso

obambulaverat, securus de voluntate Dei, et se oblectans in Deo. Iam pudefit, quod nudus sit, fugit a Deo, et abscondit se. Haec omnia certa argumenta sunt, quibus Adam se ipsum condemnat, et peccatum suum prodit.

Sic impii in extremo judicio condemnabunt se ipsos, cum revelabuntur tenebrae cordium humanorum, et tanquam in apertis libris legentur singulorum malefacta. Scit quidem Deus, peccasse Adamum, et esse reum mortis; ideo autem interrogat eum, ut ipse suo testimonio convincatur, quod peccaverit, si quidem a Deo fugit, quod ipsum peccatum est, sicut virtus est ad Deum confugere. Hoc testimonium contra se ipsum fert Adam, quanquam mendacio peccatum tegi posse sperat, cum dicit, causam fugae esse vocem Domini et nuditatem suam.

Discamus igitur, naturam hanc peccati esse, quod, nisi Deus statim medicinam faciat, et revocet peccatorem, fugit sine fine a Deo, et excusando mendaciter peccatum, peccatum peccato addit, donec veniat ad blasphemiam et desperationem. Sic peccatum pondere suo semper secum trahit aliud peccatum, et facit aeternam ruinam, donec homo peccator tandem Deum potius accuset, quam ut agnoscat peccatum suum. Debebat Adam dicere: Domine, peccavi. Sed hoc non facit: Deum peccati accusat, et dicit re vera: Tu, Domine, peccasti. Ego enim mansissem sanctus in Paradiso post morsum pomi, si tu quievisses. Hoc enim re vera significant verba, cum dicit: Non fugissem, nisi vox tua terruisset me.

Sic homo propter peccatum accusatus a Deo non agnoscit peccatum, sed potius accusat Deum, et culpam a se in Creatorem transfert, ut peccatum sic

in infinitum crescat, nisi succurrat Deus per misericordiam suam. Hanc impietatem et extremam stultitiam sentit Adam esse summam sapientiam. Ita enim terrore confusus est, ut, quid dicat, quidve agat, nesciat, et excusando gravissime se accuset, ac peccatum in immensum augeat.

Non autem sentiemus, soli Adamo haec ita accidisse. Singuli facimus eadem, et natura non sinit nos aliter facere post peccatum admissum. Omnes enim potius, quam id coram Deo agnoscamus, accusamus Deum, sicut Adam, qui vocem Dei causam fugae esse dicit. Igitur sentit Deum auctorem fugae. Hoc peccatum sequitur jam aliud; qui enim Deo Creatori non parcit, quomodo parceret creaturae? Itaque Deo nuditatem objicit, tanquam conditori turpis rei. Per peccatum enim sic dementatus est, ut gloriam nuditatis vertat in contumeliam Creatoris.

Cui dixit Dominus: Quis autem indicavit tibi, quod nudus esses? Nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?

Hic commovetur conscientia Adae vero stimulo legis, quasi dicat Deus: Nosti, te esse nudum, *et* ideo abscondisti te. Atqui nuditas est mea creatura: num eam ut turpem damnas? Non igitur *nuditas* confudit, non vox mea terruit te, sed quod conscientia tua te arguit peccati ob comestum pomum ex arbore vetita. Hic Adam, cum sic urgetur, in media morte et medio inferno fuit. Coactus enim est fateri, quod nuditas non esset mala, si quidem a Deo creata erat. Contra agnovit, hoc esse malum, quod de nuditate jam haberet malam conscientiam, de qua

antea tanquam de singulari ornamento gloriatus fuerat, et quod paveret jam ad vocem Dei, quam antea cum summa voluptate audiverat.

Ad hunc sensum, quem in Adam videt Dominus, pertinent verba illa, quasi dicat: Quandoquidem conscientiam habes et paves, profecto manducasti ex prohibita arbore. Non enim accepisti mandatum de non occidendo, de non adulterando, sed de non gustandis fructibus hujus arboris. Quia igitur paves, ostendis, te contra hoc mandatum peccasse. Sic quae Adam cogitabat, eadem ex Domino audit. Cogitabat: Ego comedi pomum, sed non dicam, me ideo fugere; tacebo peccatum, et dicam me vereri, quod nudus sim, et terreri voce ejus. Sed haec ipsa cum commemorat, ipse cogitur se accusare, et conscientiam intra se audit arguentem mendacium, et accusantem peccatum. Ad hanc accedit, quod ipse Dominus peccatum manifeste et disertis verbis jam accusat. Sed ne sic quidem ad agnitionem peccati simplicem Adam potest adigi. Dicit enim:

Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.

Vide malitiam et naturam peccati, quam belle hic picta sit, quod nullo modo possit ad confessionem peccati cogi, sed negat peccatum, aut excusat, quamdiu videt aliquam excusationis vel spem, vel speciem relictam esse. Non autem mirum est, quod initio sperat, peccatum tegi posse, et potius Deum accusat, quam ut agnoscat, se peccâsse. Hoc mirum est, postquam convicit eum conscientia, et ipse etiam ex Deo audit peccatum suum, quod tamen perstat in excusatione. Non enim dicit: Domine, peccavi: di-

mitte debitum. Esto misericors (nam natura peccati est, ut non sinat animum ad Deum refugere, sed cogat potius ad fugam a Deo): sed transfert culpam in mulierem.

Notum autem est, in scholis rhetorum tradi, quod objectum crimen aut negandum, aut defendendum sit, quod jure sit factum. Utrunque Adam facit. Primum negat crimen, et dicit, se voce Domini terreri, non suo peccato. Cum autem convincitur, ita ut negare factum non possit, conatur se jure defendere factum. Si, inquit, mihi non addidisses hanc mulierem, non comedissem. Sic iterum, quod ipse peccavit, in Deum rejicit, et eum accusat de suo peccato. Adeo nullus finis est peccandi, ubi semel a verbo deflexum est. Peccarat inobedientia et incredulitate: nunc geminat contumelias et blasphemiam, dicens: Ego non audivi serpentem, non delectatus sum inspiciendo arborem illam, non extendi manum meam ad decerpendum pomum prohibitum. Haec omnia mulier fecit, quam tu mihi dedisti. In summa, Adam non vult agnoscere peccatum, sed purus et mundus haberi vult.

Pertinet itaque haec quoque particula ad descriptionem peccati seu naturae peccati. Quando enim non adest promissio remissionis peccatorum seu fides, tunc peccator non potest aliter facere. Si dixisset Deus: Adam peccasti, sed condonabo tibi peccatum, ibi Adam cum summa detestatione peccati humiliter et candide agnovisset peccatum. Sed quia spes remissionis peccatorum nondum adest, propter transgressionem praecepti, nihil sentit nec videt, quam ipsam mortem. Eam autem quia natura non potest non aversari, ideo Adam ad confessionem peccati

non

non potest adigi, sed omnes vias tentat, quibus sperat culpam ameliri posse. Sic omnis peccator odit poenam suam: quia autem odit poenam, simul odit justitiam Dei et ipsum Deum, et conatur omnibus viribus persuadere Deo et omnibus, quod innocenter patiatur.

Ad hunc modum extenuat hic Adam peccatum, quod non audiverit serpentem, quod non decerpserit pomum. „Mulier, quam mihi dedisti, inquit, dedit mihi de ligno hoc". Ab hoc sensu non multum absunt homines desperati, qui, cum ad cognitionem peccati veniunt, aut laqueo abrumpunt vitam, aut Deo maledicunt. Notae sunt Hiob voces: „Maledicta dies, in qua natus sum. Cur non mater mea mihi sepulcrum facta est?" etc. (3, 3.). Culpam enim peccati transferunt in Deum, murmurant contra Deum, quod conditi sint ad interitum et damnationem. Aliter homo non potest facere, cum non adest spes veniae et promissio gratiae. Quia enim mors naturae intolerabilis est, ideo parit desperationem et blasphemias.

Est igitur vox plena doloris et irarum contra Deum: „Mulier, quam tu mihi dedisti", quasi dicat: Hoc incommodo tu me onerasti. Si mulieri dedisses proprium aliquem hortum, nec me ejus cohabitatione onerasses, mansissem sine peccato. Quod igitur peccavi, tua culpa est, qui addidisti mihi uxorem. Proponitur igitur Adam hic ceu exemplar omnium peccantium, et in peccato desperantium. Non enim possunt aliter, quam Deum accusare et se excusare, si quidem vident, Deum omnipotentem esse, et ista peccata prohibere potuisse. Tam horribilis res est peccatum, ubi non in tempore eriguntur animi pro-

missione remissionis peccatorum. Atque hic legis effectus est, quando lex sola est sine evangelio et cognitione gratiae, ut abducat in desperationem et finalem impoenitentiam.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare fecisti hoc? Quae respondit: Serpens decepit me, et comedi.

Nunc etiam Hevae exemplum proponitur, quae peccato corrupta, nihilo melior est quam Adam. Adam voluit videri innocens et rejecit culpam in Deum, qui uxorem addiderat. Heva etiam conatur se excusare, et accusat serpentem, qui etiam Dei creatura erat. Fatetur quidem, se comedisse pomum, sed serpens, inquit, quem tu creasti, quem tu permisisti in Paradiso obambulare, imposuit mihi. Hoc an non est accusare Creatorem et culpam a se removere? Sic videmus, peccatum ubique idem esse et agere, non vult esse peccatum, non vult puniri pro peccato, sed vult esse justitia. Hoc cum obtinere non potest, in Deum reclinat culpam, ut Deum arguentem peccatum mendacii arguat. Ita ex peccato humano fit peccatum plane diabolicum, et incredulitas vertitur in blasphemiam, inobedientia in contumeliam Creatoris.

Voco autem hoc diabolicum peccatum et non humanum, quia Diabolus in aeternum odit, accusat et damnat Deum, se autem justificat, nec possibile est, ut ex corde dicat: Domine, peccavi, ignosce mihi. Alioqui, sicut in Martini historia legitur, non esset desperandum ei de venia, quae venia impossibilis est, dum peccatum non agnoscit, et Deum blas-

phemat, tanquam sine causa exercentem injustam crudelitatem in creaturas.

Sic videmus, Adam et Hevam ita lapsos et demersos in peccatum, ut non possint dehergi alitius. Incredulitatem enim sequitur inobedientia omnium virium et membrorum in homine: inobedientiam hanc sequitur postea excusatio et defensio peccati; defensionem sequitur accusatio et condemnatio Dei. Hic ultimus gradus peccati est, Deum afficere contumelia et tribuere ei, quod sit auctor peccati. Altius non potest adscendi *) haec natura, si progressus peccati sunt, nisi fiducia misericordiae animi erigantur.

Quare horribilis ecclesiae status fuit sub Papa; ibi enim nihil videbatur neo audiebatur, quod animum sic laborantem posset erigere, nisi quod singulis annis tenuiter docebatur historia passionis; ea leviter ostendebat, unde venia petenda esset. Reliqua omnia abducebant a promissione remissionis peccatorum ad propriam justitiam. Itaque vidimus in monasteriis multis toto tempore vitae attonitos et desperantes obambulare, qui tandem in agone conficiebantur curis et doloribus. Reliqui Fratres, cum haec doctrina incognita esset, nihil faciebant, quam quod adstantes patrocinia Divorum idolatricis precibus colligebant. Ita miseri sine spe, sine consilio, sine auxilio omni in summis doloribus animi consumebantur. Haec nonne plena horroris sunt?

Quare si possent Papatus et omnia monasteria uno digito everti, propter hanc miserrimam carnificinam conscientiarum faciendum esset. Nihil enim est horribilius, quam esse in peccatis, et tamen abesse vel ignorari remissionem peccatorum seu promissio-

*) Adscendere?

nova gratiae. Papa autem auctor fuit, ut remissio peccatorum prorsus ex oculis removeretur, si quidem non doctrina sana, non cultus veri in ecclesia retinebantur. Quodsi qui servati sunt, hos salvavit nuda recitatio passionis Christi, apprehensa fide, invito et repugnante Papa. Nam in extremis periculis deducebantur homines ad quaerendas intercessiones Mariae et Divorum. Iactabantur nota ista, Mariam matrem ostentare ubera Filio, Filium vulnera sua *Patri*, et ita salvari hominem per intercessionem, non Filii, sed Matris.

Hortor itaque vos, quanto possum studio, ut doctrinam evangelii maximi faciatis. Nam quid praesente peccato et absente hac cognitione promissionis ac gratiae accidat in Adamo et Heva, hoc in loco videmus. Idem quoque Satanae damnatio ostendit; sicut enim promissione gratiae caret, ita non potest a delictis et blasphemiis ac odio Dei cessare. Ideo Adae melior conditio est; is enim vocatur ad judicium, ut agnoscat peccatum, ut peccato suo conterritus, postea iterum erigatur per promissionem remissionis peccatorum. De qua pulcherrimus textus jam sequitur, in quem includitur praedicatio de Christo.

Sicut autem finis hujus negotii ostendit summam benignitatem et misericordiam Dei erga hominem, si quidem eum revocat ad remissionem peccatorum et vitam aeternam per futurum semen: ita quoque initia hujus negotii, si recte aestimemus, mitiora sunt, quam pro merito Adae. Non enim est ea horribilis species, quae fuit in monte Sina, ubi fulminibus et tonitruis mixti erant clangores buccinarum; sed advenit Deus per mollissimam auram, ut significet, pa-

ternam correptionem fore. Non repellit Adamum propter peccatum, sed vocat, et ad poenitentiam vocat. Hanc tamen paternam curam, pressus terroribus oppressus Adam non intelligit, nec videt. Non considerat, quod Deus longe aliter cum serpente agat; non enim vocat serpentem, non interrogat serpentem de admisso peccato, ut ita ad poenitentiam revocetur, sed statim contra eum pronunciat.

Haec ostendunt, Christum liberatorem nostrum, se tum quoque tanquam mediatorem interposuisse inter Deum et hominem. Summa enim gratia est, quod post peccatum Adae Deus non tacet, sed quod loquitur, et quidem multis verbis, et signa paterni animi ostendat. Cum serpente omnia aguntur aliter. Itaque etsi promissio de Christo nondum adest, tamen cernitur in cogitatione et consilio Dei.

Hactenus igitur exposuit nobis Moses judicium, quod post lapsum primorum parentum Deus exercuit, ubi vocatos ad tribunal suum interrogat et audit. Ac miseri cupiunt quidem judicium hoc effugere, sed non possunt; quin, cum se excusare conantur, dupliciter se accusant et produnt. Mulier concedit factum, id quod Adam conatur tegere, etsi, ut natura peccati est, non velit haberi id pro peccato. Nam gratia non accedente impossibile est, hominem aliter facere, quam ut peccatum excuset, et velit haberi pro justitia. Deus igitur perpetuo super hoc nobiscum litigare cogitur, ut extorqueat a nobis confessionem peccati, et nos eum justificemus, sicut Psalmus 51, (v. 6.) confessionem peccati vocat. Sed dum sola lex dominatur et mordet, conscientia territa non potest confessionem hanc edere, sicut exemplum Adae et Hevae ostendit.

Ex hoc loco multas sententias sumpsit Prophetae, qui longe majore diligentia et fide hunc locum legerunt quam nos. Sicut illa est: „Fugit impius nemine persequente". (Prov. 28, 1.). „Impii autem quasi mare fervet". (Es. 57, 20.). „Non est pax impiis". (Ib. 48, 22.). „Qui credit, non pudefiet". (Ib. 49, 23.). „Justus erit, sicut leo, confidens". (Prov. 28, 1.) „Justus ex fide sua vivet". (Hab. 2, 4.) Ex hoc loco sumpsit insignem sententiam Christus, quae in Joanne est: „Qui malum facit, odit lucem". (Joh. 3, 20.). Haec enim peccati est natura, ut cupiat in occulto manere, et non proferri in lucem, sicut Adam se tegit perizomate, et fugit ad arbores.

Sed hic Pauli sententia attingenda est, 1. Tim. 2, (v. 13. 14.) „Adam primus formatus est, deinde Heva. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit". Hanc sententiam fere omnes sic accipiunt, quod Adam non fuerit seductus, sed sciens peccaverit, non concedens persuasioni Diaboli sicut Heva, sed nolens contristare delicias suas, hoc est, uxorem, atque ita praetulerit amorem conjugis Deo. Haec verisimilia conantur reddere per id, quod dicunt, serpentem reveritum esse masculum tanquam dominum, et ingressum ad feminam, quae, licet ipsa quoque sancta fuerit, tamen tanquam infirmiorem creaturam aptiorem fuisse ad persuasionem accipiendam: Hevam igitur seductam esse a serpente, Adam autem non. Nam is vel a se ipso vel a muliere seductus est: a muliere, quod pomum porrexerit, a se ipso, quod, cum Hevam post gustatum pomum non vidisset statim mori, crediderit, non eam poenam secuturam, quam Dominus minatus erat: sicut fur, cum videt semel atque iterum furtum suc-

cessisse, securus furatur: quodsi ante oculos lictorem et crucem haberet, non furaretur etc.

Hanc sententiam non improbo; nam ostendit, utrumque verum esse, quod et Adam deceptus, et non deceptus sit. Non est deceptus per serpentem, ut Heva, sed est deceptus tamen per uxorem et per se ipsum, cum sibi persuaderet, eam poenam non secuturam esse, quam Dominus dixerat secuturam.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus tu inter omnia animantia et bestias terrae: super pectus tuum gradieris, et pulverem comedes cunctis diebus vitae tuae.

Post judicium et cognitionem causae accurate factam nunc sequitur, quam vocant, judicii executio, in qua redditur singulis secundum opus suum, et tamen non ex aequo, sicut audiemus. Est autem hic locus diligenter considerandus, primum ideo, quod in toto Mose non invenitur alius tam prolixus sermo in persona Dei: deinde etiam ob hanc causam, quod non continet legem aliquam, quid vel serpens vel homo facere debeat, sed totus est in promittendo, et comminando, quid tum boni, tum mali eventurum sit utrisque.

Atque hoc diligenter observari debet, quod post peccatum nihil legum Adae impositum est, cum tamen natura integra haberet legem. Factum autem id est ob hanc causam, quia Deus videt, naturam jam corruptam non solum non posse sublevari lege, sed etiam ita totam convulsam et perturbatam, ut ne syllabam quidem legis ferre possit. Non igitur naturam peccato oppressam lege magis opprimit, sed

Ex hoc loco multas sententias sancti Prophetae hauserunt, qui longe majore diligentia et fide hunc librum legerunt quam nos. Sicut illa est: „Fugit impius nemine persequente". (Prov. 28, 1.). „Impius, sicut mare fervet". (Es. 57, 20.). „Non est pax impiis". (Ib. 48, 22.). „Qui credit, non pudefiet". (Ib. 49, 23.) „Justus erit, sicut leo, confidens". (Prov. 28, 1.) „Justus ex fide sua vivet". (Hab. 2, 4.). Ex hoc loco sumsit insignem sententiam *Christus*, quae in Joanne est: „Qui malum facit, odit lucem". (Joh. 3, 20.) Haec enim peccati est *natura*, ut cupiat in occulto manere, et non proferri in lucem, sicut Adam se tegit perizomate, et fugit ad arbores.

Sed hic Pauli sententia attingenda est, 1. Tim. 2, (v. 13, 14.) „Adam primus formatus est, deinde Heva. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit". Hanc sententiam fere omnes sic accipiunt, quod Adam non fuerit seductus, sed sciens peccaverit, non concedens persuasioni Diaboli sicut Heva, sed nolens contristare delicias suas, hoc est, uxorem, atque ita praetulerit amorem conjugis Deo. Haec verisimilia conantur reddere per id, quod dicunt, serpentem reveritum esse masculum tanquam dominum, et ingressum ad feminam, quae, licet ipsa quoque sancta fuerit, tamen tanquam infirmiorem creaturam aptiorem fuisse ad persuasionem accipiendam: Hevam igitur seductam esse a serpente, Adam autem non. Nam is vel a se ipso vel a muliere seductus est: a muliere, quod pomum porrexerit, a se ipso, quod, cum Hevam post gustatum pomum non vidisset statim mori, crediderit, non eam poenam secuturam, quam Dominus minatus erat: sicut fur, cum videt semel atque iterum furtum suc-

cessisse, securus furatur: quodsi ante oculos lictorem et crucem haberet, non furaretur etc.

Hanc sententiam non improbo; nam ostendit, utrumque verum esse, quod et Adam deceptus, et non deceptus sit. Non est deceptus per serpentem, ut Heva, sed est deceptus tamen per uxorem et per se ipsum, cum sibi persuaderet, eam poenam non secuturam esse, quam Dominus dixerat secuturam.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus tu inter omnia animantia et bestias terrae: super pectus tuum gradieris, et pulverem comedes cunctis diebus vitae tuae.

Post judicium et cognitionem causae accurate factam nunc sequitur, quam vocant, judicii executio, in qua redditur singulis secundum opus suum, et tamen non ex aequo, sicut audiemus. Est autem hic locus diligenter considerandus, primum ideo, quod in toto Mose non invenitur alius tam prolixus sermo in persona Dei: deinde etiam ob hanc causam, quod non continet legem aliquam, quid vel serpens vel homo facere debeat, sed totus est in promittendo, et comminando, quid tum boni, tum mali eventurum sit utrisque.

Atque hoc diligenter observari debet, quod post peccatum nihil legum Adae impositum est, cum tamen natura integra haberet legem. Factum autem id est ob hanc causam, quia Deus videt, naturam jam corruptam non solum non posse sublevari lege, sed etiam ita totam convulsam et perturbatam, ut ne syllabam quidem legis ferre possit. Non igitur naturam peccato oppressam lege magis opprimit, sed

peccato tanquam vulneri medetur salubri emplastro hoc est, promissione de Christo, adhibito tamen aspero cauterio, quod Diabolus inflixerat. Sicut enim salubria emplastra dum sanant, etiam mordent carnem, ita medicinalis promissio sic proponitur *Adae* ut simul addatur comminatio propter libidinem carnis sanandam. Voco autem libidinem non *solum* foedum pruritum carnis, sed illa inquinamenta spiritus, sicut Paulus vocat, quod natura *propensi* sumus ad idolatriam, incredulitatem, securitatem, et alia horribilia peccata primae et secundae *tabulae*. Ad hanc pravitatem naturae coërcendam hoc aspero cauterio opus fuit.

Optarim autem hunc textum pro dignitate a *me* posse tractari; continet enim, quicquid tota scriptura eximium habet. Ac prior pars textus tota *figurata* est; loquitur enim Deus cum serpente, et tamen certum est, serpentem haec verba non intelligere. *Non* enim sunt verba creationis, qualia illa supra, cum dixit bestiis: „Crescite et multiplicamini“, cum *terrae* dixit: „Producat terra omnis generis herbas et arbores“, sed sunt verba comminantia et promittentia, quae Deus non loquitur cum natura irrationali, sed cum intelligente natura.

Serpentem igitur nominat, sed cum Satana praecipue agit dominante serpenti, et per eum decipientem homines. Sicut autem propter peccatum *hominis*, qui creaturarum dominus est, in diluvio etiam animalia et arbores perierunt; sicut propter *principum* errata saepe plectuntur subditi: ita serpenti quoque accidit, ut propter peccatum Diaboli, qui serpente ad tam grande malum abusus erat, plectere-

tur, et tamen figurate sub ista serpentis poena intelligitur poena Satanae.

Haec fortasse obscuritas in causa fuit, ut textus, qui omnibus debebat esse notissimus, tamen a nemine, quod ego sciam, diligenter et accurate explicatus sit. Ac saepe ipse mecum miror, quid Patres et Episcopi fecerint, qui cum gubernandis ecclesiis et repellendis Haereticis occupati essent, tamen non majore studio in hujusmodi locos illustrandos incubuerunt. De nostris Episcopis nihil dico: hi praeter nomen nihil habent, et verius vastatores ecclesiarum, quam vigiles seu inspectores dici possunt. De veteribus dico, qui sanctitate vitae et doctrina pollebant; inter hos nemo est, qui hunc locum explicarit pro dignitate. Fortasse negotia, quae plerunque objiciuntur rectoribus, eos implicuerunt altius.

Recentiorum autem notum flagitium est, qui etiam depravarunt hunc locum, et fecerunt ex pronomine Ipso femininum Ipsa, ac cum manifesto scelere detorserunt hunc locum ad beatam Virginem. Lyrae veniam do, qui fuit, ut apparet, vir bonus, sed nimium tribuit auctoritati Patrum. Itaque patitur se ab Augustino ad ineptissimam allegoriam trahi, quam etiam Gregorius in moralibus sequitur, quod per mulierem intelligi debeat ratio inferior, sed per semen ejus operatio bona, per semen autem Diaboli suggestio ejus prava. Quod autem dicit Dominus: „Ponam inimicitias inter te et semen ejus“, esse intelligendum de illa lucta, cum Diabolus, mediante suggestione mala, oppugnat rationem inferiorem, quae est mulier, ut, si consentiat delectationibus, dejiciat Satan per eam virum, hoc est, rationem superiorem: atque hoc esse, quod serpens insidiatur cal-

[illegible]; oppugnare enim Satanam non nisi a parte inferiori, proponendo sensui ea, quae delectant etc.

Quaeso te, amice lector, quid in hac luce clarissima istis tenebris absurdissimarum allegoriarum opus est? Sit sane, ut dividamus rationem in duas partes, superiorem et inferiorem. Quanto rectius erat, inferiorem appellare, quae ad gubernandas res in oeconomia et politia apta est, et non illam pecuinam delectationem, superiorem autem, qua speculamur seu contemplamur ea, quae extra politiam et oeconomiam sunt, et ad religionem pertinent, ostensam verbo, ubi nihil operamur, sed tantum discimus et contemplamur? Sed etiam si haec sic dicamus, quid faciunt ad hunc locum? Nonne veram sententiam penitus opprimunt et substituunt notham, quae non solum inutilis est, sed etiam perniciosa? Quid enim ratio potest, aut videt in religionis negotio?

Deinde in eo quoque absurditas est, quod Hevam interpretatur inferiorem partem rationis, cum constet, Hevam in nulla parte, hoc est, neque corpore, neque anima inferiorem fuisse marito Adamo. Ex hac absurda interpretatione natae sunt profanae disputationes de libero arbitrio, de ratione deprecante ad optima, donec theologia tota abiit in philosophiam et sophisticas nugas.

Quare nos omissis tam perniciosis et absurdis ineptiis, ingrediemur novum iter, nihil moti, quod priorum vestigia alio ducunt. Habemus enim ducem Spiritum sanctum, proponentem per Mosen non absurdas allegorias, sed docentem nos de rebus maximis, inter Deum, hominem peccatorem et Satanam, peccati auctorem gestis.

Primum igitur hoc statuemus, serpentem esse

verum serpentem, sed invasum et obsessum a Satana, qui per serpentem loquitur. Secundo statuemus hoc quoque, quae Deus ad serpentem loquitur, serpentem non intellexisse tanquam brutum animal, sed Satanam, quem potissimum petit Deus. Ad hunc modum retineo simpliciter historicam et literalem sententiam, convenientem cum textu, secundum hanc sententiam: Serpens manet serpens, sed obsessus a Satana, mulier manet mulier, Adam manet Adam, sicut etiam sequentia probant. Non enim ratio inferior et superior generant Cain et Habel, sed Adam et Heva, hoc est, primi homines per peccatum lapsi in mortem et subjecti regno Satanae.

Quod igitur ad serpentem dicit: „Maledictus tu inter omnia animantia et bestias terrae, super pectus tuum gradieris“ non habet eam sententiam, quam Augustinus et alii post eum sequuntur, quod per pectus intelligatur superbia. Sed quia serpente Satan ad peccatum abusus est, ideo partem poenae serpens cogitur portare, qui sic maledicitur, ut inter omnes bestias sit odiosissimus. Talis initio non fuit, sed nunc per maledictionem accedit aliquid naturae serpentis, ut, qui ante maledictionem fuit suavissima bestiola, nunc horribilior et invisus magis sit quam omnes aliae animantes. Experimur enim, quod et nos natura serpentes abhorremus, et quod serpentes etiam sua natura nos fugiunt. Ita partem maledictionis et poenae serpens sustinere cogitur. Sed non ad serpentem solum haec dicuntur: cum Satana in serpente latente Deo res est, ei proponitur hic sententia extremi judicii, is proprie hic sistitur ad tribunal Dei.

Longe enim aliter cum serpente loquitur, quam cum Adam et Heva, quos amanter revocat: „Ubi es?

Quis tibi ostendit, quod nudus esses"? Haec ostendunt amorem Dei erga totum genus humanum, quod etiam post peccatum homo requiritur et vocatur, quod Deus cum eo disputat, et audit eum. Haec certa significatio gratiae est. Quanquam enim haec legalia et judicialia verba sunt, tamen non obscuram ostendunt spem, quod non sint damnandi in aeternum.

Cum serpente et Satana agit inclementius, non vocat eum, non dicit: Quare hoc fecisti? sed simpliciter proponit sententiam judicii verbis durissimis: „Quia, inquit, hoc fecisti". Quasi dicat: Tu, Satan, jam antea peccasti et damnatus es, cum de coelo rueres. Ad hoc peccatum adjecisti jam aliud, ut abutens serpente in peccatum etiam conjiceres hominem. Ideo primum serpens hanc poenam feret, ut, cum antea particeps fuerit benedictionis, quam aliae bestiae habent, nunc solus maledictioni subjaceat.

Ex his sequitur manifesta consequentia, quod serpens ante peccatum fuerit pulcherrima bestiola et homini gratissima, sicut hodie sunt hinnuli, oves, catelli, item, quod erectus ingressus est. Quod autem nunc serpit humi, maledictionis, non naturae est, sicut maledictionis est, quod mulier cum turpitudine concipit, cum dolore enititur, cum aerumnis educat sobolem. Si absque maledictione esset opus generationis, esset honestissimum, partus facillimus, *sobolis* educatio esset summa voluptas. Ergo peccatum ipsam naturam non solum deformavit turpissime, sed etiam pessime corrupit.

Et tamen nostri sophistae etiam adhuc hodie audent dicere, quod naturalia post peccatum manse-

rint integra, etiam in Daemonibus. Si enim serpens, quo Satan abusus est ad peccatum, propter peccatum hanc poenam fert, ut, qui antea fuerat bellissimus, nunc subito ante oculos Adae viperinam caudam trahat, et humi repat, ac jam Adae formidabilis fiat: quid de homine dubitabimus, qui ipse peccavit, et peccati venenum a Satana infusum hausit? Sicut itaque Aegyptii non sine ingenti stupore viderunt, baculum a Mose projectum, in serpentem mutari, ita in Paradiso quoque statim post hoc verbum maledictionis emissum serpens mutatus est ex pulcherrima forma in turpissimam et abominabilem.

Ad hanc maledictionem quoque pertinet, quod dicit: „Et pulverem terrae comedes". Allegoristae exponunt hoc, quod Satan homines terrenos diligentes sibi incorporabit, decipiendo eos. Sed dixi, loqui Deum cum serpente et maledicere serpenti. Sunt autem aliae bestiae, quae etiam comedunt terram, sed serpens sic comedit terram, ut, cum ante habuerit praerogativam quandam calliditatis, venustatis et victus quoque, quem cum homine habuit communem, nunc poenam fert, quod etiam victus ratio mutatur.

Gloria est, quod oves, boves et aliae bestiae vescuntur herbis, etiam arborum fructibus, et deinde generant ex se homini ad cibos utilia, butyrum, lac, carnem etc. Hanc gloriam serpens cum aliis communem habuit. Nunc ab ista societate et quasi ex mensa et convivio hoc propter peccatum ejectus est, ut ne quidem abjectissima herbula liceat vesci: non poma, non pira, non nuces, quibus etiam mures vescuntur, gustare audet, sed crudam terram vorat. Haec non mea, sed Mosi verba sunt, quae docent, naturam serpentis totam mutatam, et aliam esse factam.

Etsi autem dixi, et verum est, Deum sic cum serpente loqui, ut tamen potissimum spectet ad Satanam, sicut sequentia clarius ostendent, tamen mihi non placet, ut haec, quae ad naturam serpentis recte quadrant, per allegoriam trahamus ad Satanam, sicut Augustinus facit, quem Lyra sequitur. Sunt enim serpens et Satan conjuncti in peccando, quanquam Satan actor, serpens quasi instrumentum est. Ideo etiam conjunguntur in poena. Sed serpens tantum corporalem poenam fert; Satanae auctori et actori aliud judicium paratum est, de quo Christus in Joanne (16, 11.) loquitur: „Princeps mundi jam judicatus est“. Id judicium post sequetur.

Quare, quod dicunt, Diabolum, sicut serpentem, non incedere amplius rectum, et amisisse eum formam et statum pristinum, haec etsi vere dicuntur, tamen impropria sunt, et ad praesentem locum explicandum non pertinent. Quod autem dixi, serpentem ante maledictionem incessisse erectum, non ita intelligendum est, quasi erectus incesserit, ut homo, sed sicut cervus aut pavo. Hoc judicium serpentis est.

Quae sequuntur, proprie pertinent ad Satanam. Ea longe melius pingunt judicium ejus, quam istae ineptae et intempestivae allegoriae. Ac proponunt hanc firmam consolationem, quod Diabolus eo nunc loco sit, ut non possit sic libere grassari et nocere, sicut vellet et faceret, si absque semine mulieris esset.

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.

Haec sunt, quae proprie ad judicium Satanae pertinent, et in quibus firma consolatio piis proponi-

tur. Superiora, ut dixi, historica sunt, et ad serpentem pertinent, qui propterea, quod Satan eo ad peccatum abusus est, eam poenam fert, ut e communi consuetudine et quasi consortio reliquorum animalium ejectus, etiam cibo differat, nec communi utatur pabulo.

Possunt quidem haec quoque ad allegoriam trahi, sed et minus propria sunt, et parum firma in dimicatione. Nam quod ad ipsam rem attinet, Satan propter peccatum de coelo deturbatus et condemnatus est, ac non incedit amplius, ut bos aut hinnulus, sed repit, hoc est, aperta vi pios non invadit, insidiis utitur, quas tamen pii, cum ad verbum respiciunt, intelligunt, et vident, quanta sit ejus deformitas, et abhorrent ab eo. Ac sane gestus ille, quod sic reptat, nec ingreditur erectus, ostendit, quod fracta ejus tyrannis sit, nec possit ecclesiae tantum nocere, quantum vellet.

Haec per allegoriam possunt dici; sed Mosis sententiam haec non explicant, ideo non sunt propria. Quare cum de Satana dicendum est, sequamur alia scripturae testimonia propria, certa et firma. Quale illud est Joh. 8, (v. 44.): „Diabolus homicida est et pater mendacii“. Item (ibid.): „In veritate non stetit“. Item, prima Petr. 5, (v. 8.): „Circumit tanquam leo rugiens, quaerens, quem devoret“. Item Joh. 16, (v. 11.): „Princeps mundi judicatus est“.

Ad extremum, hoc praesens testimonium quis non videt proprie ad Satanam pertinere, cui opponitur Filius Dei, ne quid aperta vi, ac si nullum antagonistam habeat, tentare possit. Itaque ecclesia hoc praesidio tuta est, et Satan non solum non potest

ecclesiam manifesta vi invadere, sed etiam in reliquis ejus tyrannis et cupida nocendi voluntas fracta est. Alioqui non sineret unam arborem pervenire ad maturitatem: impediret, imo strangularet omnia terra nascentia, non tantum hominum nativitatem, sed etiam reliquarum bestiarum incolumitatem uno momento prohiberet. Tantum studium nocendi satis arguit, quod aperta vi grassari non possit, sed quod, quicquid facit, facit dolis et fallaciis.

Porro observandum hic id quoque est, quod haec non dicuntur a Deo propter Diabolum. Non enim dignatur eum Deus damnare, sed satis est, quod Satanam sua damnat conscientia. Propter Adamum et Hevam haec dicuntur, ut audiant hoc judicium, et se consolentur, dum vident, Deum esse adversarium ejus naturae, qui tantum vulnus homini inflixit. Hic enim incipit ex media ira, quam peccatum et inobedientia excitavit, elucere gratia et misericordia. Hic inter medias et gravissimas minas animus Patris se exserit, non sic indignantis, ut Filium propter peccatum abjiciat, sed ostendentis salutem, imo victoriam promittentis contra eum hostem, qui humanam naturam decepit et vicit.

Non enim, sicut per Satanam homo in peccatum lapsus est, ita nunc idem judicium Satanae et hominis est. Non conjungit eos in poena, sicut jure potuisset, sed longissime separat. Etsi enim homini quoque indignatur, qui hosti Dei contra Deum paruit, tamen longe major contra Satanam indignatio est. Hunc enim simpliciter damnat, et arguit in conspectu Adae et Hevae, ut Adam et Heva ex damnatione sui hostis respirent paululum, et sentiant, suam meliorem conditionem esse. Prima igitur pars consola-

solationis in eo est, quod propter Adamum et Hevam accusatur et maledicitur serpens, et cum serpente Satan.

In eo autem sol consolationis, antea quasi tenebris quibusdam caliginosarum nubium involutus, supra nubes attollitur, et jucundissimo lumine territa corda adspicit, quod Adam et Heva non solum non audiunt, sibi maledici, sicut serpenti, sed quod audiunt, se constitui tanquam in acie contra damnatum hostem, idque spe auxilii, quod eis laturus sit Filius Dei, semen mulieris. Hic igitur remissio peccatorum et plenaria receptio in gratiam Adae et Hevae ostenditur, tanquam absolutis a culpa et redemtis a morte, tanquam liberatis jam ex inferno et illis pavoribus, quibus in conspectu Dei tantum non occisi sunt.

Haec consolatio inde nascitur, quod Deus non maledicit Adae et Hevae, sicut serpenti: hoc tantum fit, quod Adam et Heva cum hoc hoste committuntur, ne sint otiosi: ergo hoc ipsum quoque cedit homini in bonum. Illud autem caput consolationis est, quod, etsi hostis hic astutia et dolis pugnet, tamen nasciturum sit semen, quod caput serpentis conterat. Hic enim ostenditur finalis destructio tyrannidis Satanae, quanquam ea non sit abitura sine acerrimo certamine, quod homini depugnandum est.

Sed vide, quam impari fortuna dimicetur? Hominis calcaneus in periculo est, caput est salvum et invictum. Contra per semen mulieris non cauda, non venter, sed ipsum caput serpentis conterendum est et conculcandum. Atque haec victoria nobis quoque donatur, sicut Christus clare dicit (Luc. 11, 22.), spolia dividi post victum fortem. Nam Christianus fide

constituitur victor peccati, legis et mortis, ut ne quidem inferorum portae praevalere ei possint.

Hanc primam consolationem et tanquam fontem omnis misericordiae et omnium promissionum scaturiginem primi parentes et eorum posteri summa diligentia didicerunt. Viderunt enim, si absque hac promissione essent, mansuram quidem inter homines, sicut inter reliqua animantia, generationem, sed quae nihil aliud sit, quam generatio ad mortem. Illud igitur donum divinitus naturae additum hic augetur, imo consecratur, cum spes fit talis generationis, per quam Satanae sit conterendum caput, ut non solum ejus tyrannis infringatur, sed etiam natura propter peccatum morti addicta consequatur vitam aeternam. Non enim agit hic Moses amplius de serpente naturali, de Diabolo loquitur, cujus caput sunt mors et peccatum. Sicut Christus dicit Ioh. 8., quod sit homicida et pater mendacii. Contrita igitur potestate ejus, hoc est, sublato per Christum peccato et morte, quid restat, quam ut filii Dei salvemur?

Ad hunc modum Adam et Heva hunc textum intellexerunt et consolati sunt se contra peccatum et desperationem spe hujus contritionis per Christum futurae, ac spe hujus promissionis in novissimo die etiam resurgent in aeternam vitam.

Et ipsum conteret caput tuum, et tu conteres calcaneum ejus.

Quis non miretur, imo non exsecretur Satanae malignum consilium, qui hunc locum, plenissimum consolationis de Filio Dei, per ineptos interpretes transtulit ad Mariam virginem? Nam in omnibus Latinis Bibliis ponitur pronomen in feminino genere:

„Et ipsa conteret". Ac Lyra, qui tamen Ebraicae linguae non rudis fuit, hoc errore, tanquam grassante et magno impetu ruente flumine, abripitur in impiam sententiam, ut non obstante textu, hunc locum accipiat de beata Virgine, per quam, Filio mediante, vis Satanae fracta sit. Accommodat ad eam dictum in Canticis (6, 3.): „Terribilis es sicut acies castrorum". Etsi autem hanc sententiam tanquam ab aliis acceptam allegat, tamen in eo magnum peccatum est, quod eam non refutat. Secuti postea sunt recentiores omnes, et sanctissima sententia ad idolatriam sunt abusi, nemine resistente nec prohibente.

Accidit autem hoc sive inscitia, sive negligentia gubernatorum in ecclesia. Hi quia idolatriae se non opposuerunt, paulatim sana doctrina exstincta est. Hanc postquam nunc Dei beneficio restituimus, turpia ventris animalia manifeste ostendunt, se non religionem, sed beneficia sua curare. His quia idolatria patrocinari videtur, etiam indigne ferunt, homines recte institui. Sed caeci homines non vident, evangelium ejusmodi doctrinam esse, quam qui accipiunt, nihil amittunt praeter peccata sua et mortem aeternam, acquirunt autem liberationem ab omni idolatria et regno Satanae.

Quare agamus Deo gratias, quod et hunc locum habemus jam integrum et restitutum, non ut Mariae detrahatur meritus honos, sed ut idolatria excludatur. Quod enim dicunt, Mariam pariendo Christum omnem Satanae vim contrivisse, si id vere dicunt, an non idem honor ad omnes alias mulieres pertinet, quae in eadem linea Mariam praecesserunt? Imo laudis hujus pars etiam ad maritos pertinebit et omnes majores Mariae? Si enim absque his fuisset, ipsa

quoque non esset. Est enim nata in conjugio secundum communem naturae ordinem. Si itaque ipsa pariendo contrivit Satanam, in eodem dignitatis gradu collocandi sunt majores ejus.

Sed scriptura nos aliter docet, et dicit (Rom. 4, 25.): „Christus propter peccata nostra mortuus est, et resurrexit propter justitiam nostram". Item (Ioh. 1, 29.): „Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi". Maneat igitur beatae Virgini suus locus, quam Deus privilegio isto ornavit inter omnes mundi feminas, ut virgo pareret Filium Dei. Hoc autem eo neutiquam valere debet, ut Filio gloria redemtionis et liberationis nostrae eripiatur.

Deinde sollicite nobis custodienda est proprietas scripturae sanctae et vere admirabilis lux, quae abyssum divinae bonitatis ostendit, dum hoc in loco docemur de inimicitia inter serpentem et mulierem, ac tali inimicitia, ut semen mulieris sit contriturum serpentem cum omnibus suis viribus. Hanc comminationem Satan bene intellexit; ideo adhuc tanto odio contra naturam hanc saevit. Adam quoque et Heva hac promissione excitati, spem restitutionis plenis animis conceperunt, ac pleni fide viderunt, salutem suam Deo curae esse: si quidem Deus diserte testatur, masculum semen mulieris hostem hunc profligaturum esse. Nam verba mira emphasi concinnata sunt.

Semen, inquit, illius. Quasi dicat: Tu, Satan, per mulierem invasisti et seduxisti virum, ut tu ipsis ceu caput et dominus esses, propter peccatum. Ego autem vicissim tibi insidiabor per idem instrumentum. Arripiam mulierem, et dabo ex ea semen, et illud semen conteret caput tuum. Corrupisti et morti ob-

noxiam fecisti carnem per peccatum: sed ego ex illa ipsa carne producam talem virum, qui te quoque et omnes vires tuas atterat ac profligat.

Ad hunc modum promissio haec et comminatio apertissima est, sed est eadem quoque obscurissima; relinquit enim Diabolum in illa suspicione, ut omnes mulieres suspectas habeat, quae pariunt, ne pariant hoc semen, cum tamen una tantum mulier hujus benedicti seminis mater futura esset. Sic, quia in genere minatur, dicens: „Semen illius“, illuditur Satanae, ut ab omnibus metuat.

Et eodem modo etiam omnium hominum fides confirmatur, ut ab illa hora, qua promissio facta est, semen illud exspectarent, et se consolarentur contra Satanam. Itaque Heva cum primogenitum suum peperisset, sperabat, se jam habere contritorem illum. Haec spes etsi fallebat eam, tamen vidit, ex posteritate sua nasciturum esse tandem hoc semen, quandocunque nasceretur. Atque ita, quod ad homines quoque attinebat, promissio haec clarissima, et simul obscurissima fuit.

Esaias Cap. 7. nonnihil lucis ad eam attulit, cum diceret (v. 14.), virginem parituram: nam tum certum erat, non nasciturum semen hoc ex conjunctione viri et feminae. Sed addit alia quaedam, quibus prophetiam quasi involvit. Itaque in obscuro promissio haec clarissima mansit, donec Maria peperisset, et hujus partus testes essent Angeli, et post Angelos pastores ac Magi, donec per Apostolos hic partus in totum orbem terrarum divulgatus est.

Satanae igitur obscuritas haec auxit sollicitudinem et curam, ut, sicut dicitur: „Ponam inimicitias inter te et mulierem“, ita simul omnes parientes ab

isto tempore usque ad revelatum Christum haberet inimicas et suspectas. Contra in homine haec obscuritas auxit et intendit fidem, ut, etsi singulae viderent, se non esse, quae hoc semen parerent, tamen sperarent ac certo statuerent, ex alia nascendum esse. Potissimum igitur ad ludendum et exercendum Satanam, et ad consolandos ac excitandos ad fidem pios pertinet, quod sic individualiter, ut ita dicam, loquitur Deus. Pepererunt mulieres ad diluvium usque, et postea usque ad Mariam, sed illarum semen non potuit vere dici semen mulieris, sed potius semen viri dicitur. Sed quod ex Maria nascitur, conceptum est ex Spiritu sancto, et est verum semen Mariae, sicut testantur aliae promissiones Abrahae et Davidi factae, secundum quas Christus filius Abrahae et filius Davidis dicitur.

Hanc sententiam primum Esaias ostendit, qui dicit, virginem parituram. Deinde in novo testamento explicata est clarius ab Angelo. Quare non dubito, mysterium hoc etiam a multis sanctis non esse intellectum, qui quidem exspectaverunt Christum nascendum in hunc mundum de femina, et liberaturum humanum genus, sed modum nativitatis nesciverunt. Hac generali cognitione contenti fuerunt et salvati sunt, etiamsi nescirent, quomodo concipiendus et nascendus esset. Hoc enim novo testamento, tanquam clariori luci, reservandum erat, et priori seculo obscurius proponendum propter Satanam, quem Deus hoc modo ludificari et exercere voluit, ut eo minus esset otiosus, et omnia timeret.

Ideo postquam promissio, sic generaliter proposita, restricta paululum, et per Abraham primum ad certam gentem, deinde per Iacob Patriarcham ad

certam tribum Iudae alligata esset, Diabolus de aliis populis et tribubus securus fuit, et mirabili crudelitate ac insidiis hanc unam lineam prosecutus est, donec sub tempus Christi ad extremam mendicitatem redacta esset, tanquam desperatus truncus, ex quo nemo unquam vel folia vel fructum sperat, sicut scriptura ideo etiam vocat radicem Iesse, Esaiae 11, (v. 1.), tanquam putrem et desperatum truncum.

Hoc odium Satanae et furorem hunc praedicit hoc in loco Dominus, cum admonet de inimicitia posita. Nam Satan primum per omnes gentes et populos totius orbis semen mulieris infesto odio quaesivit. Deinde cum ad Abrahae posteritatem promissio translata est, videmus, quam varie promissionem sit conatus impedire. Ac tribus Iuda, ad quam tandem promissionem Dominus transtulit, quam horribilibus calamitatibus excepta et agitata est, donec tandem videretur tota subversa et eradicata esse. Ac sub tempus Christi nascendi pauper Maria longe a Ierusalem in ignobili oppidulo Nazareth vivebat: Ierosolymis dominabantur impii. Recte igitur comparatur tribus haec emortuo trunco; sed tamen, quia Deus mentiri non potest, efflorescit radix illa sic desperata.

Nondum igitur de crudelitate, odio et inimicitia sua contra semen mulieris quiescit Satan: in cunis positum per Herodem quaerit, ita ut Christo inter gentes in Aegypto vivendum esset. Postea omnia conatur ac tentat, donec deprehensum in horto Iudaeis objiciat, ac cruci affigat. Sed ne morte quidem ejus satiari potest inexhaustum odium: etiam a sepulto metuit; tam acres sunt inimicitiae ei cum Filio Dei. Quem cum nunc videt ad dexteram Dei sedere,

et esse, quod dicitur ἔξω βελῶν, saevit omni genere furoris contra misera ejus membra et ecclesiam. Horum periculorum omnium hic vaticinia sunt, in quibus tamen fiducia Filii Dei, conterentis Satanam, magno nos animo decet versari.

Sed redeo ad textum. Promissio haec clarissima, simul etiam obscurissima est, quia in genere dicitur: „Semen mulieris", ut simul omnes mulieres Satanae suspectas faceret Deus, et eum perpetua cura et sollicitudine exerceret. Mirabilis igitur synecdoche est. Mulieris semen, inquit: id sonat in genere de omnibus individuis, et tamen de uno tantum individuo, de Mariae semine loquitur, quae mater est sine copulatione cum masculo. Sicut igitur prima particula: „Ponam inimicitias inter te et mulierem", sonat in genere de omnibus mulieribus, (voluit enim Deus omnes mulieres Satanae suspectas facere: contra voluit piis spem certissimam relinquere, ut ab omnibus parientibus exspectarent salutem hanc, donec illa vera pareret): ita haec, semen ipsius, maxime individualiter, ut sic dicam, loquitur de semine, quod ex sola Maria de tribu Iuda, cum Ioseph desponsata, natum est.

Hic igitur est textus ille, qui Adamum et Hevam vivificavit, et ex morte resuscitavit in vitam, quam per peccatum amiserant, sed tamen speratam potius quam possessam, sicut Paulus quoque saepe loquitur (1. Cor. 15, 31.): „Quotidie, inquit, morimur". Nam etsi vitam, quam hic vivimus, non volumus appellare mortem, tamen profecto aliud nihil est, quam perpetuus cursus ad mortem. Sicut enim, qui peste infectus, jam tum, cum coepit infici, etiam mori coepit, ita, postquam vita haec per peccatum

infecta est, non amplius potest proprie dici vita, propter peccatum et peccati poenam, mortem. Statim enim ab utero matris mori incipimus.

Per Baptismum autem ad vitam spei, seu potius ad spem vitae restituimur. Nam haec demum vera vita est, qua coram Deo vivitur. Antequam ad eam venimus, sumus in media morte, morimur, et in terra putrescimus, sicut alia cadavera, quasi nulla vita usquam sit: spem tamen habemus, qui in Christum credimus, quod simus in novissimo die resuscitandi in aeternam vitam. Ad hunc modum Adam quoque hac concione Domini resuscitatus est, non quidem perfecte; nam vitam, quam amisit, nondum recepit, sed spem ejus vitae concepit, cum audivit, Satanae tyrannidem conterendam esse.

Includitur igitur in hanc sententiam redemtio a lege, peccato et morte, et ostenditur manifesta spes et certa resurrectionis et innovationis in altera vita post hanc vitam. Si enim serpentis caput conteri debet, profecto oportet aboleri mortem: si mors aboletur, etiam mortis meritum aboletur, hoc est, peccatum: si peccatum, ergo lex quoque aboletur; nec id tantum, sed restituitur simul obedientia, quae amissa est. Haec autem omnia quia promittuntur per semen hoc, satis clarum est, naturam humanam post lapsum suis viribus nec peccatum tollere, nec poenas peccati et mortem effugere, nec obedientiam amissam recuperare potuisse. Majorem enim vim et robur majus, quam hominum est, requirunt ista.

Itaque Filium Dei oportuit victimam fieri, ut haec nobis conficeret, ut tolleret peccatum, devoraret mortem, et amissam obedientiam restitueret. Hos thesauros in Christo possidemus, sed in spe. Sic

Adam, sic Heva, sic omnes credentes usque ad novissimum diem spe ista vivunt et vincunt. Est quidem mors horribilis et invictus tyrannus, sed divina potentia ex eo, quod est omnia, facit nihil, sicut etiam ex eo, quod est nihil, facit omnia. Nam Adamum et Hevam vide: sunt pleni peccatis et morte, et tamen, quia audiunt promissionem de semine contrituro caput serpentis, sperant idem, quod nos, quod scilicet mors tolletur, peccatum abolebitur et reddetur justitia, vita, pax etc. In hac spe vivunt et moriuntur primi parentes, et vere sunt propter hanc spem sancti et justi.

Sic nos quoque vivimus in eadem spe, et cum morimur, hanc spem vitae retinemus propter Christum, quam nobis verbum proponit, dum Christi meritis nos jubet confidere. Frustra enim exspectamus in hac vita hanc perfectionem, ut toti justi simus, ut Deum perfecte diligamus, ut proximum quoque diligamus ut nos ipsos: aliquo usque procedimus, sed peccatum, quod in nostris membris militat, et ubique praesens est, aut vitiat, aut omnino impedit obedientiam hanc.

Sicut igitur ipsa vita nostra propter mortem propositam mors potest dici, ita justitia peccatis tota obruta est. Spe igitur retinemus et vitam et justitiam, res ab oculis et sensu nostro absconditas, sed quae suo tempore manifestabuntur. Interim vita nostra est vita in media morte, et tamen etiam in media morte spes vitae retinetur, sic docente, jubente et promittente verbo. Sicut Psalmus 68, (v. 21.) egregie consolatur: „Deus noster, Deus salvos faciendi, Dominus exitus mortis". Hunc titulum Deo tribuamus, quod non solum juvat in hac temporali vita,

sicut Diabolus etiam cultoribus suis, ut gentium exempla ostendunt, non nunquam adest, sed quod est Dominus exitus mortis, hoc est, qui liberat oppressos a morte et transfert in aeternam vitam. Facit autem hoc, sicut Moses hic docet, conterendo caput serpentis.

Habemus igitur jam Adamum et Hevam restitutos, non quidem in vitam, quam amiserant, sed in spem ejus vitae, qua spe evaserunt non primitias, sed decimas mortis, hoc est, etsi carni temporaliter esset moriendum, tamen propter Filium Dei promissum, qui contriturus Diaboli caput erat, post mortem temporalem carnis sperant resurrectionem carnis et aeternam vitam, sicut nos quoque.

Iam sequitur altera pars hujus concionis, in qua minatur poenas corporales, mulieri primum, deinde viro quoque.

Ad mulierem vero dixit: Valde multiplicabo dolorem tuum, cum eris gravida; in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.

Haec poena est mulieri imposita, sed profecto laeta et hilaris, si quidem non dissentit a priore sententia contra Satanam lata. Si enim hoc manet, quod serpenti caput conterendum est, certa est spes resurrectionis a morte, et tolerabile est, quicquid, hac spe manente ac firma, homini imponitur.

Atque haec quoque causa est, quod scriptura sancta sic diligenter cavet, ne quid dicat in punienda muliere contra sententiam prius de serpente latam. Imponit poenam mulieri, et tamen relinquit spem resurrectionis et vitae aeternae. Mortem autem;

quam per peccatum meruerat, transfert in alteram et ignobiliorem partem hominis, scilicet in carnem, ut spiritus propter fidem vivat in justitia.

Mulier itaque obnoxia est morti quoad carnem, sed quoad spem est a morte libera. Manet enim certa sententia, qua Diabolo comminatur Deus contritionem capitis. Itaque animalis vita habet hic crucem et mortem suam, sicut Paulus quoque 1. Cor. 15, (v. 44.) dicit: „Corpus animale mori, sed resurrecturum spirituale“. Ita in hac animali vita manent conjugia, ac mulier experitur poenas, quas propter peccatum hic infligit Dominus, ut a tempore conceptionis, in partu et tota reliqua vita, qua liberis servitur, varie periclitetur. Sed omnia haec tantum ad animalem vitam seu ipsam carnem pertinent, manente interim spe spiritualis et aeternae vitae post hanc vitam.

Vere igitur laeta et hilaris haec poena est, si rem recte aestimemus. Etsi enim carni onera illa molesta sunt, tamen cum istis oneribus seu poenis ipso facto corroboratur spes melioris vitae, si quidem audit Heva, se non rejici a Deo. Deinde etiam hoc audit, non adimi sibi in ista poena benedictionem generationis ante peccatum promissam et donatam. Videt, se retinere sexum suum, et esse mulierem: videt, se non separari ab Adamo, ut sola et seclusa a viro maneat: videt, relinqui sibi gloriam maternitatis, ut sic dicam. Haec omnia accedunt ad istam spem aeternitatis, et sine dubio Hevam egregie erexerunt. Quin manet etiam illa major et verior gloria, quod non solum retinet benedictionem fecunditatis, et cum marito suo conjuncta manet, sed quod

certam promissionem habet, ex se venturum semen illud, quod Satanae caput sit contriturum.

Itaque Heva sine dubio etiam in re tristissima, ut apparet, tamen gaudio plenum pectus habuit, ac fortasse Adamum suum consolata est, dicens: Peccavi; sed vide, quam misericordem habemus Deum? Quanta commoda, tum temporalia, tum spiritualia nobis peccatoribus relinquit? Quare nos mulieres feramus laborem et miseriam istam concipiendi, pariendi, et vobis maritis parendi. Est ista paterna ira, si quidem hoc manet, ut hostis nostri caput conteratur et nos post mortem carnis nostrae excitemur ad aliam novam et aeternam vitam per redemtorem nostrum. Haec magnitudo bonorum et infinitas beneficiorum longe superat, quicquid maledictionis et poenarum nobis a Patre nostro inflictum est. His et similibus concionibus sine dubio Adam et Heva saepe inter se usi sunt ad incommoda temporalia mitiganda.

Sicut nos quoque contemplari ineffabiles thesauros futurae vitae saepe debemus, et lenire talibus cogitationibus molestias carnis, sicut videmus, Paulum facere 2. Cor. 4, (v. 17. 18.): „Nostra tribulatio, inquit, momentanea et levis est; operatur enim aeternum gloriae pondus in nobis, si non spectemus ea, quae videntur, sed quae non videntur. Nam, quae videntur, temporaria sunt, quae autem non videntur, sunt aeterna“.

Qui igitur concipiunt spem futurae gloriae, et credunt promittenti Deo, deinde etiam intuentur in benedictiones corporales, quod Dominus concessit fruendum nobis hunc mundum, quod dedit uxorem,

domum, liberos, quod ista omnia conservet, et benedicendo augeat, dic mihi, hi an non, quicquid corporalium incommodorum incidet, et aequissimo animo patientur, et dicent, hanc paternam, non judicis, aut tyranni iram esse? Contra vero in serpente apparet judicis ira, cui non solum non promittitur liberatio, sed praedicitur ei contritio. Hanc iram sensit Satan, et adhuc sentit. Ideo ante novissimum diem tanto furore saevit contra ecclesiam et Filium Dei.

Est igitur haec comminatio quidem, qua Hevae minatur Dominus certas poenas, sed in illis ipsis poenis elucet ineffabilis misericordia, quae Hevam erigit, ut in suis malis laetissimo animo sit. Sentimus autem ipsi, quam necessariae hae poenae sint ad domandam carnem. Quomodo enim possemus humiliari, nisi ejusmodi poenarum oneribus deprimeretur natura haec? Itaque Heva, et quaelibet mulier in suo officio et conditione certas has calamitates experietur, quod multiplicabuntur aerumnae, et tum in dolore concipiet, tum pariet.

Est autem hic verbum רב, quod et continuam et discretam quantitatem significat, ut intelligas et magnas et multas ac varias aerumnas, quas non habuisset, nisi in peccatum esset lapsa Heva. Ac praesertim minatur partui et conceptioni. Vocat autem conceptionem totum illud tempus, quo fetus conceptus gestatur in utero, quod gravibus et variis morbis excipitur. Statim suboriuntur acerrimi dolores capitis, vertigo, nausea et fastidium mirabile cibi et potus, crebrae et difficiles vomitiones, dolor dentium, et ventriculi vitium, quod *κίσσαν* excitat, quam picam vocant, cum tales cibos appetunt, a quibus in-

columnis natura abhorrent. Postquam autem fetus jam confirmatus est, et partus imminet, sequitur maxima miseria, quod maxime cum periculo et tantum non moribunda enititur fetum.

Haec cum vident gentes, quae Dei et operum ejus nullam cognitionem habent, adeo offenduntur, ut propter has calamitates statuant, viro sapienti non esse ducendam uxorem. Vehementer enim sexus muliebris humiliatus et afflictus est, ac portat poenam longe graviorem et duriorem, quam viri. Quid enim tale vir in corpore suo patitur? Quia autem per conjugium maritus quasi in se partem istarum poenarum transfert (non enim sine dolore ista in conjuge videre potest), factum est, ut homines impii potius scortarentur, quam ut conjuges fierent.

Contra hanc impiorum sententiam pii se consolari, et per veram sapientiam opponere his incommodis certa et majora commoda debent, sicut etiam Pindarus ad Hieronem in stultis hoc reprehendit, quod, cum Deus ita soleat bona dispensare, ut semper aliquid incommodi admixtum sit, non possunt, ut ipse ait (Pyth. 3, 146.), νήπιοι κόσμῳ φέρειν καὶ πήματα, ἀλλ᾽ ἀγαθοί, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω, hoc est, homines stulti non mitigant incommoda ista commodis, quae habent; boni autem et sapientes ornant commoda sua, et iis quasi obruunt incommoda, quibus exercentur, dum commoda ceu in illustri loco conspicienda collocant.

Ita hic quoque faciendum erat. Sint sane magnae poenae, quibus propter peccatum mulieres subjectae sunt. An non autem hoc majus est, et infinitis modis poenas istas vincit, quod in illis ipsis ca-

mitatibus habent spem certam immortalitatis et aeternae vitae?

Deinde illae ipsae calamitates non sunt sine fructu; pertinent enim ad humiliandam et dejiciendam naturam, quae sine cruce non posset domari.

Tertio manet in istis calamitatibus corporalibus etiam excellens illa gloria maternitatis et benedictio ventris, quam etiam gentiles sapientiores admirati sunt, et magnifice praedicarunt. Manent reliqua dona, quod omnes alimur, fovemur, gestamur in utero matrum, sugimus ubera, et matrum studio ac cura conservamur. Hoc est, τὰ καλὰ ἔξω τρέπεσθε, et non solum intueri mala, sed delectari donis et benedictione Dei, ac obruere poenas, foeditates, dolores, afflictiones et alia.

Sed hoc norunt et faciunt pii tantum. Hi mulieribus tanquam infirmiori vasi suum honorem habent, si quidem vident, eas socias esse immortalitatis et participes haereditatis in coelis. Deinde vident, quod sint ornatae benedictione et gloria maternitatis, quod omnes concipimur, nascimur, fovemur ab eis.

Ac mihi quidem saepe magnae voluptati et admirationi est, quod video corpus muliebre totum ad id factum, ut foveat infantes. Quam decore etiam parvae puellae gestant in sinu infantes? Ipsae matres quam aptis gestibus ludunt, quoties aut placandus est infans vagiens, aut in cunas ponendus? Virum adhibe, facturum eadem, et dices, camelum saltare, adeo indecore omnia faciet, cum vel digito attingendus erit infans. Taceo reliqua officia, quae nisi a matribus praestari non possunt.

Haec omnia, qui rem recte aestimat, accipiet tan-

tanquam certa benedictionis Domini vestigia, quibus testatur Deus, sexum muliebrem, etsi propter peccatum graviter punitus est, sibi tamen curae et carum esse. Haec satis sint de prima parte maledictionis.

Altera pars maledictionis est in cohabitatione. Quodsi non peccasset Heva, non solum sine dolore peperisset, sed etiam ipsa cum viro conjunctio tam honesta fuisset, quam honestum hodie est, cum uxore in mensa edere aut colloqui. Educatio quoque fuisset facillima et plena voluptatis. Haec bona per peccatum amissa sunt, et successerunt nota illa mala doloris et laboris, qui in gestando, enitendo, educando est. Sicut enim elegans puella sine molestia, imo cum magna voluptate et superbia quadam pulchram coronam ex floribus contextam in capite gestat, ita sine omni molestia et cum magna voluptate Heva, si non peccasset, in utero gestasset fetum. Nunc ad illas gestationis et enixionis dolores accedit etiam, quod Heva potestati viri subjecta est, quae antea liberrima et nulla in parte viro inferior erat, socia omnium donorum Dei.

Haec etiam poena est, ex peccato originali nata, quam mulier aeque invita portat, ac dolores et molestias illas carni impositas. Regnum itaque manet penes maritum, cui uxor mandato Dei parere cogitur. Is gubernat domum, politiam, gerit bella, defendit sua, colit terram, aedificat, plantat etc. Contra mulier, ceu clavus parieti infixus, domi sedet, sicut Paulus Tit. 2, (v. 5.) ideo οἰκουρόν vocat. Et gentes pinxerunt Venerem insistentem conchae marinae, quod, sicut concha suam domum secum portat, ita mulier domi assidua esse, et domestica cu-

rare debeat, tanquam quae spoliata sit ratione gubernationis eorum, quae foris et publica sunt: ultra privatissima officia non progreditur.

At si Heva in veritate stetisset, non solum non subjecta imperio viri esset, sed ipsa quoque socia gubernationis fuisset, quae nunc sola masculorum est. Sunt autem feminae fere hujus oneris impatientes, et naturaliter affectant, quod per peccatum amiserunt. Ac cum plus non possunt, saltem impatientiam murmure ostendunt. Hoc tamen non possunt, ut administrent virilia officia, ut doceant, ut regant etc. Procreandae, alendae et fovendae sobolis magistrae sunt. Ad hunc modum Heva punitur, sed, ut initio dixi, est poena laeta, si respicias ad spem aeternae vitae, et gloriam maternitatis relictam.

Ad Adam vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, de quo praeceperam tibi, dicens: Non comedes ex ea; maledicta terra propter te. In dolore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae; spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumtus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

Maritus ultimus peccavit; igitur etiam poena infligitur ei ultimo. Nihil autem hic de generatione, nihil de doloribus in generatione ei minatur Dominus. Itaque in marito est furens libido, accensa veneno Satanae in corpore, sine dolore. Sed officium certa poena gravatur, quod, cum viri sit, alere familiam, regere, gubernare, docere, illa sine singulari

molestia et maximis laboribus non potest perficere. Mulieri impositum est, ut pareat marito, sed quam difficulter hoc ipsum obtineri potest? Taceo imperium in alios, qui non sunt domestici.

Itaque philosophi mirati sunt, unde haec in natura sit pravitas, ut facilius regi possint ab hominibus ferae bestiae, quam ipsi homines, sicut Xenophon dicit: πάντων τῶν ἄλλων ζώων ἐστὶ ῥᾷον ἢ ἀνθρώπων ἄρχειν (Cyr. 1, 1, 3.). Sunt quidem egregia officia, esse maritum, exercere terram, aut aliud opus facere, quo liberi et uxor alantur, regere domum, familiam, civitates, regna, docere et erudire tum domesticos, tum alios ad pietatem et bonos mores. Sed haec ipsa praestantissima officia habent additam suam poenam, ut non sine summis molestiis possint administrari, sicut exempla ante oculos sunt.

Ac primum terra maledicitur propter ipsum Adam. Nam quod Latina translatio habet: „In opere tuo" Ebraice est בַּעֲבוּרֶךָ propter te, ac fefellit interpretem similitudo literarum; legit enim בַּעֲבוֹדְךָ, nam עָבַד, significat terram colere.

Apparet autem hic, quanta calamitas peccatum secuta sit, si quidem terra, quae innocens est et nihil peccavit, tamen cogitur sustinere maledictionem, et sicut Paulus Rom. 8, (v. 20.) loquitur: „Vanitati subjecta esse." A qua tamen vindicabitur in novissimo die, quem exspectat. Vocat enim Plinius benignam, mitem ac indulgentem matrem, item perpetuam ancillam usus mortalium (H. N. 1, 63.). Sed ipsa sentit, ut Paulus ostendit, maledictionem suam, primum in eo, quod illa bona non fert, quae tulisset, si homo non esset lapsus, deinde in eo quoque, quod multa noxia fert, quae non tulisset,

sicut sunt infelix lolium, steriles avenae, zizania, urticae, spinae, tribuli, adde venena, noxias bestiolas, et si qua sunt alia hujus generis. Haec omnia per peccatum invecta sunt.

Nec dubito, quin ante peccatum aura purior et salubrior, aqua fecundior, imo quoque solis lumen pulchrius et clarius fuerit, ita ut nunc tota creatura in omni parte nos admoneat maledictionis per peccatum inflictae. Manserunt tamen reliquiae quaedam prioris benedictionis, quod improbo labore quasi coacta terra ad usum nostrum necessaria producit, etsi ea sentibus et spinis, hoc est, inutilibus et noxiis quoque arboribus, fruticibus et herbis, quas divina ira serit, deformata sint.

Ac maledictio haec postea aucta est per diluvium, in quo omnes bonae arbores evulsae et perditae, arenae cumulatae, et tum herbae, tum bestiae noxiae multiplicatae sunt. Ubi igitur Adam ante peccatum inter fecundissimas arbores, in amoenissimis pratis, in floribus et rosis ambulavit, ibi nunc urticas, sentes et alia molesta germina pullulant, cum tanta copia, ut fere, quae bona sunt, obruantur.

Nam agrum vide jam praeparatum aratro ad accipienda semina, cum primum consitus est, citius zizania et lolium prorumpunt, quam vitae utiles fruges. Ac nisi sedula agricolae cura evellantur quotidie, paulatim ita occupant agrum noxia illa, ut bonum semen stranguletur. Est quidem terra innocens, ac libentius proferret, quae optima sunt, sed impeditur maledictione propter peccatum homini inflicta.

Sicut igitur mulier peccati poenam, sed profecto tolerabilem in corpore suo fert, dum affligitur in officio pariendi, ita maritus fert poenam in oecono-

mia, dum cum difficultate et molesto labore gubernat domum, et alit familiam. Nam propter eum ager maledictus est, cum ante peccatum nulla pars terrae sterilis, nec vitiosa, sed omnia mire fecunda et fertilia essent. Nunc non solum in multis locis terra sterilis est, sed etiam fecunda loca lolio, zizaniis, sentibus ac spinis deformantur. Est haec magna calamitas, quae Adamum et nos omnes merito ad laqueum adigeret; sed mitigatur promissione seminis, dum poena aeternae mortis, quae infinito major est, tollitur.

Quod additur: „In dolore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae", facilis est sententia. Quis enim nescit, quam laboriosum sit, esse agricolam? Non satis est parare terram ad sementem, quod tamen multo et vario labore indiget; etiam cum jam seges in herba est, paene singuli dies suas certas operas postulant. Taceo incommoda coeli paene infinita, noxias bestias et similia, quae omnia hunc dolorem, seu aerumnam augent. Ante peccatum non solum incommoda talia nulla fuerunt, sed terra citius spe, quasi ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα omnia productura erat, nisi Adam peccasset.

Porro calamitas haec, quam peccatum invexit, multis modis lenior et tolerabilior fuit, quam illa, quae diluvium secuta est. Hic enim tantum fit mentio spinarum, tribulorum et laboris: at nunc experimur, infinita alia accessisse. Quot enim vitia, quot pestes sunt segetis, leguminum, arborum, denique omnium terra nascentium? Quantum incommodi est oleribus a noxiis papilionibus? Nocent deinde frigora, fulgura, nocivi rores, venti, exundantia flumina, hiatus terrae, terrae motus etc. Horum omnium in praesentia nulla fit mentio. Omnino igitur existimo,

crescentibus peccatis etiam poenas auctas esse, et illa incommoda accessisse ad terrae maledictionem.

Quodsi cui videtur, haec omnia Mosen complexum esse, dum dicit, terram esse maledictam, non sane cum eo contendam. Hoc tamen nemo negabit, auctis peccatis etiam incommoda ista aucta esse, sicut hodie experimur frequentiores calamitates frugum, quam prioribus temporibus. Mundus enim de die in diem magis degenerat.

Sic non obscura vestigia sunt, has calamitates Adae inflictas fuisse, ceu documentum primo seculo, ut severior esset disciplina. Sed paulatim sub tempora Noah disciplina haec labefieri, et homines dissolutius vivere coepere, donec tandem terra repleta est injuria, injustitia et tyrannide. Ibi, sicut in corporibus graviores morbi asperiora remedia postulant, etiam poenas oportuit aut graviores, aut frequentes magis infligi.

Cum igitur universa terra diluvio vastata, et omnia terra viventia, paucis hominibus exceptis, exstincta essent, seculum, quod temporibus Noah proximum fuit, sine dubio in timore Dei vixit. Sed progredientibus annis etiam isti depravati, et per Satanam corrupti sunt. Quare opus fuit exemplo severiore, sicut interitus Sodomorum et vicinarum civitatum ostendit. Sic scriptura dicit, oportuisse compleri iniquitates Amorreorum (Gen. 15, 16.). Et tandem tota synagoga, cum abiisset in gentilitatem et manifestam impietatem, vastata est. Roma quoque, stante disciplina veteri, magna incrementa sumsit, sed incumbentibus vitiis, necesse fuit etiam poenas admovere propius.

Sub initia evangelii innotescentis apud nos erat

seculum satis tolerabile. Nunc cum timor Dei fere nullus sit, et vitia quotidie crescant, accedentibus etiam pseudoprophetis, quid aliud sperari potest, quam futurum, ut, postquam iniquitates nostrae completae sunt, aut veniat consummatio omnium, aut alia occasione Germania det poenas peccatorum? Ita in universum verum est, quod crescentibus peccatis etiam crescunt poenae.

Sicut autem dixi de calamitatibus terra nascentium, ita omnino existimo, etiam corpora hominum fuisse salubria magis, quam nunc sunt, quemadmodum etiam arguit incredibilis nobis longaevitas, quae in primis hominibus ante diluvium fuit. Nihil enim hic minatur Dominus Adae de apoplexia, de lepra, de morbo sacro, et aliis exitialibus malis.

Me puero scabies Gallica Germanis ignota erat. Nam sub decimum quintum annum aetatis meae primum coepit innotescere: nunc etiam pueri in cunis hoc malo affliguntur. Tum igitur magnus hujus morbi metus erat apud omnes: at nunc ita negligitur, ut etiam amici nugantes inter se alii aliis Gallicam scabiem imprecentur.

Sudor Anglicus fuit usque ad hanc meam aetatem morbus, ut medici appellant, ἐπιχώριος. Sicut enim singulae regiones sua commoda certa habent, ita, postquam iis abutuntur contra Deum, certis etiam incommodis premuntur et affliguntur. Sed coepit is quoque vulgari in partes Germaniae mediterraneas, procul ab Oceano remotas. Quod horrendum auditu est, quidam serpentes in ventre, vermes in cerebro habent, hi morbi veteribus quoque medicis, ut opinor, ignoti fuere, qui tamen quadringenta paene morborum genera numerarunt.

Quodsi hi morbi omnes etiam in primo seculo fuissent, quomodo ad tantam longaevitatem potuissent pervenire Adam et reliqui usque ad Noah? Moses igitur tantum de sterilitate terrae et de difficultate parandi victus loquitur.

Sed si quis copiam affectat, et vult videri rhetor, is hoc in loco numeret omnia generis humani mala; inveniet autem tam copiosam segetem omnis generis calamitatum, ut prae metu hoc unum a Deo sit expetiturus, ne unam horam in tantis periculis liceat vivere.

Quid enim morbos tantum commemoramus? Omnes creaturae contra nos, et tantum non in perniciem nostram armatae sunt. Quot sunt, quos ignis et aqua perdunt? Quantum a ferocibus aut venenatis bestiis periculi est? Nec tantum corpora nostra, sed alimenta etiam ad alendos nos nata infestant. Taceo, quod nos ipsi ruimus in mutuas caedes, ac si nullae aliae essent pestes, quae nobis insidiarentur.

Itaque si hominum studia spectes, quid est haec vita, quam quotidiana contentio, insidiae, rapina, caedes, praeter ea incommoda, quae ab externis in nos derivantur? Haec omnia non existimo ante diluvium vel numero tot, vel tam gravia fuisse, ut nunc sunt. Sed quia creverunt peccata, etiam poenae illae auctae sunt.

Quare calamitates Adae impositae mediocres fuere prae nostris. Quo enim mundus magis vergit ad finem, eo magis obruitur poenis et calamitatibus. Accedit autem ad hoc etiam illud malum, quod, quo plus mundus percutitur, eo magis indurat frontem, et stupescit quasi ad sua mala. Sicut Prov. 23,

(v. 35.) dicitur: „Traxit me, et non sensi; percussit me, et non dolui". Haec caecitas omnes illas corporis calamitates excedit.

An non enim mirum et miserum est, haerere primum in corpore nostro vestigia irae Dei, quam peccatum meruit, deinde etiam conspici iram Dei in terra et in omnibus creaturis, et tamen otioso ac securo animo ista omnia a nobis negliguntur? Quid enim spinae, quid tribuli, quid aqua, quid ignis, quid erucae, quid muscae, quid pulices, pediculi, cimices, an non haec omnia et singula sunt nuntii, qui concionantur nobis de peccato et ira Dei? Si quidem ante peccatum non fuerunt, aut saltem non fuerunt noxia et molesta.

Scientes igitur et videntes sumus et vivimus in plus quam Aegyptiacis tenebris; quod, cum undique omnia nos admoneant de ira Dei, et eam tantum non in ipsos oculos infigant, tamen nos eam non animadvertimus, et hanc vitam ceu unicas delicias amplectimur. Sicut igitur peccata multiplicantur, securitas crescit, et homines ad mala sua occalluerunt et obduruerunt.

Ita etiam mala multiplicantur, non tantum in hac vita, sed etiam in futura. De impiis dico. Si quis enim in inferno tantum sensu poenas et cruciatus sustineret, et non intelligeret, se justas poenas sustinere, tolerabiliores essent cruciatus; sicut nos nostra mala non volumus agnoscere, et quasi dedoluimus. Sed ibi auferetur stupor ille, qui nunc obstat, quo minus videamus miseriam nostram, et aperientur sensus omnes, ut non solum in corpore sit sensus poenae, sed etiam in ipsa mente sensus irae Dei et confessio, quod eam iram nostra mali-

tia meriti sumus. Haec acuent et infinitis modis augebunt impiorum cruciatus.

Spinam atque tribulum faciet crescere tibi. Hic iterum admonemur, terram per se tale nihil producere, sed propter peccatum Adae, sicut supra diserte dixit: „Propter te". Quare quoties tribulos et sentes, quoties zizania et alia id genus in agro, hortis videmus, admoneamur tanquam certis signis peccati et irae Dei. Non tantum in templis igitur audimus, argui nos peccati; omnes agri, imo paene tota creatura plena est talibus concionatoribus, admonentibus nos de peccato nostro et ira Dei, per peccatum excitata.

Precandum igitur erat, ut Dominus istum mirabilem stuporem ex oculis, sensu et cordibus nostris eximeret, ut toties admoniti de peccato, exueremus securitatem, et ambularemus in timore Dei. Ideo enim tam varie maledictionibus dejecti et oppressi sumus, sicut Moses jam latius exponit.

Manducabis herbam agri.

Haec nova est calamitas. Supra enim dedit Dominus homini pulcherrima et suavissima dona, ut vesceretur de omnibus arboribus Paradisi, exceptis duabus. Dedit dominium in pisces, et quicquid tota terra habebat, sive fructuum, sive animalium. Nunc omnia haec propter comestum pomum eripiuntur, et nihil relinquitur ei, quam herbae. Atque ex hoc loco puto satis fortiter evinci posse, Adamum non butyro, non lacte, non ovis, non caseo, non carnibus, non pomis, non piris usum esse, sed oleribus et seminibus, ut sunt pisa, fabae, foeniculum, milium, oryza, farra, etc. Quam igitur laute pasti sunt hospi-

tes, cum elocaret filiam, aut ipse liberorum nuptiis interesset, cum praeter herbas nihil concessum esset, quo vesceretur?

Haec frugalitas fuit primi seculi, vilissimus et simplicissimus cibus cum aqua. Nunc horribilis luxus mundum invasit. Non satis est omnis generis carnes ad voluptatem comparare: miscentur carnes piscibus, adduntur aromata, et tentatur illa naturae inimica perversitas, ut, quae natura dulcia sunt, reddantur condituris acria, quae autem acria sunt, reddantur dulcia.

Quanta in potu quoque varietas est? Quis non putaret, se ludibrio haberi, si videret, ab hospite apponi aquam? Non zytho apud nos cocto, non vino patrio contenti sumus, etiam ultramarina appetimus. Hanc insaniam gulae, si nunc pater noster Adam rediret, an non putas miraturum in filiis? Quae nos cum voluptate comedimus et bibimus, ea ceu venenum fugeret, et omnibus deliciis anteferret vel rapas, vel ptisana, cum frigida.

Commendatur igitur nobis hoc in loco frugalitas in victu, dum docemur de primis parentibus, quod spoliati omnibus aliis cibis, solum herbarum cibum habuerunt reliquum. Haec simplicitas alimentorum reddit corpora salubria, non obnoxia istis morbis, quos vel delicatior victus vel crapula conciliat.

Debebant autem nos quoque haec invitare non solum ad frugalitatem, sed etiam ad patientiam, cum alios abundare videmus omnis generis deliciis, nos autem vix panem et salem habemus cum aqua. Cogitare enim debemus, hanc poenam Adae impositam, ut, cum in Paradiso Deo volente, jubente et donante

posset omnis generis fructibus vesci, et dominus esse totius terrae, propter inobedientiam nunc cogatur cum posteritate sua vili olusculo victitare.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Quam varie ingeminat molestiam laboris, ut maritus occupetur cura et labore alendi, defendendi, gubernandi suos! Haec autem nostro seculo propter hominum perversitatem longe sunt difficiliora, quam initio fuere. Videmus enim, etiam cum de victu certa spes est, quanto negotio familia in officio possit retineri. Nec Adam hujus mali ignarus fuit, qui cum familiae suae sanctissime praeesset, tamen vidit caedem a Cain factam. Taceo alia incommoda, quae longaevitas videre et ferre in posteris coëgit. Haec igitur cura marito imponitur, ut sustineat laborem, non satis gratum nec felicem. Nec debet quisquam esse, qui non sudorem hunc sentiat. Tanto Papistarum periculosior vita est, qui omnes alieno labore partis opibus etiam ad voluptates suas ac otium abutuntur.

Sed hic quaestio nascitur, an oporteat omnes nos agricolas esse, aut saltem manibus laborare? sicut initio evangelii quidam inepte contendebant. Nam et hoc loco et aliis, qui laborem manuum praecipiebant, eo abutebantur, ut juventus, abjectis studiis, manuarias operas sectaretur, sicut Carolostadius, horum dux, deserta conditione sua, villam emebat, eamque fodiebat ipse et colebat. Sed profecto mihi, si vocationem deserere esset integrum, longe facilius et jucundius esset, versari in horto, ligone fodere, et pala vertere terram, quam sustinere hunc laborem, quem nunc sustineo. Nam rusticorum labor nullam proportionem habet ad hunc nostrum sudorem.

Quare explodendi isti sunt, qui solum manuum laborem, laborem dici contendunt. Manifesta Christi sententia est, jubentis, ut ii, qui docent, aliorum laboribus fruantur. „Intrantes domum, inquit, primum dicite: Pax huic domui; edentes et bibentes, quae apud eos sunt; dignus enim est operarius mercede sua". Luc. 10, (v. 5. 7.). Hic de mensa eorum, qui audiunt verbum Dei, Dominus panem tollit, et dat doctoribus. Sicut Paulus quoque dicit: „Qui evangelium docet, de evangelio etiam vivat" (1. Cor. 9, 14.) Ac in hanc sententiam etiam legis dictum citat: „Non obligabis os bovi trituranti". Cur autem agricolae laboranti et colenti agrum suum datum est mandatum de pendendis decimis, si verbi ministri suo labore victum quaerere debent?

Hi et similes loci clare ostendunt, quod sudor vultus sit multiplex. Primus est agricolarum, seu oeconomorum, secundus magistratuum, tertius doctorum in ecclesia. Inter hos ordines optima conditio est agricolarum, sicut etiam Poëta dicit: Felices nimium, sua si bona norint, agricolae (Virg. Georg. 2, 458.). Etsi enim duro labore exercentur, tamen singulari voluptate labor iste conditus est, dum quotidie illa nova et mirabilis creaturarum facies se oculis ingerit, ubi contra tum in politia, tum ecclesia praeter quotidiana pericula etiam infinitae molestiae objiciuntur, si modo fideliter officium facere velis. Non enim loquimur hic de hominibus otiosis, qui istas poenas peccati non agnoscunt, sed tantum in id incumbunt, quomodo expleant libidinem suam: hi Epicuri suo malo genio relinquantur. De iis loquimur, qui serio faciunt, quod debent facere. Hi uno die plus laborant et sudant, quam agricola toto

mensae, si magnitudinem operis et varia pericula consideres.

Atque haec quoque est causa, cur regibus et principibus tributa, vectigalia et alia id genus pendantur a subditis. Quis autem non videt, si diligenter faciant officium, quam exigua ea gratia vel merces sit, quae pro tanto labore rependitur? Quodsi qui sunt negligentes, non ideo tamen legitima ordinatio relinquenda est.

De Maximiliano Augusto audivi, ita eum negotiis perpetuo oppressum esse, ut nunquam satis otii ad cibum capiendum esset. Cogebatur itaque non nunquam se subducere a laboribus, et in silvas se abdere, ubi venationibus indulgebat, non nunquam mutata veste immiscebat se privatorum coetibus, ut liberioribus colloquiis frueretur. Etsi autem ei venationis studium vitio datum est, tamen, qui labores ejus et interiorem vitam norant, judicabant, id magis necessitatis quam voluptatis causa ab eo suscipi. Cum hoc labore igitur, quem tanti imperii gubernandi ratio requirit, quas arationes, quas fossiones, quos alios labores rusticos mihi comparabis? Ergo nomina regum et principum aulae habent, cum revera reges et principes omnium servorum sint miserrimi. Ideo Monachi et tota Pontificis factio soli sunt, qui regiam vitam degunt, si quidem labores, negotia, pericula relinquunt aliis. Ipsi in otio fruuntur commodis suis.

Idem de pastorali cura dicimus, quae tanto major est habenda, quanto ea graviora sunt, quae administrat. An enim putabimus, Augustinum in otio vixisse, et curasse voluptates suas, in tanta adversariorum multitudine, cum quibus quotidie dimican-

dum fuit, ne doctrinam Christi penitus subverterent Pelagiani, Donatistae, Manichaei et similes turbatores ecclesiarum? Nos quoque hodie sic, Dei gratia, administramus nostra, ut sperem, neminem fore, qui nobis tam negotiosum otium invideat. Summa igitur stultitia est, quod fanatici manuum labores sic urgent, qui corpori confirmando utiles sunt, cum e contra hi politici et ecclesiastici labores maximi atterant corpora, et tanquam ex imis medullis omnem succum exhauriant.

Distinguemus igitur sudorem secundum justam proportionem. Oeconomicus sudor magnus, major politicus, ecclesiasticus maximus. Nam Paulum vide, et facile intelliges, quomodo ab eo desudatum sit. Quia autem ecclesia omnibus seculis infestatur a daemonibus, et exercetur haeresibus, scandalis, peccatis, injusta vi tyrannorum, et omnis generis malis, an dicemus nullos in ea labores, nullos sudores esse? An dicemus eos, qui ecclesiae praesunt, indignos victu?

De Papa et Cardinalibus et toto illo impiorum coetu hoc dicamus, qui cum nihil laborent, et tantum ventrem et otium curent, maximas opes absumunt. Hi enim sunt, de quibus potest dici illud Pauli (2. Thess. 3, 10.): „Qui non laborat, non manducet.“ Laborare autem in ecclesia est, docere, administrare Sacramenta, pugnare cum fanaticis, tollere scandala, aedificare pios etc. Hoc qui faciunt, de his dicit Christus: „Dignus est mercenarius mercede sua (Luc. 10, 7.).“

Porro Adae, tanquam qui auctor primus peccati exstitit, si recte aestimemus, deterior conditio fuit,

quam nostra. Nam ubi nos singuli in suo ordine sudamus, Adam unus sudorem oeconomicum, politicum et ecclesiasticum desudare coactus est. Nam solus haec officia apud posteritatem, dum vixit, omnia sustinuit: aluit familiam, gubernavit eam, et instruxit eam ad pietatem, fuit pater, rex et sacerdos. Quam autem singula plena sint dolorum et periculorum, experientia docet.

Quare necesse est, ut nos contra ea consolemur, et ad patientiam assuefaciamus animos nostros, si quidem videmus, calamitates has imponi etiam electis, qui habent spem resurrectionis et aeternae vitae. Porro haec spes cum reliqua sit calamitosis hominibus, decet nos esse magno animo, et spe hac vincere mala; non enim sumus perpetuo hic mansuri. Sicut igitur, qui peregre abeunt, etiam, sicubi sordidum hospitem nacti sunt, sic se consolantur, quod unius noctis ea molestia sit, sive esuriendum, sive duriter cubandum est: ita nos quoque in mediis hisce calamitatibus cogitemus. Quid enim sunt duo aut tres anni, quos dormiendo paene fallimus, collati ad aeternitatem?

Veniant igitur, sicut Dominus singulis distribuit, adversitates, sive in oeconomia, sive in politia et ecclesia, non tamen patiemur nos commoveri ad impatientiam, non ideo vel politiam, vel oeconomiam, vel ecclesiae curam abjiciemus. Non decet haec mollities fortes milites, ut ad primum impetum hostium abjiciant arma, et fugiant, quasi vero ad voluptates et otium, non ad laborem et negotia destinati simus. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, inquit Poëta (Virg. Aen. 6, 96.).

Hoc

Hoc autem tum poterimus, si his temporalibus incommodis opposuerimus spem resurrectionis et aeternae vitae. Sicut autem nemo hanc libenter amitteret, ita putabunt singuli, sibi non deserendam eam quasi stationem, in quam divinitus collocati sunt. Qui est vocatus ad docendas ecclesias, faciat id magno animo, nec moveatur aut suis periculis, aut pontificum ignavia, qui cum praedicando evangelium, gubernando ecclesias, audiendis causis sacris, dijudicandis dogmatum controversiis, ecclesias juvare debebant, rejiciunt haec summa opera in ineptos Monachos, ipsi autem nummis cumulandis, et voluptatibus instruendis occupantur. Quoniam igitur sudorem fugiunt, etiam refrigerio carebunt; quoniam non compatiuntur, etiam non conregnabunt.

Contra nos, qui sudorem hunc, singuli in suo genere, sustinemus, cogitemus, etiam si quid acerbum ferendum est, fore, ut habeant calamitates istae finem suum, sicut Moses jam consolationem hanc, in quantumvis duro malo, addit.

Donec revertaris in terram, quoniam ex ea sumtus es: quoniam pulvis tu, et in pulverem reverteris.

Homines impii infinitas calamitates spe brevis voluptatulae consequendae sustinent. Quantum periculorum sustinet mercator terra et mari propter spem lucri? Miles quam vili aere vendit vitam suam? Scortum in lupanari longe plus malorum sustinere cogitur, quam ulla uxor in domo. Inde Germani proverbio tales vocant Diaboli martyres, qui sua sponte in calamitates se conjiciunt, quibus carere poterant, si pie vellent vivere. Quantum enim in-

commodorum helluationibus sibi homines vinosi accersunt? quibus carerent, si moderatius biberent.

Quare merito dubitaverit aliquis, quanam ratione consuli generi humano possit, quod per Satanam ita induratur, ut ne mala quidem sua sentiat, sed ea studiose sectetur et urgeat. Si enim ea sentiret, te quaeso, an non fugeret? Nunc tantus stupor in animis est, ut suis malis homines delectari videas. Haec perversitas igitur, quae in maxima hominum parte est, ut propter stultam et levem voluptatem certis malis se implicent, mirum est, quod non a piis in bona causa consideretur, ut cogitent, etsi hic in variis calamitatibus vivendum sit, tamen fore earum finem, et pensandas esse meliore vita.

Hanc consolationem praesens sententia ostendit. Certo enim promittit, futurum, ut calamitates illae cunctae finiantur, idque contuso et contrito antea capite serpentis. „Donec, inquit, reverteris אֶל־הָאֲדָמָה, in terram“. Significat enim vocabulum in genere terram, sicut infra: „Et Cain factus est cultor terrae“. Sed vocabulum עָפָר significat proprie terram recens effossam, seu glebam. Nostra translatio habet pulverem, ut significetur dissoluta terra. Nam Adam ex gleba factus est in hominem viventem. Dissoluta igitur compagine ista, dicit Dominus, futurum, ut iterum in glebam seu pulverem revertatur.

Atque hic iterum admonemur, quomodo paulatim crescentibus peccatis etiam poenae creverint. Mitior illa et humanior ratio fuit, cadavera terrae mandare, et in terram resolvi. Postea autem fere omnium nationum consuetudine cadavera cremari coepta sunt. Item quoties accidit, ut etiam vivi homines vorentur

a feris, et habeant sepulchra sua bestias, sicut in Prophetis inter quatuor poenas sunt bestiarum dentes, et furores serpentum aliorumque venenatorum animantium. Sic enim fit, quanto nos ad poenas magis stupemus, tanto eas duriores imponit Deus ad frangendos nos, et retundendam nostram duritiem, sicut dicitur Levitici 26, (v. 18. 19.). „Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiae vestrae etc“.

Sic lapsus Adae fuit a vita in mortem, a sanitate in morbos; et tamen fuit adhuc vere aureum seculum, si nostrum spectes. Nam paulatim degeneraverunt omnia, sicut etiam ostendit id statua Danielis (2, 32. 33.). Quanto enim mundus suo fini est propior, tanto homines fiunt deteriores. Ideo fit etiam, ut poenae duriores de nobis sumantur. Quam pertinax impugnatio veritatis hodie est inter Papistas? Quantam exercent crudelitatem contra eos, qui veritatem confitentur? Taceo avaritiam plane Satanicam, libidines, perfidias, injurias sine fine. Num igitur possunt poenae longius abesse?

Hactenus commemoravit Mose poenas inflictas Adae et posteritati ejus propter peccatum, quae etsi grandes sunt, tamen initio fuerunt mitiores, quam nunc sunt. Quae enim tum, ut sic loquar, in positivo fuerunt, nunc omnia propter peccata aucta sunt in superlativo.

Prius autem, quam pergamus ad reliqua, disputandum est de loco, quem supra attigimus, ubi dicitur ad mulierem: „Multiplicabo dolorem tuum et conceptum tuum, seu impraegnationem tuam“. Est enim הֵרֹנֵךְ, quod fere exponunt pro illis molestiis

et angustiis omnibus, quibus mulieres exercentur a tempore conceptus usque ad partum.

Quaeritur igitur, cum uxor in anno tantum semel impraegnetur et pariat, an poena etiam sit, semel tantum impraegnari? item, cur hic dicat, se velle multiplicare conceptum? Quod igitur ad posterius attinet, sentio recte exponi: Multiplicabo conceptum, hoc est, dolores et molestias, quae sequuntur conceptionem, ut ita poena sit, non nisi unum fetum in anno concipi, et tamen infinitis molestiis cumulari. Nam si homo in innocentia permansisset, omnino major fuisset mulierum fecunditas, sicut ejus quaedam vestigia cernimus, cum uno partu gemini, saepe tergemini, non nunquam quatergemini edantur.

Et sunt hujus fecunditatis in ceteris bestiis exempla. Magna avium et piscium fecunditas est; canes, feles, sues etiam magno numero pariunt. Etsi autem grandiores aliquae bestiae singulos tantum fetus pariunt, tamen mihi non dubium est, mulieres, nisi peccatum esset, multo numerosiorem prolem fuisse parituras. Nunc ut plurimum, singulis annis singulos fetus, quae fecundissimae sunt, pariunt, et accessit illa turpis et foeda libido. Quae omnia nos de magnitudine peccati admonent.

Sed hic objicitur Iudaicum cavillum de serpente, quod, si semen mulieris intelligendum est de semine naturali, quod ex utero ejus nascitur, sicut exposuimus, videtur consequens esse, ut etiam serpentis semen sit illud, quod ex serpentis ventre enascitur; alioqui enim non constabit contrarietas, quam tamen Moses ostendit, cum dicit: „Ponam inimicitias inter semen tuum, et semen illius".

Ex hoc cavillo multa sequentur: primum, quod

Deus tantum cum naturali serpente loquatur, eumque puniat; secundo, quod Christus nihil sit, neque ex hoc loco aliquid de Christo probari possit. Habet quidem speciem aliquam cavillum hoc, sed revera nihil est.

Primum autem sic respondeo: Qui ignoret, ignoret, et qui sordescit, sordescat adhuc. Qui enim revelato et manifesto evangelio non credit, his dignus est; qui non intelligat haec Scripturae occultiora dicta, eisque non credat. Neque nos hoc agimus, ut per hunc locum fundemus aut illustremus evangelium; sed evangelium tanquam claram lucem adhibemus, ut istae tenebrae illustrentur. Quare qui lucenti evangelio credere nolunt, quid mirum est, si hi obscurioribus Prophetarum dictis non credant, et afferant novas et absurdas opiniones? Promissio evangelii divinitus revelata, deinde inter tot tyrannos et horrenda supplicia conservata est: hanc quia Iudaei pertinaciter impugnant, nec credere volunt, sinendi sunt; nos autem cum fidelibus et evangelio sese submittentibus jam agemus.

Christus Ioannis octavo (v. 44.) dicit, Satanam esse patrem mendacii et homicidam, nec stetisse in veritate. Haec est lux illa evangelii, qua tenebrae veteris testamenti illustrantur. Nam si Satan ab initio homicida fuit, dic, quem aut quos occidit? Nonne Adamum et Hevam per peccatum? Ubi occidit? Nonne in Paradiso? Quando occidit? Nonne cum elevaret auctoritatem mandati divini, et promitteret, Diis similes fore, si ederent de arbore vetita? Utrunque igitur verum est: affuit in Paradiso serpens naturalis, et per istum serpentem antiquus serpens, Diabolus, hominem decepit et occidit.

Est igitur hic principalis sensus hujus loci, ut intelligas, Diabolum auctorem hujus calamitatis fuisse, sicut, cum aliquis caedem fecit, recte dicitur de homicidae gladio: Gladius hunc occidit, sed profecto gladius non solus, nec per se, sed homo, qui utitur gladio. Usitata autem synecdoche est, ut intelligamus sub instrumento ipsum auctorem. Ergo cavillum hoc Iudaicum explodamus.

Secundo etiam hoc verum est, quod non semper necesse est contraria per omnia sibi respondere. Est enim contrariorum multiplex ratio, sicut dialectici docent. Quaedam sunt relative opposita, quaedam privative, quaedam contrarie. Pater naturalis, ex quo generamur, et pater mendacii sunt opposita. Etsi igitur concedamus Iudaicum sensum, loqui Mosen de naturali serpente, tamen ipse textus synecdochen arguit, si eum conferamus cum verbis Christi. Sic enim dicit: „Dixit Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus eris". Quid fecit? nimirum hoc, quod decepit Hevam, et sic occidit eam.

Ad haec verba affer lucem evangelii: „Fuit Diabolus homicida ab initio": an non clare apparet, sic loqui Deum cum serpente naturali, ut intelligat Diabolum in serpente naturali latentem, qui hominem conjecit in peccatum, in mortem et in iram Dei? Igitur semen non est intelligendum naturale semen naturalis serpentis, sed semen Diaboli. Sicut Christus quoque appellat in evangelio (Matth. 13, 25): „Venit homo inimicus, superseminans semen malum". Hoc semen est contrarium semini spirituali, sicut caro et spiritus sunt contraria.

Neque necesse est, ut per omnia sibi respondeant contraria, sicut nec similia per omnia sibi respon-

dent. Adam est figura Christi: in eo enim convenit similitudo, quod, sicut per Adamum in universos exundavit peccatum, ita quoque exundat justitia Christi in omnes, qui credunt in eum. Haec conveniunt, alia omnia disconveniunt. Relinquatur igitur Iudaeis suus error. Nos fideles scimus, hunc serpentem esse Diabolum, ex interpretatione Christi.

Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, quoniam ipsa esset mater omnis vivi.

Supra audivimus, infligi mulieri etiam istam poenam, ut sit sub potestate viri. Ea potestas hic significatur. Non enim ei imponit nomen Deus, sed Adam, tanquam dominus Hevae, sicut etiam supra dedit nomina animalibus, tanquam creaturae infra se positae; nullum animal sibi ipsi finxit nomen, omnia sortita sunt nomina sua, et acceperunt dignitatem et gloriam nominis a domino Adam. Sic adhuc hodie mulier, cum nubit viro, amittit suae familiae nomen, et vocatur nomine mariti. Ac monstri simile esset, si maritus se vellet nominari nomine uxoris. Hoc est signum et confirmatio poenae seu subjectionis, quam mulier per peccatum meruit. Sic si maritus locum mutet, cogitur eum mulier sequi, tanquam dominum suum. Tam varia in natura sunt vestigia, quae nos peccati et calamitatum nostrarum admonent.

Est autem nomen, quod Adam conjugi suae dat, valde laetum et jucundum nomen. Quid enim pretiosius, melius, aut jucundius est vita? Notus est versiculus vulgaris: Ut vitam redimas etc. Non enim aurum, non gemmae, non opes et gloria totius mundi cum vita conferri possunt, sicut etiam Christus

dicit, Matth. 16, (v. 26.). Iudaei fere liberis indunt nomina a rosis, floribus, gemmis, sed nomen Hevae non a pretio rerum, sed ab ipsa vita sumtum est quae omnes alias res vincit.

Addit autem rationem: „Quia est mater omnis viventis". Apparet autem ex hoc loco, Adamum, recepto Spiritu sancto, mirabiliter fuisse illustratum et credidisse ac intellexisse verbum de semine mulieris contrituro caput serpentis, ac voluisse quoque hanc suam fidem insignire, et ornare vocabulo uxoris suae, quod ideo nulli alii creaturae indidit, ut aleret hac appellatione conjugis suae spem futuri seminis, et confirmaret fidem suam seque consolaretur, quod crederet vitam etiam tum, cum jam morti tota natura esset subjecta.

Nisi enim sensisset vitam futuram, non potuisset erigi animus ejus, nec ipse tam laetum vocabulum imposuisset uxori. Quia autem hoc nomen imponit uxori suae, satis ostendit animum erectum per Spiritum sanctum fiducia remissionis peccatorum per semen Hevae, quam ideo Hevam appellat, ut hoc nomen esset ceu memoriale promissionis, ex qua ipse quoque revixit, et spem vitae aeternae relinqueret posteris. Hanc spem et fidem nomine hoc ceu coloribus in fronte uxoris pingit, sicut liberati ab hostibus tropaea et alia signa laetitiae statuunt.

Sed, inquies, cur matrem vocat, quae adhuc erat virgo, necdum pepererat? Facit id quoque ad testandam fidem promissionis, quia credit, genus humanum non abjiciendum, nec delendum esse, sed conservandum. Simul igitur et prophetiam futurae gratiae hoc nomen complectitur, et consolationem ostendit necessariam in hujus vitae calamitatibus per-

petuis contra Satanae tentationes. Possibile autem est, ut haec laeta impositio nominis (quod pulcherrimum testimonium est fidei et recreati spiritus in Adamo) occasionem dederit, ut sancti patres post magis festivum et laetum habuerint diem, quo infans circumcisus, et nomen ei inditum est, quam quo natus est; ut sic celebraretur haec nominis primi impositio. Nunc sequitur aliud memoriale tristitiae, huic contrarium.

Fecit quoque Dominus Deus ipsi Adam et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.

Hoc neutiquam sic laetum et jucundum est, sicut fuit impositio nominis. Etsi enim dictum erat a Domino: „Quacunque die de hoc ligno comedes, morte morieris“, tamen consolatur se Adam isto nomine uxoris de vita reparanda per promissum semen, quod caput serpentis contriturum, et ipsum occisorem occisurum sit.

Hic ab ipso Domino Deo circumdantur Adam et Heva vestibus, ut hoc ceu memoriali admoniti cogitarent, quoties vestes adspicerent, de miserabili suo lapsu ex summa felicitate in extremas calamitates et miserias, ut sic in perpetuum timerent peccare, ut agerent perpetuam poenitentiam, et ad remissionem peccatorum per promissum semen suspirarent. Atque huc facit, quod non frondibus, non ista lana, quae in arboribus crescit, eos vestit; pellibus occisorum animalium eos circumdat, in signum, quod mortales sint, et in certa morte versentur.

Sicut igitur nomen Hevae laetum omen est vitae, ita pelles hae sunt memoriale non solum prae-

teriti, et futuri peccati, sed etiam praesentium calamitatum, quas peccata merentur.

Opus autem habet haec natura talibus admonitionibus et quasi signis; facillime enim obliviscimtur praeteritorum tum malorum, tum bonorum. Sic Petrus (2. Petr. 1, 9.) quoque inquit: „Cui haec non adsunt, caecus est, oblitus purgationis a peccatis prioribus. Ego autem ideo, inquit, non negligam vos semper submonere de his, quamvis scientes et firmatos in praesenti veritate“. Horribile profecto verbum Apostoli, quod aliqui obliviscantur remissionis peccatorum, qui, cum pulchre crediderint, tamen a fide recedunt, et illa pulcherrima catena virtutum Christianarum se non exornarit, sed indulgent avaritiae, superbiae, invidiae, libidini etc. Nobis quoque hodie hac admonitione valde opus est, qui illa onera calamitatum sub Papatu experti sumus, ne simus tam misericordi Deo ingrati, sicut, proh dolor, major mundi pars est.

Ad sanandam igitur hanc oblivionem addita Adae et Hevae est pellis, tanquam monitorium, seu insigne quoddam, quo admonerentur una cum tota posteritate sua istius miserrimi casus. Sed mundus postea etiam in hoc calamitatis signo insanire coepit. Quis enim facile commemoret, quantum studii et sumtuum in vestitum ponant homines! Itaque non amplius voluptas nec luxus, sed furor potius nominari debet, quod, sicut asini ad portandum aurum procreati, magis in id incumbunt, quomodo se onerent, quam ornent. Merito commendatur honestior vestitus, praesertim in personis illustribus. Sed illa barbaries, quae nunc in usu est, non potest non bonorum virorum oculos offendere. Itaque, si nunc

Adam resurgeret, et videret hanc insaniam omnium ordinum, profecto credo, quod prae stupore tanquam lapis staret. Fuit enim ei pellis sua quotidiana vestis, ut quotidie admoneretur amissae felicitatis. Nos autem ideo vestimus splendide, et indulgemus luxui, ut omnibus testemur, nos non solum oblitos malorum, ex quibus erepti sumus, sed etiam bonorum, quae accepimus. Iam, quod signo illo vestium admonuit Dominus, etiam admonet verbo.

Et dixit Dominus Deus: Ecce ille homo fuit, sicut unus ex nobis, ut sciret bonum et malum. Et nunc, ne forte mittat manum suam, et accipiat etiam de arbore vitae, et comedat, et vivat in seculum.

Est sarcasmus et acerbissima irrisio. Quaeritur igitur, quare Deus tam duriter agat cum misero Adam, qui, postquam omni gloria spoliatus, ac in peccatum et mortem lapsus est, etiam a Creatore suo tam acerbo improprio pungitur? Nec satis est signum visibile, quo eum admonet praesentis calamitatis et amissae gloriae, etiam addit verbum audibile?

Respondeo: Habuit Adam promissionem misericordiae; ea oportuit eum contentum vivere. Ut autem futurum peccatum tanto metueret et caveret diligentius, datur ei hoc tam acerbum memoriale. Videt enim Deus, quales futuri sint posteri ejus; ideo ponit verbum hoc in os Adae, ut praedicet id posteris, ut doceat, quod, cum voluerit similis Deo fieri, factus sit similis Diabolo, ut ipsi quoque caveant, ne ad id parentum peccatum adjiciant sua, sicque magis a Deo discedant.

Sicut igitur antea in pellibus, ita hic ipso verbo admonet de praeteritis et futuris malis; non quod delectetur tam tristi casu (sic enim non admoneret Adamum, sed taceret), sed quod vult, ut homo ad imaginem Dei amissam iterum adspiret, et peccatum, tanti mali causam, tanto magis odisse incipiat, ut Adam admoneat posteros, quid secutum sit post peccatum, quod, cum a Satana dementatus putaverit, se Deo similem fore, sit ipsi Satanae factus similis.

Movetur hoc loco et illa quaestio, cur Deus, qui unus est, loquatur in plurali numero? Num plures Dii sint? Ac Nicolaus de Lyra cum aliis sentit, haec dicta esse in persona Angeli vel ad Angelos. „Factus est unus ex nobis", id est, factus est Angelus. Sed nimis frigida glossa haec est. Non enim Deus se Angelum vocat. Nec vis posita est in nomine unus, posita magis est in pronomine nobis. Quare repudiemus hoc frigidum commentum. Si enim hoc dicitur in persona Angeli, certum est, Deum hoc non dixisse. At textus dicit: „Et dixit Dominus Deus".

Quare ad lucem evangelii respiciendum est, sicut etiam supra dixi; haec enim tenebras veteris testamenti illustrat. Quodsi de Angelis haec exponas, non conveniet expositio cum superioribus. Sic enim dixit Satan: „Et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum". Ergo Adam et Heva revera hoc tentarunt, ut Deo similes fierent. Nec debet praesens locus aliter intelligi, quam de aequalitate cum Deo.

Explodatur itaque Iudaicus error, quem hoc loco Lyra amplectitur, et statuatur secundum literam, quod in Deo sit pluralitas, sicut etiam supra dixit: „Faciamus hominem ad imaginem nostram". Haec loca omnia arguunt unitatem essentiae divinae; sem-

per enim proponitur: „Et dixit Deus“: deinde arguunt etiam pluralitatem personarum, seu, ut vocant, Trinitatem. Sunt autem mysteria haec in novo testamento certius explicata, sicut cum Christus jubet, baptisari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Tres igitur personae divinitatis sic statim in initio mundi indicatae, postea per Prophetas intellectae, tandem per evangelium plene revelatae sunt.

Manet igitur sententia, Adamum et Hevam hoc tentasse, ut fierent imago Dei. Atqui imago Dei invisibilis est Filius, per quem consistunt omnia. Itaque Adam per peccatum suum impegit in personam Christi, quae est vera imago Dei. Sunt haec breviter et obscure proposita, sed Adam sine dubio infinitas conciones inde contexuit; sicut etiam Prophetas apparet varie ad haec mysteria alludere, eaque involvere mirabiliter, quae postea evangelium clare ostendit.

Ac facit ad nostram sententiam hoc in loco nomen Dei, Iehova, quod non potest significare ullam creaturam, sed simpliciter ipsi soli Creatori tribuitur. Quid autem dicit Creator? Nempe Adam factus est unus ex nobis. Hic profecto professio et fides nostra non tolerat, ut accipiamus haec tanquam ad Angelos dicta. Quis enim dicet, Deum esse unum ex Angelis? aut Angelum unum ex Deo? Imo Deus est super Angelos et super omnes creaturas; quomodo igitur se posset Angelis aequare?

Accipiamus igitur hunc locum pro certo testimonio articuli nostri de Trinitate, quod sit unus Deus et tres personae. Obscure autem indicat hic de peccato Adae, quod voluit non Angelis, sed Deo similis fieri. Ac si in Angelos tantum peccasset

Adam, non esset morti traditus. Quia autem tendebat peccatum in majestatem creatricem, cui voluit similis esse, et facere, quae ipsa majestas facit, ideo tam horribilis poena peccatum hoc est consecuta.

Sicut autem accidit, cum quis a cruce liberatur, nemo est, qui non moneat de periculo, in quo fuit, et hortetur, ut id posthac caveat, ita, postquam Adam per promissionem divinam in spem vitae iterum erectus est, admonet eum Deus amara hac irrisione, ut non obliviscatur horribilis hujus lapsus, ne posthac divinitatem, tam infeliciter tentatam, iterum affectet, sed ut humiliet se coram majestate Dei, et posthac cum posteritate sua tale caveat peccatum. Non enim Adae soli haec dicuntur; etiam ad nos pertinent, qui, postquam baptisati, et renovati sumus per gratiam, summo studio cavere debemus, ne relabamur in veterem impietatem.

Ad eundem modum sarcasmus et amarulentissima irrisio est in eo, quod dicit, de arbore vitae, quasi vero Deus non uno nutu potuerit prohibere et cavere, ne eam attingeret Adam. Deinde addit etiam illa terriculamenta:

Et emisit eum Dominus Deus de horto Eden ad colendam terram, de qua sumtus erat, et expulit hominem, et collocavit a plaga orientali horti Eden Cherubim et flammam gladii versatilis ad custodiendum iter arboris vitae.

Pertinent haec quoque ad nostram correptionem et admonitionem, sicut Paulus dicit, Rom. 15, (v. 4.), quod, quaecunque scripta sunt, propter nos scripta sunt. Magnum enim periculum in eo est, si obliti

priorum, iterum in ea demergamur. Sicut etiam Christus Ioh. 5, (v. 14.) admonet, cum dicit: „Vide, sanatus es, noli amplius peccare, ne quid tibi pejus accidat". Et Petrus, 2. Petr 2, (v. 22.) de sue tota, et cane reverso ad vomitum. Item 2. Petr. 1, (v. 9.): „Qui obliviscuntur peccatorum suorum veterum".

Haec et alia scripturae loca sunt admonitiones de peccato in futurum cavendo, propterea quod, sicut in morbis recidivatio difficilius curatur, quam primus morbus, ita hoc in loco varie admonetur Adam et tota ejus posteritas, ut, postquam per promissionem seminis spem vitae acceperunt, caveant, ne per peccatum eam iterum amittant. Nota enim est parabola de domo purgata post ejectum Satanam, quam iterum occupat, assumtis secum septem spiritibus nequioribus (Matth. 12, 45.).

In hunc finem utitur tanta acerbitate Dominus, quasi dicat: Prohibui antea, ne Adam et Heva attingerent arborem mortis; sed ea petulantia fuit, ut ne a suo incommodo abstinerent. Profecto nunc danda opera est, ne etiam ad arborem vitae accedant; forte etiam ab ea non abstinebunt. Ideo sic cavebo id, ut simul prohibeam usum omnium arborum Paradisi. Exite igitur foras, et comedite herbas agri, et si quid aliud terra producit. Non solum arborem vitae, sed ne quidem reliquas arbores Paradisi posthac licebit gustare etc.

Ostendit autem hic locus, arbores Paradisi neutiquam similes earum fuisse, quas reliqua terra tulit. Nunc itaque etiam victus, quo Adam et Heva usi sunt, eos admonet peccati et miserrimae conditionis, in quam per peccatum conjecti sunt. Tam varie calamitates nostrae pictae sunt, ut etiam vestitus et

victus, non solum illa spiritualium donorum carentia, nos eorum admoneant.

Hic oritur quaestio, num, si Deus permisisset Adamum de arbore vitae comedere, per hunc cibum Adam vicisset mortem, sicut, postquam de arbore mortis comedit, morti est subditus? videtur enim par ratio esse. Arbor mortis occidit, idque per verbum: „Quacumque die de hoc ligno comederis, morieris“. Ergo vitae arbor virtute verbi etiam vivificat et servat a morte.

Lyra et alii respondent ad hanc quaestionem, quod ista arbor vitae habuisset quidem virtutem conservandae vitae in longitudinem, sed non in perpetuitatem; itaque vitam per peccatum amissam non restituisset. Non enim Adam conditus fuit, ut perpetuo in hac corporali vita maneret, sed de corporali vita et esu corporali transiturus erat ad vitam spiritualem, sicut, cum ex privato creatur consul, ibi non intercedit mors, sed simpliciter augetur gloria et dignitas. Sic Adam, non intercedente morte, cum vita immortali commutasset mortalem. Arbor autem haec vitae, inquit Lyra, tantum serviebat corporali vitae. Ideo interpretatur textum, ne vivat in seculum, id est, in tempus longum. Haec Lyra.

Ego vero in diversa sum sententia, et credo, quod, si Adam esset admissus ad arborem vitae, quod esset restitutus in illam vitam, quam amiserat, ut posthac non mortuus, sed simpliciter ex corporali vita in spiritualem translatus esset. Nam utrunque textus dicit clarissime, quod et eam ob causam arbore vitae ei interdictum sit, et quod de ea comedens vivat לְעֹלָם, id est, in seculum. Ideo autem Lyrae opinionem reprobo, quod simpliciter naturae arbo-

arboris tribuit potestatem vivificandi, cum certum sit, arborem non ex sua natura, sed virtute verbi hanc vim habuisse. Sicut etiam arbor scientiae boni et mali non ideo occidit, quasi fructus ejus venenati et pestiferi essent, sed quia verbum, ceu charta quaedam, erat additum, in qua charta scriptum erat: „Quacunque die de ligno hoc comederis, morte morieris".

Ergo primum in arbore mortis haeret mors spiritualis, nempe in obedientia. Postquam igitur hoc praeceptum Adam et Heva violarunt per peccatum, jam tum in eis efficax, cogitarunt: Ecce Deus prohibuit, ne comederemus; sed quid id ad nos? Hic contemtus praecepti hamus ille venenatus fuit, quo impacto in fauces Adam et Heva exstincti sunt. Quia enim comminatio fuit addita, ideo comestio sequens operata est mortem propter inobedientiam. Non fuit venenata arbor, sed, ut supra copiose diximus, fuit arbor cultus divini, ut testaretur homo per illam obedientiam, se agnoscere, revereri et timere Deum suum. Omnia enim, quae fecit Deus, vidit, quod essent valde bona. Eandem plane rationem fuisse puto arboris vitae; non sua natura, sed virtute verbi vivifica arbor fuit. Itaque postquam verbum adhuc haerebat in ea arbore, Adam si ex ea comedisset, pristinae vitae esset restitutus.

Sic serpens, quem Moses in deserto excitavit, Num. 21. non vivificavit sua natura, (erat enim ex aere, sicut adhuc ex aere potest fingi serpens), sed verbum additum serpenti illi aëneo vivificum fuit, quod Deus jussit serpentem illum erigi, et addidit verbum: „Quicunque eum adspexerit, sanabitur". Hoc verbum non habes, si hodie ex aere serpentem fingas. Nec etiam causa sanitatis in adspiciendo fuit, sed in eo, quia divinitus jussum erat, ut serpentem

adspicerent, et promissio de salute addita erat. Quia autem verbum non attendunt Rabini, ideo foede labuntur, et in eam sententiam pronuntiant, quod natura istarum arborum fuerit vel mortifera vel vivifica. Nec intelligunt, omnia fieri ideo, quia Deus vel promittit, vel minatur.

Sicut sophistae quoque nugantur, cum disputant, quomodo Baptismus justificet. Nam Thomas et Bonaventura sentiunt, quandam virtutem efficiendi a Deo aquae inditam, cum baptisatur infans, ut ita aqua Baptismi sua virtute creet justificationem. Contra nos dicimus, aquam esse aquam, nihilo meliorem in sua substantia, quam ea, quam vacca bibit. Huic autem simplici aquae dicimus esse additum verbum promissionis: „Quicunque crediderit et baptisatus fuerit, salvabitur (Marc. 16, 16.)". Item: „Oportet hominem renasci ex aqua et spiritu (Joh. 3, 3.)". Hoc verbum, seu promissionem hanc si quis velit appellare vim aquae Baptismi inditam, non repugnabo. Sed sophistarum alia mens fuit. Non enim verbo dant virtutem hanc, sed de elemento disputant, quod habeat peculiarem virtutem inditam. Scotus rectius dixit, cum definit Baptismum esse pactum divinum, assistens elemento.

Verbum igitur ubique respiciendum et honorificandum est, quo Deus apprehendit, et quasi induit creaturas, et facienda differentia est inter creaturam et verbum. In sacramento Coenae sunt panis et vinum, in Baptismo est aqua. Hae sunt creaturae, sed apprehensae per verbum. Quamdiu autem creatura est apprehensa verbo, tamdiu est et facit, quod verbum promittit.

Neque tamen hoc sic intelligendum est, quasi patrocinemur jam Sacramentariis, cum Baptismum et

Coenam conjungimus. Baptismus habet promissionem, quod cum Spiritu sancto regeneret: in coena Domini praeter promissionem remissionis peccatorum etiam hoc est, quod cum pane et vino vere exhibeatur corpus et sanguis Christi, sicut dicit Christus: „Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur". „Hic calix est novum testamentum in sanguine meo etc." Ad hunc modum quoque dici potest, naturam humanam in Christo non redimere nos, sed quia natura humana corporaliter per divinitatem apprehensa est, et Christus, Deus et homo, est una persona, ideo redemtio valet, ideo filius hominis dicitur et est salvator.

Papa excogitavit aquam benedictam, unctionem extremam et similia multa, quibus tribuit remissionem peccatorum. Hic semper cogita, num Deus praeceptum et promissionem suam addiderit? Quodsi promissio et praeceptum Dei non adest, statim judica, esse idolatriam et profanationem nominis Dei. Atqui inquiunt: Adduntur piae preces; exstant quoque exempla sancta, ad quorum imitationem ista fiunt. Sed tu neque preces, neque exempla, nec intentionem etiam cura. Hoc solum cura, an promissio et praeceptum adsint; haec enim sunt, quae creaturas induunt nova virtute praeter eam virtutem, quam natura sua habent.

Sicut arbor scientiae mali et boni sua natura bona erat, sed propter verbum additum erat homini venenum, etiam spiritus, non tantum corporis. Contra arbor vitae habebat propter verbum vim vitae conservandae, ac Adae quoque vitam conservasset. Sed Deus iratus non vult ei post lapsum permittere regressum ad illam arborem, non ideo solum, ut ad-

moneretur de peccato admisso, sed etiam, quia Adam habebat jam meliorem promissionem, quod semen mulieris esset contriturum semen serpentis, ut, quanquam subjectus esset corporali morti, tamen retineret spem immortalitatis per Filium Dei; sicut paterfamilias iratus, etsi non adimit filio haereditatis jus, tamen eum castigat, ejicit domo etc.

Vult igitur Dominus Deus, hominem contentum esse promissione melioris vitae, quam ea fuit, in quam creatus est Adam. Nam etsi Adam de arbore vitae comedisset, et iterum esset restitutus priori vitae, non tamen fuisset tutus a Satana, quin iterum per tentationem ex ea excideret. Paravit itaque Deus homini talem statum, in quo certi simus, nos aeterna morte per semen benedictum nunquam morituros, etsi corporalis haec vita varie sit afflicta. Sunt igitur haec verba omnia verba ridentis et irascentis Dei ad Adamum jam justificatum, ut et de futuris esset cautior, et praeteritorum memoriam non amitteret.

Ac Moses pulchre invertit verba, ut admoneret hominem eorum, quae antea dixerat. Antea dixit: Posuit hominem in hortum Eden, ut operaretur et custodiret eum. Hic dicit: Emisit Deus hominem de horto Eden ad colendam terram. Vult enim, hominem cogitare, quod sit ex gleba formatus, et positus in optimum locum, sed per peccatum factum esse, ut ex loco optimo in terram, ex qua creatus est, sit repositus. Haec insignis inversio admonet Adamum et posteros non solum de futuris peccatis cavendis, sed etiam de praeteritis. Itaque Adam, cui antea in Paradiso, loco a caeteris bestiis separato, paratus pe-

culiaris victus erat, nunc in communi loco cum bestiis etiam communi fere pabulo utitur.

Nec ejicitur solum ex Paradiso, sed additur loco custos, ne qua ad eum possit accedere, sicut ad arces, ad exercitus fiunt excubiae. Ostendit autem Moses hac copia, qua hoc loco utitur, summe necessariam fuisse hanc ejectionem propter nostram salutem, ut scilicet caveremus a peccatis, et viveremus in timore Dei, attendentes a Satana, qui tantum nocuit huic naturae per peccatum.

De vocabulo מִקֶּדֶם diximus supra, quod significat ab oriente, seu ab orientali plaga. Significat autem Moses, quod Paradisus habuerit viam seu portam ad orientem, per quam ad hortum hunc aditus fuit. Sic in aedificatione templi apud Ezechielem fit mentio portae sanctuarii, quae respiciebat ad orientem, ut scilicet templum sentiamus figuram quandam Paradisi fuisse, quod Paradisus, si natura mansisset innocens, fuisset templum totius mundi. In ea via igitur ab oriente, quae sola ad Paradisum ducebat, positi sunt Cherubim, seu Angeli, qui custodirent viam istam, ne vel Adam vel ulli ejus posteri ingredi in Paradisum possent. Humano more fecit haec Dominus ad terrendum, ut scilicet exstaret memoriale tam insignis lapsus.

Porro Cherubim isti in via habuerunt non ferrum, quo arcerent accessuros, sed לַהַט gladii versatilis, hoc est, fulgetrum seu flammam, qualis est fulguris, quae incerta est, et praestringit oculos. Habuit autem ista flamma seu fulgur hoc formam gladii, qui movetur assiduo seu vibratur. Sicut in Actis cap. 2, (v. 3.) dicitur, linguas Apostolorum divisas apparuisse, tanquam ignis, et praebent quoque talem

speciem volantes dracones. In hunc modum Angeli isti semper emiserunt flammas, quae in omnes partes agerentur, ne quis accedere posset.

Origenis nugas repudiamus, nec placent ineptiae Lyrae, qui dicit, per flammeum gladium significari, quod peccator pro peccato mortali desinit esse de ecclesia militante merito, etsi non numero. Versatilem autem dici, quod, si vera poenitentia sequatur, homo secundum meritum ad eam revocatur. Nos enim sicut defendimus, Paradisum fuisse verum et visibilem hortum in terrae certo loco, ita hic historice exponimus gladium hunc visibilem flammam, seu ignem in forma gladii, quo terruerunt et fugarunt Cherubim seu Angeli Adamum et ejus posteros, ne auderent propius ad hortum hunc accedere.

Ac est servata Paradisus custodia Angelorum usque ad diluvium, ut exstaret certum memoriale apud omnem posteritatem hujus miseri et calamitosi lapsus, sicut postea ad omnem posteritatem exstitit lacus Sodomorum, item statua salis. Hujusmodi enim monumentis opus habet ignavia et negligentia nostra. Sed post diluvium Paradisus una cum Angelis et rhomphaea ista disparuit. Habuit enim tum nascens generatio opus novis exemplis, quae propiora essent et magis moverent securos, quanquam ne sic quidem aliquid proficitur apud impios.

Absolvimus jam per tria haec capita historiam de creatione totius creaturae, quomodo creati sint coelum et terra, mare et omnia, quae in eis sunt, quomodo a Deo sit condita Paradisus, ut esset hominis, domini orbis terrarum, palatium, quomodo in Paradiso Deus templum homini condiderit, destinatum ad cultus divinos, nempe arborem scientiae bo-

ni et mali, in qua ostenderet obedientiam erga Deum. Audivimus quoque res hominis in Paradiso gestas, quam miserabiliter lapsus sit, et Peccaverit contra Deum, amiseritque istam omnem gloriam innocentiae et immortalitatis.

Haec omnia simpliciter pro nostri doni modo tractavimus, sensu historico, qui genuinus et verus est. Hoc enim in sacris literis praecipue est agendum, ut aliquam certam et simplicem sententiam inde eliciamus, praesertim in tanta varietate interpretum, tum Latinorum, tum Graecorum, tum Ebraeorum quoque. Hi enim fere omnes non solum historiam non curant, sed etiam ineptis allegoriis eam obruunt et turbant.

Origenis et Hieronymi absurda ratio, quam in his capitibus secuti sunt, nota est: ubique enim discedunt ab historia, quam vocant literam occidentem et carnem, ac magnificè commendant spiritualem sensum, quem non norunt. Ac secutus est Hieronymus Origenem magistrum, sicut nostro quoque seculo accidit. Quia enim hi, qui vel ingenio, vel facundia valebant, in eo omnes nervos intendebant, ut persuaderent auditoribus, historias esse res mortuas, nec valere ad aedificationem ecclesiarum, ideo factum est, ut rueremus communi studio ad allegorias. Ac mihi juveni pulchre succedebat conatus; nam etiam absurda licebat fingere, si quidem hi tanti doctores ecclesiarum, ut sunt Hieronymus et Origenes, non nunquam indulserant ingeniis. Qui igitur allegoriis fingendis aptior erat, is etiam doctior theologus habebatur. Ac Augustinus quoque, hac opinione deceptus, saepe, praesertim in Psalmis, historicam sententiam negligit, et ad allegorias vertitur. Persuasum

enim fuit omnibus, quod praesertim in historiis veteris testamenti allegoriae essent spiritualis intellectus, historia autem seu literalis sententia esset carnalis intellectus.

Sed te quaeso, an non hoc est profanare sacra? Origenes ex Paradiso coelum, ex arboribus Angelos facit. Hoc si ita est, ubi manebit articulus creationis? Opus igitur est, praesertim tironibus sacrarum literarum, cum ad lectionem veterum doctorum accedent, ut cum judicio, vel potius cum certo consilio damnandi, quae minus probabilia sunt, eos legant, ne auctoritate nominis Patrum et doctorum ecclesiae decipiantur, sicut ego deceptus sum et omnes theologorum scholae. Ego quidem ab eo tempore, quo coepi historicam sententiam amplecti, semper abhorrui ab allegoriis, nec sum iis usus, nisi vel ipse textus eas ostenderet, vel interpretationes ex novo testamento possent sumi.

Difficillimum autem mihi fuit, ab usitato studio allegoriarum discedere, et tamen videbam, allegorias esse inanes speculationes et tanquam spumam sacrae scripturae. Sola enim historica sententia est, quae vere et solide docet. Postquam haec tractata et recte cognita est, tunc licet etiam allegoriis ceu ornamento et floribus quibusdam uti, quibus illustretur historia, seu pingatur. Nam nudae allegoriae, quae nulla ex parte historiae respondent, nec pingunt eam, simpliciter tanquam inania somnia sunt rejiciendae. Sunt autem fere tales, quibus Origenes uti solet, et qui eum secuti sunt. Ubi enim ex scriptura probari potest, Paradisum significare coelum, arbores autem Paradisi Angelos? An non ineptissima et sine omni fructu excogitata haec sunt?

Qui igitur allegoriis volunt uti, hi fundamentum earum ex ipsa historia petent. Historia enim est, quae ceu dialectica vera et indubitata docet. Contra allegoria quasi rhetorica pingere historiam debet, ad probandum autem nihil valet. Ad hunc modum valet allegoria, cum coelum dicimus significare ecclesiam, terram autem imperia et politicam consuetudinem. Nam ipse Christus appellat ecclesiam regnum coelorum et regnum Dei. Terra autem dicitur terra viventium, ubi regnant reges et principes.

Similis est allegoria, qua Paulus (Eph. 5, 32.) utitur, quod Adam et Heva seu ipsum conjugium sit typus Christi et ecclesiae. Haec allegoria erudita et plena consolationis est: quid enim potest dici jucundius, quam quod ecclesia sit sponsa, et Christus sponsus? Significatur enim hic illa tum societas, tum communicatio laetissima omnium donorum, quae sponsus habet, et obruuntur simul peccata et calamitates omnes, quibus misera sponsa onerata est; itaque jucundissima vox est, cum dicit Paulus 2. Cor. 11, (v. 2.): „Despondi vos uni viro, ut adducerem ad Christum castam virginem".

Sic Rom. 5, (v. 14.) dicit: „Adam erat forma futuri", quomodo? „Sicut enim per Adam multi sunt mortui, multo magis gratia Dei et donum per gratiam, quae est unius hominis Iesu Christi, in multos superabundavit". An non pulchre ad historiam, ceu ad fundamentum, alludit haec allegoria? Sic Gal. 4, (v. 24.) ex Sara et Agar facit duo testamenta. Ad hunc modum, qui volunt allegorias afferre, fundamenta earum ex ipsa historia quaerant.

Supra audivimus de semine mulieris et serpentis; hanc historiam Christus imitatur in similitudine

de homine inimico, seminante malum semen, hoc est, impiam doctrinam et cogitationes malas. Haec quis non videt aptiora, illustriora, utiliora et meliora esse, quam quae Augustinus, Lyra et alii afferunt de portione rationis inferiore et superiore?

Ad hunc modum clausa Paradisus et Cherubim cum gladiis ad custodiendam Paradisum positi, quid aliud significant, quam quod homo, extra fidem in Christum positus, neque legem, neque evangelium potest ferre? Sicut Paulus (2. Cor. 3, 7.) de Iudaeis dicit, qui non poterant intueri in faciem Mosi coruscantem, et cogebatur Moses velamen ponere ante oculos.

Arbor mortis est lex, arbor vitae est evangelium seu Christus; ad has arbores non possunt accedere, qui non credunt in Christum. Prohibentur enim gladio Angeli, qui hypocrisin et venenatam justitiam non potest tolerare. Agnoscenti autem peccatum et credenti in Christum huic Paradisus aperta manet; affert enim non suam, sed Christi justitiam, quam evangelium ideo praedicat in omnes, ut omnes ea nitamur et salvemur.

Sed nihil necesse est huic allegoriae immorari; hoc monuisse sit satis, ut, qui allegoriis uti volent, iis utantur, quas indicarunt Apostoli, et quae habent fundamentum certum in ipsa litera seu historia. Alioqui fiet, ut aedificemus super fundamentum paleam et stipulas, non aurum.

De Cherubim autem dicendum est, quod crebra eorum fit mentio passim in sacris literis. De his apud Latinos nihil est, nisi quod dicunt, significari vocabulo plenitudinem scientiae. Apud Graecos est Dionysius, quem jactant Pauli discipulum fuisse, sed

id non est verum. Est enim plenissimus ineptissimarum nugarum, ubi de hierarchia coelesti et ecclesiastica disputat. Fingit novem choros, tanquam sphaeras, supremam Seraphim, deinceps Cherubim, Thronos, Dominationes, Virtutes, Principatus. Postea in hierarchia inferiore Potestates, Archangelos, Angelos. Haec quis non videt, nihil esse quam otiosas et futiles hominum cogitationes?

Postea in hierarchia ecclesiastica dicit esse Episcopos, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Exorcistas etc. Talibus nugis occupatur ille scilicet principis Apostolorum et doctoris gentium discipulus. Et tamen sic ejus auctoritas jactata est, ut inflati hypocritae statuant, omnia esse tanquam ex oraculis prodita, cum nusquam unum verbum de fide, de ulla sacrae scripturae utili eruditione faciat. Sed quis dixit ei, esse novem choros? Cur postea Franciscani addiderunt decimum, tanquam palatium, in quo diva Mater habitaret? In summa hae sunt nugae, dignae, quas discant et admirarentur Papistae, postquam sanam doctrinam tam pertinaciter impugnant.

De Cherub igitur quantum ego potui ex lectione consequi, meam sententiam dicam. Videtur enim mihi Cherub significare faciem illam floridam, quae est in puellis et juvenibus in prima aetate, sicut etiam pinguntur Angeli similes infantibus, ut Cherubim intelligas Angelos, qui apparent facie non rugosa, non tristi, sed laeta et exporrecta fronte, facie plena et pingui, sive sit ea humana facies, sive alia. Est igitur Cherub nomen generale, quod non constituit nomen singulare inter ordines Angelorum, sicut Dionysius somniat, sed ad apparentiam pertinet,

quod florida specie et juvenili facie se offerunt hominibus.

Atque haec etiam Ebraeorum sententia est, qui dicunt כְּרוּב esse Chaldaicum, ac כ esse servilem literam, רוּב autem significare formosum adolescentem, qui sit plena et florenti facie, hinc כְּרוּבִים appellari Angelos, quasi florentes facie, laetos et jucundos, sicut etiam pinguntur fere.

Sic Seraphim etiam generale nomen est Angelorum ab igni seu ardore propter qualitatem formae, sicut ostendit locus, Num. 21, (v. 6.): „Immisit Deus in populum הַנְּחָשִׁים הַשְּׂרָפִים, serpentes seraphim, hoc est, urentes vel ignitos, ut intelligas Seraphim Angelos non solum formosos et plena facie, sicut sunt Cherubim, sed etiam fulgentes, sicut in evangelio pinguntur ad sepulchrum Domini sedisse. „Erat, inquit textus, forma ejus sicut fulgur“ Matth. 28, (v. 3.). Huc pertinet Psalmus 104, (v. 4.): „Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis“, hoc est, rutilantem ignem. Sicut Lucae 2, (v. 9.) dicitur, quod, cum Angelus venit ad pastores, circumfulsit eos claritas Domini. Talis etiam fuit Christi facies in monte Thabor. Tales erunt nostrae quoque facies, cum excitabimur in extremo die ad gloriam a Christo nobis partam.

Quod autem in libris Regum (1. Regg. 6, 29.) est de Cherubicis cortinis, intelligit etiam facies istas plenas et vegetas Angelorum una cum alis, non quod habeant Angeli alas, sed quod aliter pingi non possunt. Sicut Esa. 6, (v. 6.): Cherub appellatur Angelus, qui venit volans, laeta et formosa facie, quales

in tapetis pinguntur. Quodsi etiam accedat rutilantia, ut sic dicam, qualis Stephani facies fuisse dicitur laeta et hilaris, ex cujus oculis merae laetitiae radiabant, tum dicuntur Seraphim. Nos Germanice possumus dicere facies, die bluhen und gluhen.

Tales nos quoque erimus; lucebunt facies nostrae sicut sol in meridie, non erunt rugae illae, non contracta frons, non oculi purulenti, sed sicut Apocalypsis 21, (v. 4.) dicitur: „Absterget Dominus omnem lacrimam ab oculis nostris, ut non mors, non luctus, non querelae, non labor ullus sit reliquus". Hanc spem retineamus et vivamus in timore Dei, donec liberati ex hac calamitosa vita vivamus illam Angelicam et aeternam vitam, Amen, Amen.

QUARTUM CAPUT GENESIS.

Superavimus tandem mare illud, in quo maxime sudatum est ab omnibus, etiam aliqua ex parte a nobis, quanquam eo nobis fuerunt omnia planiora, quod relictis allegoriis historicam et propriam sententiam secuti sumus. Eam cum maxima interpretum pars non curaret, et Origenem, Dionysium aliosque pluris quam ipsum Mosen faceret, merito aberrarunt. Quae jam sequuntur, minus disputationum habent, et planiora sunt, ac etiam in eo patrocinantur nostrae sententiae, quod nemo non videt, Mosen non voluisse allegorias proponere, sed simpliciter primi mundi historiam scribere.

Et cognovit Adam Hevam uxorem suam, quae concipiens peperit Cain.

Adam per peccatum lapsus in mortem habuit promissionem, sicut supra audivimus, quod de carne morti subjecta deberet ei nasci surculus vitae. Intellexit igitur sibi esse generandum, praesertim cum ista benedictio: „Crescite et multiplicamini", non sublata, sed iterum confirmata esset in promissione illa de semine, contrituro caput serpentis. Non itaque, sicut nos judicamus, simpliciter ex carnis affectu Adam Hevam suam cognovit, sed necessitas salutis, per benedictum semen consequendae, coëgit eum.

Nemo igitur commemoratione hac offendi debet, quod Adam cognovit Hevam suam. Etsi enim propter peccatum originale divinum hoc opus generationis pro turpi habetur, quo offendi puras aures videmus, tamen spirituales homines debent distinguere inter peccatum originale et creaturam. Opus generationis est creatura Dei bona et sancta; est enim ex Deo benedicente. Ac si homo non esset lapsus, fuisset purissimum et honestissimum opus. Sicut enim nemo veretur cum uxore sua loqui, edere, bibere; honesta enim sunt haec omnia, ita quoque generare honestissimum fuisset.

Ac mansit etiam in natura corrupta generatio, sed accessit illud venenum Diaboli, pruritus carnis et foeda libido, quae variorum incommodorum et peccatorum etiam causa est, quibus omnibus natura integra caruisset. Experimur carnem immodice appetere, ac ne conjugium quidem multis sufficiens remedium est; alioqui enim non adulteria, non scortatio-

nes essent, quae, proh dolor! nimis crebrae sunt. Inter ipsos conjuges etiam quam varie ista carnis infirmitas se prodit! Haec omnia non creationis, non benedictionis sunt, quae ex Deo est, sed peccati et maledictionis, quae est ex peccato. Itaque debent separari a creatura Dei, quae bona est, et de qua etiam Spiritum sanctum videmus non esse veritum loqui.

Non solum autem nulla turpitudo est, quod loquitur Moses hic de creatione et benedictione Dei, sed etiam necesse fuit, ut haec doceret et scriberet, propter futuras haereses, Nicolaitas, Tatianum, etc. maxime autem propter Papatum. Videmus enim, Papistas nihil moveri, quod supra scriptum est: „Creavit autem eos Dominus masculum et feminam". Sic enim vivunt, sic votis se obligant et involvunt, ut neque masculos, nec feminas se esse norint. Nihil movet eos, quod supra scriptum est: „Adduxit autem Dominus Hevam ad Adam, et Adam dixit: Hoc os ex ossibus meis etc". Nihil movet promissio et benedictio: „Crescite et multiplicamini". Nihil movet eos Decalogus: „Honora patrem et matrem". Nihil movet eos origo sua, quod ex copulatione maris et feminae nati sunt. His omnibus praeteritis, neglectis et abjectis, cogunt sacrificulos, Monachos et Monachas suos ad perpetuum coelibatum, quasi conjugum vita, de qua hic Mose loquitur, damnata et reproba vita sit.

Sed Spiritus sanctus habet purius os, et oculos puriores, quam Papa; ideo non veretur meminisse copulae, seu congressus mariti et uxoris, quem isti sancti ceu foedum et impurum damnant. Nec facit hoc Spiritus sanctus uno in loco; tota scriptura ta-

lium historiarum plena est, ita ut etiam hanc ob causam nonnulli a lectione sacrorum Bibliorum juvenes Monachos et Monachas revocarint. Quid multis? tantus fuit furor Diaboli contra creaturam Dei et sanctum conjugium, ut coëgerint Papistae homines abjurare conjugium, ut instituerint ordines coelibis vitae, et damnaverint prae coelibatu suo conjugum vitam. Itaque haec impietas non caruit suis poenis. Nam exempla ob oculos sunt, qui fructus impurum coelibatum sint secuti, et etiam in libris exstant vestigia horrendorum scelerum.

Testatur sanctus Udalricus, Episcopus Augustanus, postquam coelibatum Gregorius Pontifex stabilitum vellet, et interdixisset usu conjugum etiam illis, qui jam ante decretum de coelibatu conjuges essent facti, cum forte piscari vellet in vivario, quod Romae habebat, inventa in eo esse amplius sex mille capitum infantilium. Scribit autem idem Udalricus, vehementer consternatum eo spectaculo Gregorium, impiam de coelibatu sanctionem iterum sustulisse. Sed successores Gregorii facile et foeditatem hujus rei et piam abolitionem decreti de coelibatu suppresserunt, cum ipsi quoque existimarent, non ad opes solum parandas coelibatum aptum esse, sed etiam ad dignitatem conciliandam.

Simile exemplum nostra aetate accidit. Cum Moniales in Austriae vico Closter Neumburg propter turpem vitam cogerentur mutare locum, et monasterium Franciscanis habitandum concessum esset, atque illi pro sua commoditate quaedam aedificia mutarent, inventae sunt in fundamentis novis duodecim ollae, quarum singulae cadaver infantis habebant.

Hujus-

Hujusmodi infinita alia passim acciderunt. Recte igitur Gregorius, qui, sicut Episcopus Udalricus refert, verbum Pauli eleganter mutavit: Paulus inquit: Melius est nubere, quam uri. Sed ego addo: Melius est nubere, quam mortis occasionem praebere.

Romae quoque propter copiam puerorum expositiitiorum erecta sunt monasteria, quorum Pontifex pater dicitur, et antecedunt eum proximi in processionibus publicis. Taceo infinita alia, quae dicere animus reformidat.

Cavere itaque doctrinas istas daemoniorum decet, et discere, ut reverenter habeamus conjugium, et reverenter loquamur de hoc genere vitae, quod videmus Deum instituisse, quod audimus in Decalogo commendari, ubi dicitur: „Honora patrem tuum et matrem tuam", cui addita est benedictio: „Crescite et multiplicamini", de quo audimus hic Spiritum sanctum loqui, cujus os castum est. Vitia autem et turpitudinem illam, quae per peccatum ad creationem Dei accessit, non debemus exagitare aut ridere, sed potius debemus tegere, sicut videmus, Deum Adam et Hevam nudos post peccatum vestibus tegere. Honorifice enim conjugium tractari debet, ex quo omnes nascimur, quod seminarium est non solum politiae, sed etiam ecclesiae et regni Christi usque ad finem mundi.

Hanc gloriam conjugii gentes et alii profani homines non intelligunt. Colligunt tantum vitia, quae tum in ipsa conjugum vita, tum in feminino sexu sunt. Et sic separant immundum a mundo, ut immundum retineant, quod autem mundum est, non videant. Sicut etiam quidam profani jureconsulti de hoc ipso libro Genesis profane judicant, et dicunt,

nihil continere, quam subagitationes Iudaeorum. Hi an non digni sunt, si etiam conjugii contemtus et impurus coelibatus accedat, qui etiam Sodomorum sceleribus et poenis subjiciantur? Sed omittamus hos, et Mosen audiamus.

Non satis est Spiritui sancto dicere: „Adam cognovit Hevam“, sed addit etiam: „Uxorem suam“; non enim probat vagas libidines et promiscuos concubitus; vult, ut unusquisque vivat contentus sua uxore. Etsi autem illa ipsa conjugum consuetudo neutiquam sic est pura, sicut in innocentiae statu futura erat, tamen in medio illo vitio libidinis et reliquarum omnium calamitatum benedictio Dei consistit, sicut hic scribitur, non propter Adam et Hevam (hi enim, cum scriberentur haec a Mose, jamdudum in cinerem erant resoluti), sed propter nos, ut, qui se continere non possunt, vivant contenti sua Heva, et alienas mulieres non attingant.

Ista phrasis: „Cognovit uxorem suam“, tantum est Ebraeorum; non enim Latini, non Graeci sic loquuntur. Est autem pulcherrima phrasis, non solum ob pudorem et reverentiam, sed etiam ob singularem significationem. Nam verbum יָדַע latius patet, quam apud nos cognoscere; non enim tantum significat speculativam cognitionem, sed sensum et experientiam, ut sic dicam, ut, cum Hiob dicit de impiis: „Cognoscent, quid sit contra Deum facere“, vult dicere: Experientur et sentient. Sic Psalm. 51, (v. 5.): „Quoniam peccatum meum cognosco“, hoc est, sentio et experior. Item Gen. 22, (v. 12): „Nunc cognovi, quod timeas Dominum“, hoc est: Re ipsa didici et expertus sum. Sic Luc. 1, (v. 34.): „Quoniam virum non cognosco“. Novit quidem Maria multos

viros, sed virum nullum experta est, nec sensit. Ad hunc modum hoc loco cognovit Hevam uxorem, non objective, aut speculative, sed realiter expertus est suam Hevam, quod esset femina.

Quod additur: „Et Heva concepit ac peperit Cain", certum signum est melioris naturae, quam hodie est. Non enim fuere tum tot irriti congressus, sicut in hoc mundi senio, sed semel cognita Heva ab Adamo suo statim impraegnata est.

Hic quaestio oritur, cur dicat Moses: „Peperit Cain", et non potius, sicut infra: Peperit filium Seth? tamen Cain et Habel etiam fuerunt filii; cur igitur non vocantur filii? Sed fit hoc propter posteritatem; nam Habel a fratre occisus periit corporaliter, Cain autem per peccatum periit spiritualiter, nec est propagatum ab eo seminarium illud ecclesiae et regni Christi. Nam tota ejus posteritas in diluvio periit. Itaque nec benedictus Habel, nec maledictus Cain nomen filii habent, sed Seth fuit, ex cujus posteritate Christus, semen illud promissum, nasciturus erat: itaque Seth primus meretur nomen filii.

Ac dixit Heva: Acquisivi virum Domini.

Hinc potest alia causa colligi, cur Heva non vocarit Cain filium, quod scilicet prae nimio gaudio et reverentia noluerit appellare filium, sed cogitaverit de ipso majus aliquid, quasi Cain esset vir ille futurus, qui caput serpentis contriturus esset. Ideo non simpliciter virum, sed Domini virum appellat, de quo Dominus Deus promiserat: Semen tuum conteret caput serpentis. Etsi autem haec spes falsa fuit, tamen apparet, Hevam fuisse sanctam mulierem, et credidisse promissioni de futura salute per semen

benedictum. Ac quia credit, ideo sic laetatur de filio, et tam magnifice de eo loquitur: Acquisivi virum Dei, qui rectius et felicius se geret, quam Adam meus et ego nos gessimus in Paradiso. Ideo non meum filium voco; est vir Dei, a Deo promissus et exhibitus. Propter hanc quoque causam fieri potuit, ut non appellaret Cain filium.

Quod itaque Heva sic haeret in promissione divina et in fide liberationis per semen suum futurae, recte facit. Nam hac fide in futurum semen justificati et sanctificati sunt omnes sancti. Sed in individuo errat; credit Cain fore, qui finem calamitatibus imponat, in quas per peccatum Satan hominem conjecerat, sed credit hoc sua quadam opinione, sine certo signo et sine verbo certo. Promissio quidem certa et vera erat, sed de individuo nihil erat significatum, quod vel Cain, vel Habel esset futurus ille victor serpentis.

Itaque cum de individuo statuit Heva, fallitur, et frustra tam superbum et laetum nomen imponit filio. Textus enim ostendit dictum Cain a verbo קָנָה, quod significat possidere seu acquirere, ut hoc nomine se consoletur contra accepta mala, et opponat acquisitionem vitae et salutis per semen amissioni vitae et salutis per peccatum et Satanam, quasi dicat: Memini, quid amiserimus per peccatum; sed nunc nihil nisi recuperationem et acquisitionem speremus et loquamur. Acquisivi enim virum Dei, qui amissam istam gloriam iterum acquiret nobis. Nimia certitudo promissionis facit, ut Heva properet, et hunc primum filium putet esse, de quo Dominus promiserit.

Sed misera mulier fallitur: nondum satis videt

suam calamitatem, quod ex carne nihil quam caro potest nasci, quod per carnem et sanguinem peccatum et mors non possunt vinci. Deinde nescit articulum temporis, quo semen illud benedictum, ex Spiritu sancto conceptum, per virginem in mundum nascendum sit, sicut etiam articulum hunc temporis Patriarchae nescierunt, quanquam promissio subinde clarior per revelationem Spiritus sancti facta sit. Sic hodie scimus nos, futurum extremum judicium, sed diem et horam nescimus, sicut Christus etiam Apostolis dicit, Act. 1, (v. 7.).

Et adjiciens peperit fratrem ejus Habel.

Non potest certo sciri, fuerintne Cain et Habel gemelli, an non, quanquam satis verisimile est, gemellos fuisse: sed utut sit, primi parentes, his duobus filiis natis, varia cogitarunt, et redemtionem suam putarunt esse in foribus. Ac Cain sine dubio primo loco et in deliciis est habitus, Habel autem non ita gratus nec in tanta spe fuit, sicut ipsa nomina ostendunt. Cain vocatur, tanquam qui esset reparaturus omnia; contra Habel significat vanitatem, et quod nibili seu abjectum est. Verterunt quidam in nostris Bibliis luctum, sed id אֵבֶל est, non הֶבֶל. Porro הֶבֶל usitatissimum in sacris literis est; quoties enim repetitur in Ecclesiaste: „Vanitas vanitatum et omnia vanitas“? Et Psalmo 78, (v. 33.): „Defecerunt in vanitate dies eorum“, hoc est, non consequebantur promissionem terrae Canaan.

Ita Habel vocatur, de quo nulla, aut vana spes sit; Cain autem, de quo sperantur omnia. Ita ipsae appellationes satis ostendunt cogitationes et affectus parentum, quod, cum promissio esset de semine,

Adam et Heva cogitarunt eam implendam per Cain; Habelem autem, re omni per fratrem feliciter confecta, nihil facturum; ideo vocant eum Hebel.

Atque haec spes sine dubio etiam causa fuit, quod non pari cura nec studio educati sunt hi fratres; Habeli cura pecoris commissa est, Cain ad paternas operas et terrae cultum, tanquam ad meliores artes, est adhibitus. Habel est pastor, Cain est rex et sacerdos, tanquam primogenitus natus in illas praeclaras spes reparationis omnium.

Sed hic considera mirabile Dei consilium. A principio mundi fuit primogenitura maxima res, non solum in populo, ubi jus primogeniturae ab ipso Deo institutum et commendatum est, sed etiam inter gentes. Et tamen, praesertim in populo sancto, ostendit res et experientia, primogenitos fefellisse spem parentum, et postgenitos in eorum locum, conditiones et dignitatem successisse. Sic an non misere fefellit spem primorum parentum homicida Cain? Abraham quoque non fuit primogenitus, sed Haran; Esau est primogenitus, sed cedit benedictio fratri ejus Iacob. David erat minimus natu inter fratres, et tamen ungitur in regem. Sic de reliquis; etsi enim divino jure primogeniti habuerunt praerogativam regni et sacerdotii, tamen eam amiserunt, et praepositi eis sunt postgeniti.

Unde ista exstitit perversitas? Nimirum tum ex parentum vitio, tum etiam ex propria superbia primogenitorum. Parentes primogenitos habuerunt lautius. Deinde ipsi primogeniti sic parentum indulgentia depravati, contemserunt et oppresserunt fiducia hujus juris fratres reliquos. Deus autem est Deus humilium, qui humilibus dat gratiam, et resistit su-

perbis. Primogeniti autem, quia superbi sunt, de suo jure deturbantur, non quod jus primogeniturae non habeant, sed quia incipiunt in donis superbire, et insolescunt: id autem Deus non potest ferre.

Sic cum optimis et pulcherrimis donis prae aliis instructi Angeli in coelo inciperent superbire, contemnentes humilitatem Filii Dei, praecipitati sunt in infernum, et facti foedissimi Diaboli. Non enim potest Deus superbiam ferre, et vult ubique observari et salvam esse suam majestatem, sicut in Propheta dicit (Es. 48, 11.): „Gloriam meam alteri non dabo“.

Sic populus Israel erat quasi peculium Dei, civitas sancta Ierusalem erat habitatio Dei. Sed cum exuissent timorem Dei, et fiducia donorum superbirent, populus excisus, et civitas per gentes vastata est. Atque haec communis pestis est naturae nostrae, quod non contenti sumus donis Dei, sed iis abutimur, ut largitori et creatori insultemus. Donat igitur Deus imperia et regna, pacem et alia, ut agnoscant eum reges et principes, ut eum colant, ei agant gratias. Sed sic his donis abutuntur reges et principes, quasi data eis ideo sint, ut creatorem et tam largum datorem pedibus conculcent.

Idem accidit in oeconomia. Donat bonam valetudinem, uxorem, liberos, rem familiarem, non ut per haec dona offendamus eum, sed ut agnoscamus ejus misericordiam, eique agamus gratias: ideo concessit usum et quasi dominium omnium fere creaturarum. Sed quotusquisque est, qui hoc facit? An non fere omnes in foedissimo abusu donorum Dei vivimus? Cogitur igitur uti remedio illo, quo Vespasianus utebatur. Hic aequo animo patiebatur cives et aulicos suos ditari; dicebat enim, esse divites ut spon-

giam, quae impleta aqua, cum fortiter premitur, eam reddit copiose. Ita Deus, quos impinguavit bonis suis, hos, cum ingrati sunt, aut abutuntur benignitate Dei, extenuat iterum, et, sicut beata Virgo dicit (Luc. 1, 53.): „Divites dimisit inanes“.

Haec igitur causa est, ut primogenito Cain non parcat. Non enim dedit primogenituram Cain, ut per eam superbiret, et Deum contemneret, sed sic ornaverat eum, ut revereretur et timeret Deum; id cum non facit, abjicit eum.

Et est in hac parte etiam parentum peccatum; hi fovent hanc superbiam, sicut satis ostendunt nomina. Nam Adam et Heva in primogenito *solo* spem habent, hunc vocant thesaurum suum, Habel autem sentiunt nihil esse, et nihil posse. Cain tanquam regem ornant; habent enim eum pro benedicto semine: itaque et de eo magnifica sibi pollicentur, et ipse etiam superbit. Habel tanquam nihili hominem negligunt.

Sed Deus invertit omnia; Cain abjicit, et Habel facit Angelum et primum inter omnes sanctos. Hic enim cum a fratre occiditur, primus est, qui liberatur a peccato et hujus mundi calamitatibus, et per omnem ecclesiam sequentem lucet tanquam insignis stella per illud illustre testimonium justitiae, quod ei Deus et tota scriptura tribuit. Ad hunc modum Habel, quem Adam, Heva et Cain tanquam nihili hominem contemnunt, hic coram Deo constituitur tanquam Dominus coeli et terrae; nam post mortem in meliore conditione est, quam si mille mundos cum omnibus bonis possideret.

Hic finis est superbiae et praesumtionis contra Deum. Confisus est Cain sua primogenitura, et con-

temsit prae se fratrem, nec credidit promissioni de Christo. Contra Habel in fide apprehendit promissionem factam Adae de semine, atque haec fides etiam causa est, cur meliorem hostiam obtulerit, quam Cain, sicut epistola ad Ebraeos loquitur.

Fuitque Habel pastor ovium, Cain autem agricola.

Sicut nomina, ita etiam conditio vitae, ad quam a parentibus uterque adhibitus est, ostendit illam praeclaram spem parentum de Cain. Etsi enim utrunque genus vitae honestum est, tamen Habel oeconomicum tantum, Cain autem magis politicum est. Ac, quia Adam agricola fuit, Cain, quem magis diligit, ad patrias artes assuefacit: Habel interim ignava gregis cura committitur, ut appareat, hunc tanquam servum, illum autem dominum a parentibus haberi.

Et factum est a fine dierum, et adduxit Cain de fructu terrae oblationem Domino.

„A fine dierum", hoc est, postquam aliquot anni completi sunt. Hic primum admonemur, pios parentes, Adam et Hevam, liberis saepe ac multum concionatos esse de voluntate Dei et cultu Dei, si quidem ambo Deo offerunt. Sed inquies, quid, aut de qua re concionati sunt? Pulcherrima certe argumenta sacrarum concionum habuerunt. Meminerunt primae conditionis et Paradisi, ac sine dubio liberis locum ab Angelis custoditum ostenderunt saepe, ac monuerunt, ut a peccato caverent, per quod tot bonis spoliati et exuti essent, contra ut in timore Dei viverent, ut ejus benignitate se consolarentur; tunc futurum, ut post hanc vitam meliorem inveniant. Ac

quis commoda omnia prioris vitae enumeraret? Ad haec accessit altera pars doctrinae de promissione seminis et futura liberatione ex his calamitatibus. Haec fortasse certo in loco et praecipue Sabbatis diebus liberis suis parentes pii depraedicarunt. Itaque ad hostias et cultum Dei praestandum his concionibus excitati sunt.

Atque hic primus scripturae locus est, ubi mentio fit מִנְחָה seu oblationis. Ex quo apparet, morem offerendi et sacrificandi hostias non novum, sed ab initio mundi fuisse. Nihil itaque mirum est, quod sacrificiorum ratio ab Adamo usque ad Mosen propagata, et tanquam per manus tradita, postea per Mosen in suas species et certum quasi ordinem digesta sit, abjectis et repudiatis sine dubio multis, quae vana hominum superstitio adjecit. Sicut exempla sacrificiorum gentilium etiam apud Homerum et Virgilium conspiciuntur, quae sine dubio gentes a Patribus accepta imitatae sunt, et per superstitionem auxerunt etiam.

Sed hoc mihi imprimis consideret hoc in loco lector: Adam et Heva non solum parentes sunt, nec alunt tantum liberos suos, et instituunt ad praesentem vitam, sed funguntur etiam sacerdotum officio. Quia enim Spiritu sancto pleni sunt, et illuminati cognitione venturi Christi, hanc ipsam spem futurae liberationis liberis suis proponunt, et hortantur eos ad gratitudinem tam misericordi Deo praestandam. Nullum enim alium finem traditorum sacrificiorum fuisse statuendum est.

Tam pia et bona doctrina, quaeso, considera, quales sortiatur discipulos. Nam hic duplices auditores sunt. Cain primogenitus, qui videtur sanctus

esse, qui creditur dominus esse, impius est, et promissioni divinae non credit. Contra Hebel, cujus nulla est auctoritas, qui abjicitur ad pecorum curam, pius est, et credit, et tamen impius Cain impietatem suam sic tegit, ut et audiat docentes parentes, quasi serio curet verbum, et offerat, sicut alter pius frater. Hoc exemplum geminae ecclesiae est, verae et hypocriticae, sicut alio loco latius ostendemus. Etsi autem hoc in loco tantum sacrificii mentio fit, non etiam praedicationis, tamen statuendum est, non obtulisse eos sine praedicatione verbi. Non enim colitur Deus muto opere; oportet, ut adsit verbum sonans in cordibus hominum et in auribus Dei, sicut etiam invocatio nominis Dei huic sacrificio fuit addita.

Quaeritur autem hic, an habuerint verbum seu mandatum sacrificandi? Respondeo, quod sic. Hoc enim omnes sacrae historiae comprobant, quod misericors Deus per superabundantem suam gratiam semper juxta verbum constituit aliquod externum et visibile signum suae gratiae, ut homines externo signo et opere, ceu Sacramento, admoniti, certius crederent, Deum favere et misericordem esse. Sic post diluvium iris in id apparuit, ut esset certum argumentum, Deum posthac simili poena non grassaturum in mundo. Abrahae data est circumcisio, sicut audiemus, ut statueret, Deum fore sibi Deum, et daturum semen, in quo benedicerentur omnes gentes. Nobis in novo testamento Baptismus et Eucharistia, tanquam visibilia gratiae signa, data sunt, ut statueremus, peccata nostra per Christi passionem sublata esse, nosque morte ejus redemtos esse. Sic ecclesia nunquam ita destituta fuit externis signis, ut non posset sciri, ubi Deus certo inveniretur.

Etsi autem mundus fere Cain imitatur, et illis signis gratiae abutitur ad hypocrisin, tamen profecto ineffabilis misericordia est, quod Deus tam multifariam se nobis ostendit. Sicut etiam magnifice hoc ipsum donum commendatur Proverb. 8, (30. 31.): „Delectabar per singulos dies, ludens coram eo, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae, esse cum filiis hominum". Sed Ebraeum verbum שׂחק non recte redditur per vocabulum lusus; hoc enim sapientia praedicat, quod habuerit respectum suum ad homines, quod se hominibus revelaverit, quasi dicat: Ego me semper ita in hominum oculos atque aures ingessi, ut me praesentem intelligerent in sacrificiis, in circumcisione, in incensionibus, in nube, in mari rubro, in manna, in aëneo serpente, in tabernaculo Mosi, in templo Salomonis, in nebula, ac fuerunt deliciae meae, ut sic me ostenderem et revelarem filiis hominum.

Ac Adae magnae consolationi fuit, quod, amissa Paradiso, arbore vitae et aliis commoditatibus, quae erant signa gratiae, aliud signum gratiae, nempe sacrificia, ei datum esset, per quod intelligeret, se a Deo non abjectum, sed Deo adhuc curae esse et a Deo respici. Hoc enim significabat Deus, cum sacrificia et oblationes flamma coelesti accenderet et absumeret, sicut de sacrificio Mose et Heliae legimus. Haec enim erant verae ostensiones divinae misericordiae, quibus opus habebant miseri homines, ne essent sine aliqua luce gratiae Dei.

Sic hodie ipsum verbum, Baptismus, Eucharistia sunt luciferi nostri, ad quos respicimus, tanquam ad certos indices solis gratiae. Certo enim possumus definire, quod, ubi est Eucharistia, Baptismus,

verbum, ibi sit Christus, remissio peccatorum et vita aeterna. Contra ubi haec signa gratiae non sunt, vel ubi contemnuntur ab hominibus, ibi non solum non est gratia, sed etiam foedi errores sequuntur, ut homines alios cultus et alia signa ipsi sibi constituant, sicut Graeci Apollinem, et alii alios daemones coluerunt, Aegyptii Anubin, Serapin, Crocodilos, Allium, Cepe, Romani Iovem, Quirinum et foeda illa simulacra Priapum, Venerem etc.

Idem in Papatu accidit. Postquam enim illa vera gratiae signa coeperunt vilescere et contemni, superstitio non potuit quiescere, sed quaesivit alia signa, vota, ordines, peregrinationes ad sanctorum loca, intercessiones sanctorum et alia. Haec omnia et errorum plena et cum impietate conjuncta sunt, et tamen miseri homines ea amplectuntur tanquam certa divinae gratiae signa. Hic nullum Episcopum, scholam nullam audias, quae reclamet hisce blasphemiis, quae saniora doceat. Amissa enim luce verbi et his gratiae signis, a Deo exhibitis, necessario currunt homines post desideria cordium suorum, sicut Iudaei, contemto tabernaculo et templo, sacrificabant sub arboribus, in lucis, donec tandem liberos suos crudeles parentes mactarent.

Haec tam varia et vaga idolatria ostendit, quantum sit donum, habere verbum et signa illa gratiae a Deo ostensa et mandata. Quodsi gentes Iudaeorum vestigiis insistere voluissent, neutiquam ad portenta illa essent prolapsi: sic Iudaei, si verbo attendissent, ista blasphema sacra nunquam tentassent. Nos si Baptismum et sacram Eucharistiam eo loco habuissemus, quo debebamus, non essemus facti Monachi, nihil de purgatorio, nihil de sacrificio missae, nihil de

aliis impietatibus in ecclesia esset traditum. Sed postquam lux verbi per impios Pontifices exstincta est, facile fuit obtrudere hominibus omnes istas abominationes.

Ineffabile igitur hoc donum est, quod Deus non solum dignatur loqui per verbum hominibus, sed etiam addit verbo visibilia signa gratiae, sicut in novo testamento sunt Baptismus, Eucharistia, Absolutio. Haec qui contemnunt aut indigne tractant, nonne digni sunt, qui Papae stercora pro balsamo emant, adorent, praedicent? Cur enim contemnunt benignitatem divinae majestatis? Possent habere certissimum signum gratiae domi suae sine sumtibus, sine labore ullo; eo contemto, eunt Romam, Compostellam etc., consumunt pecuniam, affligunt corpus, et tandem amittunt animam merito. Deus sit benedictus in secula, qui hodie nos per verbum suum revocavit a vagis istis erroribus et idolatriis, et sic nos signis gratiae suae ditavit, ut ea ante fores nostras, imo domi nostrae et in lectulo habere possimus.

Ad hunc modum Deus statim a primordio mundi, confirmaturus promissionem de salute nostra, hoc egit, ut haberent homines signa, quibus se consolarentur in peccatis suis, et erigerent fiducia gratiae divinae. Non enim operis ipsius dignitas, sed misericordia et promissionis divinae virtus in sacrificio valet, quod Deus hunc cultum ordinat, et promittit sibi eum gratum fore. Quod igitur nobis Baptismus et coena Domini est, hoc Adae fuit post promissionem sacrificium et oblatio. Revelavit enim Deus in sacrificiis gratiam suam, et probavit ea, incendendo et absumendo ea per ignem.

Ad hos cultus etiam filios instituit pater, ut hoc modo gratias agant Deo, Deum benedicant, de Dei misericordia certam spem concipiant. Sed impius Cain, inflatus dignitate primogeniturae, istas pulcherrimas praedicationes parentis contemnit; offert quidem, ut pater mandat, sed inflatus opinione sanctitatis sentit, Deum ipsum opus propter dignitatem personae probaturum esse. Habel vero, qui secundum nomen suum nihil est in oculis suis, etiam offert, sed in fide promissionis, sicut dicit epistola ad Ebraeos (11, 4.).

Sed et Habel quoque adduxit de primitiis ovium suarum, et de adipe illarum.

Si ipsum opus spectes, non poteris Habel praeferre Cain. Nam Iudaei stulte ineptiunt, cum somniant, Cain non lecta farra sed paleas obtulisse, atque ideo a Deo abjectum esse; sunt enim justitiarii, et haerent in operibus. Aliud epistolae ad Ebraeos judicium est, quae dicit (11, 4.), Habel fide meliorem hostiam obtulisse. Non igitur vitium in rebus, quae oblatae sunt, fuit, sed in persona offerente. Et fides personae fuit pondus illud, quod addidit pretium hostiae Habel, Cain autem oblationem vitiavit. Habel credit, Deum bonum et misericordem esse, ideo sacrificium ejus Deo gratum est. Cain contra fidit dignitati primogeniturae, fratrem autem tanquam hominem vanum et nihili prae se contemnit. Quod igitur Dei judicium est? Primogenitum facit, ut sit postgenitus, et ex postgenito facit primogenitum. Respicit enim ad oblationem Habel, et ostendit hujus sacerdotis sacrum sibi placere, Cain non placere, nec esse verum sacerdotem.

Vocabulum respexit שָׁעָה late patet, et ego id diligenter explicavi in scripto contra Latomum. Est Esaiae (17, 7.): „In die illa respiciet homo ad Factorem suum, et non respiciet ad altaria, quae sunt opus manuum ejus etc." Item 66, (12.): „Super genua blandientur vobis". Eo enim alludit, quod, cum mater puerum in sinu fovet, ostendit ei hilarem et jucundam faciem. Talem ostensionem seu repraesentationem significat hoc verbum. Itaque latius patet, quam verbum respiciendi. Nam cum mater respicit ad infantem, simul etiam arridet, et singularem amoris significationem in vultu ostendit. Non habet vernacula nostra lingua vocabulum, quo explicari haec plene possunt, nec in Latina lingua exstat, quod sciam.

Simile fere est, quod Moses dicit (Ex. 33, 15.): „Nisi praecedant nos facies tuae, nusquam ibimus", hoc est: Fac, ut semper habeamus signa tua apud nos, quibus appareas, et ostendas tuam praesentiam et favorem. Talia signa, ut supra dixi, fuerunt columna ignis, nubes etc. Etsi autem Moses hoc in loco non explicat, quale illud signum fuerit, quo Deus ostendit, sibi Habel munera grata esse, tamen verisimile est, fuisse ignem de coelo demissum, quo oblatio hausta et consumta est in oculis omnium, unde apparuit, Deum delectari officio Habelis. Ostendit autem, Deus hic, quod judicet corda et renes, si quidem primogeniturae gloriam in Cain non respicit, contra respicit animum contemti Hebel.

Atque hic incipit ecclesia dividi in ecclesiam, quae nomine ecclesia est, re nihil est, nisi hypocritica et sanguinaria ecclesia, et alteram, quae sterilis, desolata, passionibus et cruci obnoxia est, et vere

coram

coram mundo et respectu illius hypocriticae ecclesiae, est Hebel, hoc est, vanitas et nihil. Nam Christus (Matth. 23, 35.) quoque Habel vocat justum, et facit eum initium ecclesiae piorum, quae erit usque ad finem, sicut Cain initium est ecclesiae malignantium et sanguinariae usque in finem mundi, sicut etiam Augustinus in libro de civitate Dei hanc historiam tractat.

Magna autem tum doctrina tum consolatio in eo nobis proponitur, cum utramque ecclesiam ab his ceu fontibus deducimus, et observamus, quam mirabili consilio Deus ista gubernaverit semper, ut vera ecclesia alio tempore major, alio minor fuerit, et tamen semper ita, ut hypocritica et sanguinaria ecclesia habuerit gloriam coram mundo, et veram ac Deo dilectam ecclesiam crucifixerit. Iam enim tum incepit practica promissionis divinae, quod semen serpentis momordit calcaneum benedicti seminis, sicut adhuc hodie experimur. Non igitur terreri nos ista fortuna decet. Consolationi potius esse debet, quod usu discimus, eadem nobiscum geri ab adversariis, quae cum Habele justo sanguinarius Cain gessit.

Non enim nunc primum accidit, ut nobis ecclesiae nomen eripiatur, ut vocemur haeretici, ut, qui occidunt nos, se veram et solam ecclesiam esse glorientur, idque nomen ferro et omni crudelitatis genere sibi vindicent. Idem Habel justo accidit, idem Domino nostro Christo, qui non sacerdos, non rex erat Hierosolymis, sed a sacerdotibus et regibus arripiebatur ad crucem. Oportet autem, sicut Paulus (Rom. 8, 29.) dicit, nos conformes fieri Christo. Itaque vera ecclesia latet, excommunicatur, pro haereticis habetur, occiditur: Cain autem habet gloriosum

nomen, solus est, qui opinionem habet, et spem sustinet maximarum rerum gerendarum, atque ideo etiam in fratrem fertur hostili animo, et occidit eum.

Haec non politica, nec oeconomica sunt, sed maxime ecclesiastica. Occiditur enim Habel non propter politicum aut oeconomicum negotium, sed propter cultum Dei. Non enim satis est Cain, quod sit dominus aedium; etiam vult esse filius Dei, vult esse Papa et pater ecclesiae; ideo sumit sibi judicium de sacrificiis, et fratrem tanquam haereticum condemnat et occidit.

Sicut quoque Christus vaticinatur, ecclesiam suam variis periculis fore obnoxiam, quique pios occisuri sint, sint existimaturi se Deo cultum praestare (Ioh. 16, 2.). Ergo, qui sanctissimi esse volunt, hi ecclesiae pestes et persecutores sunt. Contra, vera ecclesia non judicatur esse ecclesia, sed secundum nomen Habel (qui non figura tantum, sed initium verae ecclesiae est) pro nihilo habetur, adeo ut, cum occiditur, putent occisores, Deum nihil eam curaturum esse. Cain enim est dominus et rex faciens et potens omnia.

Hoc autem est scandalum illud, contra quod nobis pugnandum est, ne ideo putemus, nos non esse ecclesiam, quia adversarii nos sic secure damnant, et omni crudelitate persequuntur, sed ut crucem et judicia ista statuamus esse vera et infallibilia signa verae ecclesiae, sicut etiam Psalmus 10. ostendit. Et Psalmus 72, (v. 14.): „Pretiosus habebitur sanguis eorum coram ipso“, et Psalm. 116, (v. 15.): „Pretiosa est coram Domino mors sanctorum ejus“. Hic audis eos, qui occiduntur ad hunc modum, non ideo Deo non curae esse, sed esse hanc mortem pretio-

sam coram Deo; igitur vere sunt populus Dei, quos curat Deus.

Feramus igitur adversariorum crudelitatem, et laeti Deo agamus gratias, quod non simus in eorum numero, qui occidunt, qui propter ecclesiae titulum involant in fortunas aliorum, et crudeliter grassantur etiam in corpora. Hoc enim omnes omnium temporum historiae testantur, veram ecclesiam semper fuisse patientem, falsam autem fuisse agentem, veram semper damnatam ab illa altera hypocritica. Nullum igitur apud nos hodie est dubium, quin Papae ecclesia sit Cainica: nos autem sumus vera ecclesia; sicut enim Habel Cain non nocuit, ita nos non solum non nocemus eis, sed patimur vexari, damnari, occidi nos ab ecclesia Papae.

Neque haec falso commemoramus: toti mundo notum est, quoties anathematis subjecti, proscriptionibus vexati, ac variis judicis damnati sumus. Nec defuerunt, qui se acres crudelium sententiarum executores praeberent, in omnibus paene Europae angulis: non Hispaniae, non Galliae, non Anglia, non Belgicum, non Bohemia, non Polonia, non Hungaria, non Austria, non Bavaria hujus crudelitatis et injustae saevitiae expers fuit, et tamen quid aliud, quam doctrinam piam et cum Apostolorum et Prophetarum scriptis consentientem persecuti sunt? Num igitur obscurum potest judicium de ecclesia esse? Num ibi potius judicabis ecclesiam esse, ubi nihil sani docetur, ubi injusta tyrannis exercetur, et cum opibus summa potentia conjuncta est, an vero, ubi est doctrina conscientiis utilis, ubi propter doctrinam hanc est crux, contemtus, paupertas, ignominia et

caetera, quae semper piorum pusillus grex sustinuisse legitur?

Non igitur utile solum, sed etiam jucundissimum est, habere illam certissimam demonstrationem, dijudicantem inter duas ecclesias, alteram malignantium, nempe purpuratam meretricem, sub nomine verae ecclesiae, alteram, quae pro nihilo habetur, quae patitur, esurit, sitit, oppressa jacet; sicut Christus commemorat, Matth. 25, (v. 35.) se in mundo esurire et sitire. Sequetur autem judicium inter saturos et esurientes, inter hircos et oves, et inter Habel et Cain, in quo declarabit Deus, se approbare istam ecclesiam patientem et esurientem, ac damnare hypocriticam et sanguinariam. Hae sunt nostrae consolationes, et quasi saccharum illud, quo praesentes calamitates condiendae sunt et vincendae. Haec theologica sunt. Nunc redeamus ad politica, et consideremus judicium Dei.

Merito profecto miramur, cur Deus primum filium Adae, cui primogenitura in toto genere humano, quoad nativitatem, debebatur, sic sit passus ruere horribiliter, ut postea tota ejus posteritas per diluvium aboleretur. Sed eadem est causa, propter quam supra diximus, sic amarulentis verbis Adae a Domino est illusum, cum diceret: „Ne fiat, sicut unus ex nobis", et hortum custodiret per Cherubim; vult enim praesumtionem et superbiam per peccatum homini quasi implantatam conterere. Atqui sic sumus, ut nihil minus possimus ferre, quam hanc superbiae contritionem. Videmus, quanta insolentia et fastus sit in Centauris aulicis propter illam vanam gentis nobilitatem; vere enim vana est nobilitas, quam non virtus et egregia in rempublicam merita pariunt.

Ac de Platone philosopho commemorant, eum solitum de tribus Deo agere gratias, quod esset natus homo, non bestia, quod esset Graecus, Athenis natus, non barbarus, et quod esset masculus natus, non femina. Similis Iudaeorum est fatuitas, qui gloriantur, quod homines et non bestiae, Iudaei et non gentiles, mares et non feminae nati sint. Sed te quaeso, illae originis seu nativitatis gloriae quid sunt? Quid est, quod torquatus aliquis asinus in aula non solum plebejo se meliorem esse putat, sed etiam contra Deum insolescit? Graeci prae se omnes terrarum populos tanquam barbaros contemserunt: Romani tandem rerum gestarum gloria se quoque a convitio barbariei vindicarunt. In summa, quanto quaeque gens se putavit meliorem, tanto semper superbivit magis; haec omnium natura est per peccatum.

Sed respice huc ad Dei judicium. Cain merito et vere potuit gloriari de summa nobilitate; primus enim fuit, qui nasceretur ab hominibus. Sed quanto origo gloriosior est, tanto cadit horribilius. Itaque proverbio quoque experientia locum dedit, quo dicitur, Heroum filios noxas esse.

Nec privatorum tantum haec incommoda sunt: eadem patiuntur magna imperia. Natio Graecorum gloriosissima fuit; nam et rerum gestarum gloria et studiis antecelluerunt; sed in quas turpitudines prolapsa, quam miserabiliter denique vastata est! Idem in reliquis populis videbis.

Bene igitur fecit Deus, qui Cain sic permisit ruere, ut esset exemplum toti mundo, ne quis gloriaretur de nobilitate sanguinis, sicut Iudaei de patre Abraham, aut Graeci de sapientia. Vult enim

Deus se timeri, nos autem vult humiliari. Sed frustra fere vult; non enim movent nos tantae irae, perditiones, excisiones primorum hominum et primarum nationum.

Itaque experientia testatur, veram esse sententiam Mariae virginis (Luc. 1, 52.): „Deposuit potentes de sede", nam quae prima et optima sunt, fiunt damnatissima, non propter rem simpliciter, sed propter diabolicam praesumtionem et superbiam. Ac viderunt eventum gentes quoque, sicut testatur philosophi dictum, qui cum interrogatus esset, quidnam faceret Deus, respondit: Humilia exaltat, et alta humiliat: sed causam non viderunt.

Magnam judicat caro gloriam esse masculum et non feminam. Sed videmus Deum studio cavisse, ne vir nasceretur ex viro, et ipse Christus voluit dici semen mulieris, non semen viri. Quanta autem superbia fuisset virorum, si Deus Christum voluisset ex viro nasci? Sed gloria haec in totum a viris in mulieres translata est, quae tamen dominio virorum subditae sunt, ne scilicet gloriarentur viri, sed humiliarentur. Quin postquam mulier sine viro parere non potest, etiam hoc ordinavit Deus, ne tantum mares parerent, sed etiam femellas. Non enim potest humana natura bene uti gloria, sed semper abutitur ea ad superbiam, et insurgit contra eum, a quo accepit dona. Propter hanc causam Cain sic graviter cadit, et primogeniturae jus amittit, ut scilicet nos timeamus Deum, eique agentes gratias caveamus, ne abutamur donis ejus ad superbiam.

Et respexit Dominus ad Habel et ad oblationem ejus; ad Cain autem et oblationem ejus non respexit.

Hic est insignis locus, atque ideo diligentissime notandus et dialectice urgendus, quod satis esset, si in novo testamento tam claro testimonio fiducia misericordiae Dei commendata esset contra fiduciam operum, sicut in principio mundi clarissimis verbis commendatur. Quod enim dicit: „Respexit Dominus ad Habel et ad oblationem ejus", an non clare ostendit, Deum ante opus solere respicere ad personam, qualis sit persona? Si igitur persona bona est, placet ei opus quoque; si non, displicet.

Est autem haec doctrinae nostrae summa, quod docemus et profitemur, personam prius Deo acceptam esse, quam opus, et personam non fieri justam ex opere justo, sed opus fieri justum et bonum ex persona justa et bona; sicut textus hic probat. Quia enim Deus ad Habel respicit, respicit etiam ad oblationem ejus, et quia ad Cain non respicit, ideo etiam ad oblationem ejus non respicit. Hanc sententiam textus clare probat, nec ab adversariis potest negari. Sequitur autem ex his verbis clarissima et optima consequentia, quod Habel fuit justus ante opus suum, et quod opus propter personam placet, non persona propter opus, sicut adversarii nostri contendunt, dum docent, hominem justificari ex operibus et non ex sola fide.

Ad hunc modum puris et mundis oculis inspexit hunc locum auctor epistolae ad Ebraeos, cum dicit: „Fide meliorem hostiam obtulit Habel, quam Cain", per quam testimonium accepit, quod sit ju-

stus, testificante super donis ejus Deo. Offert Cain quoque, ac quidem prior, sed offert inflatus illa gloria sanguinis, ac sperat Deo placiturum munus, quod offeratur a primogenito. Venit igitur sine fide, sine confessione peccati, sine imploratione gratiae, sine fiducia misericordiae Dei, sine petitione remissionis peccatorum, nulla alia re sperans se placiturum Deo, quam quod esset primogenitus. Sicut adhuc hodie omnes justitiarii faciunt; tantum in opus suum intenti sunt, ac sperant, se Deo propter id placituros, non fidunt in misericordiam Dei, non sperant, Deum propter Christum peccata condonaturum esse. Talis etiam Cain fuit; impossibile enim est, quod displicuisset Deo, si habuisset fidem.

Contra Habel agnoscit, se esse indignum et miserum peccatorem; confugit itaque ad misericordiam, et credit, Deum esse propitium, et velle misereri. Deus itaque, qui corda inspicit, judicat inter duos fratres offerentes simul; ac Cain damnat, non propter hostiam, quasi ea minus fuisset bona (si enim putamen nucis obtulisset in fide, gratum Deo fuisset), sed quia persona mala et sine fide, ac superbia et fastu plena est. Contra ad munus Habel respicit, quia persona placet, sicut textus diserte addit, primo respexisse ad Habel et post ad munus ejus. Nam cum persona placet, etiam ea placent, quae facit; cum contra omnia ingrata sint, quae is facit, quem odisti.

Insignis igitur hic locus est, quo clare probatur, Deum non respicere neque magnitudinem, nec multitudinem, nec etiam pretium operis, sed simpliciter personae fidem, sicut e contra non contemnit neque

paucitatem, neque indignitatem, nec abjectionem operis, sed tantum personae infidelitatem.

Quid igitur est, quod Iudaei gloriantur (Ier. 7, 4.): „Templum Domini, Templum Domini"? Quid est, quod Papistae jactant missas suas, cilicia, labores, sudores, magnitudinem, multitudinem, denique pretia operum suorum? Non enim curat Deus opera, ne a se quidem praecepta, cum non fiunt in fide, sicut etiam praedictus Ieremiae locus ostendit. Multo autem curat minus opera ab hominibus inventa sine verbo Dei; solam fidem curat, hoc est, fiduciam misericordiae per Christum: hac personae incipiunt placere Deo, et postea etiam placent earum opera. Sic Cain oblatio non placuit, quia infidelis Cain non placuit: Contra oblatio Habel placuit, quia Habel placuit, idque propter fidem, quod non confisus est dignitate sua, non sacrificiis, non opere, sed simplici promissione de semine mulieris facta.

Pertinet igitur hic textus ad nostram sententiam de justificatione, quod necesse sit hominem esse justum ante omnia opera, et sine omnibus operibus acceptari a Deo, tantum per gratiam, quam fides credit et apprehendit. Neque enim fides tanquam opus justificat, sed ideo justificat, quia apprehendit misericordiam in Christo exhibitam. In hac fiducia misericordiae Dei incedit vera ecclesia cum humili confessione peccatorum et indignitatis, quae sperat Deum condonaturum per Christum.

Opera autem, quae sequuntur, sunt ceu testimonia hujus fidei, et placent Deo, non propter se simpliciter, sed propter fidem, seu propter personam credentem. Hanc fidem altera ecclesia Cainica non solum non habet, sed etiam persequitur. Statuit au-

tem sicut Cain, se Deo placituram propter opera. Sed odit superbiam hanc Deus; non enim potest ferre contemtum suae gratiae etc. Omnino dignus est hic locus, qui diligenter consideretur.

Quapropter iratus est Cain valde, et conciderunt vultus ejus.

In sequentibus aliquantulum negotii faciet nobis grammatica, sed spero, nos feliciter ex his difficultatibus eluctaturos esse. Audivimus, Cain frustratum esse spe sua; contemsit prae se fratrem, ac judicavit, se propter jus primogeniturae primas apud Deum quoque habiturum, sicut apud parentes habebat. Sed Dei aliud quam hominum judicium est; ostendit, se Habel probare, Cain autem reprobare.

Fit igitur, ut Cain vehementer commoveatur contra fratrem; non enim potest aequo animo ferre, quod excommunicatur, et simul regno et sacerdotio privatur, sicut adhuc videmus, reges et principes impatientissimos esse censurae ecclesiasticae. Non enim eis satis est, quod sint reges et principes, etiam volunt esse justi et sancti coram Deo, et rapiunt ad se titulum ecclesiae. Ad hunc modum Cain quoque indignatur, cum videt, sibi adimi gloriam justitiae et gratiae coram Deo. Hoc quid aliud est, quam de ecclesia ejici et excommunicari? Tanto autem hoc iniquius fert, quanto ipse judicavit se fratre digniorem esse. Nunc enim cogitat: Ecce frater meus adspirabit ad dominium, postquam me contemni et a Deo negligi videt. Ideo addit Moses adverbium valde; significat enim, Cain vehementer esse offensum, quod ita turpiter in publico confunditur, cum ipse vellet videri primus esse.

Hanc iram Cainicam etiam in Cainica ecclesia Papae videmus. Quid enim Papam, Cardinales, reges et principes magis offendit, quam quod ego mendicus auctoritati ipsorum praefero auctoritatem Dei, et in nomine Domini reprehendo, quae digna sunt reprehensione. Agnoscunt ipsi quoque, multa habere opus acri reformatione; sed ut obscurus homo et ex obscuro angulo in publicum prodiens id faciat, hoc plane intolerabile eis est. Ideo auctoritatem suam opponunt, et per eam opprimere nos conantur.

Ac sane non est crudelior in orbe terrarum ira, quam hujus ecclesiae sanguinariae et hypocritarum. Nam in politica ira est aliquid humani reliquum; nullus tam immanis latro ad supplicium arripitur, quin aliqua commiseratione tangantur homines. Sed cum falsa illa et sanguinaria ecclesia in filium verae ecclesiae inciderit, non satis ei est effudisse sanguinem, etiam maledicit, exsecratur, devovet, et in miserum cadaver saevit, sicut Iudaei non contenti erant, quod Christum affixissent cruci, unde non nisi mortuum deposituri erant; sitientem aceto et felle potant, et jam exhalantem animam blasphemant. Talis furia in politica ira non est.

Itaque ira falsae ecclesiae et furor Pharisaicus est furor plane diabolicus. Hic coepit in Cain, et durat in omnibus Cainitis, et gloriari vere possumus, nos quoque talem iram cum pio Habel sustinere. Quis enim dubitat, si Episcopi et furiosi quidam principes uno momento omnes nos occidere possent, et sicut ille Romanus optabat, si omnium nostrum una cervix esset, quin summa cum voluptate ferro in nos essent grassaturi? Vide enim horum annorum consilia, et me verum dicere judicabis.

Quod autem Moses addit: „Et conciderunt vultus ejus“, est Ebraica phrasis, qua non solum factum ostenditur, sed significatur quoque animus sic commotus, ut non potuerit acquiescere, sed, dum nocere non potuit, tamen iram vultu ostendit. Non exporrexit frontem, non amice cum parentibus, ut ante, locutus est; si quid respondendum fuit, murmur verius, quam vox fuit. Ad primum conspectum fratris oppalluit, minacibus oculis animum vindictae cupiditate ardentem significavit.

Haec omnia Moses dicit, cum dicit, concidisse vultus. Non enim de uno vultu vel una parte vultus dicit, sed de omnibus vultibus, hoc est, de omnibus gestibus et motibus, sicut etiam Paulus Ebraicam phrasin imitatus dicit (1. Cor. 13, 5.) ἡ ἀγάπη οὐκ ἀσχημονεῖ, non est vultuosa, stellet sich nicht ungeberdig, non contrahit frontem, non torve inspicit, non minatur ore, sed est liberali facie, benignis oculis, blanda etc. Haec enim decent, illa dedecent, et vitiosa sunt.

Pertinet igitur haec quoque particula ad descriptionem irae hypocriticae, quod Cain non potuit neque videre, neque audire fratrem suum Habel, non potuit cum eo colloqui, cum eo comedere, bibere, etc.

Hujus Cainicae irae si quis exemplum videre vult, conjungat se cum aliquo Papista, qui singularem vel doctrinae, vel pietatis laudem in suo genere cupit obtinere, et sentiet plane diabolicum furorem, ad quem si judicis iram conferas, non iram, sed summam clementiam et summum candorem esse dices. Ibi enim nulla, nisi manus ira est; nam irascitur vitio, personae non. Sed illa Cainitarum ira distorquet oculos, corrugat frontem, tumorem inducit

ori, armat manus, in summa in omnibus membris et gestibus omnibus elucet, idque sine fine; non enim mitescit tempore, sicut civilis vel oeconomica ira.

Iam sequitur paterna et gravissima admonitio Adae, qui libenter sanasset ac servasset filium. Sed ira haec medicinam nescit, non patrem, non matrem, non Deum ipsum Cain et Cainitae illi audiunt.

Et dixit Dominus ad Cain: Quare sic incensus es tu, et quare conciderunt vultus tui?

Haec satis probant, Cain non semel in isto sacrificio perturbatum esse, sed ab ista hora sacrificii incessisse turbulentum, tristem, frendentem, et nec patrem nec matrem rectis oculis inspexisse, sicut diximus de illa Pharisaica ira, quod totam faciem soleat mutare. Magnam enim contumeliam esse duxit, quod in sacro, inspectante patre et matre, Habel, quem semper contempserat, et pro nihilo etiam ipsi parentes habuerant, praeferretur, et gloria regni et sacerdotii a Deo dignus pronuntiaretur.

Cum itaque satis ostenderet, se alieno in fratrem esse animo, admonetur ab Adam parente. Credo enim, verba haec ab ipso Adam esse dicta; ideo autem a Domino dicit Moses esse dicta, quod Adam jam erat justificatus et donatus Spiritu sancto. Quae igitur secundum verbum Dei et ex Spiritu sancto dicit, recte Deus dixisse dicitur, sicut hodie, qui docent evangelium, non ipsi simpliciter doctores sunt, sed Christus in eis loquitur et docet. Ac sine dubio cum singulari gravitate haec verba dicta sunt. Videt enim Adam, filium esse impatientem contumeliae: videt, eum dolere de amissa dignitate, ac sentit, quid

nunc tentator possit in corrupta natura, qui tantum nocuerat homini adhuc integro. Itaque sollicitus est, et instituit gravissimam concionem, quam etsi nullus Patrum digne explicarit, quod fortasse non vacabat *) ob ecclesiastica negotia, tamen nos non, ut opinor, sine fructu hunc lapidem movebimus.

Nonne, si bene egeris, erit remissio; si vero non bene egeris, ad fores peccatum cubat?

Non possum non satis mirari, quod Moses tantas res in tam pauca verba potuit redigere. Nostra translatio non ita propria est. Augustinus quoque, etsi non prorsus rudis fuit Ebraicarum literarum, tamen non habuit earum solidam cognitionem. Sic enim vertit hunc locum: Si recte offeras, et non recte dividas, peccasti, quiesce. Quae hic peccata sunt, norunt Ebraice docti, etsi sententia, quam inde colligit, theologica et bona est. Septuaginta interpretes quoque videntur non fuisse instructi pro magnitudine coepti laboris. Quare omissis aliorum tum versionibus, tum sententiis, proprietatem Ebraicam sequemur. Ea sic habet: Si bene egeris, erit remissio, seu levatio; et, si non bene egeris, cubat peccatum in foribus etc.

Porro natura sic ordinatum est, ut verba, testante etiam philosopho, debeant servire rebus, non res verbis. Et nota est Hilarii sententia, quam etiam Magister in sententiis citat, quod verba intelligi debeant secundum materiam subjectam. Igitur in omni expositione primo subjectum considerari debet, hoc

*) Fort. vacabant.

est, videndum est, de qua re agatur. Hoc postquam factum est, deinde verba, si ita fert grammatices ratio, ad rem ducenda sunt, et non res ad verba. Hoc quia Rabini, et qui eos sequuntur, non faciunt (nam res amiserunt, et tantum in verbis haerent), saepe in absurdissimas sententias incidunt. Quia enim non habent cogitationes dignas spiritualibus rebus, de quibus sacrae literae tractant, a re aberrant, et verba trahunt ad vanas et carnales cogitationes.

Certum autem est, amisisse Iudaeos Christum; quomodo igitur, quae vel evangelii, vel legis sunt, recte possunt intelligere? Nesciunt, quid sit peccatum, quid gratia, quid justitia; quomodo igitur hujusmodi locos dextre possunt explicare? Similes horum fere sunt sophistae nostri; quid enim sani de tantis rebus habent? Re igitur non cognita, impossibile est, ut verba possint recte intelligi. Etsi enim verborum cognitio ordine prior est, tamen rerum cognitio est potior. Nam mutatis rebus etiam verba mutantur in alium sensum, et fit plane nova grammatica.

Gerundensis habet optimam cognitionem verborum (sicut etiam multi sunt hodie, qui me longe vincunt cognitione Ebraicae grammatices); sed, quia res non intelligit, ideo hunc locum depravat. Sic enim exponit: Si bene egeris, acceptabilior erit oblatio tua, quam fratris, quia tu es primogenitus. Vides, intelligere eum, quid nominis, sed quid rei, non intelligit. Hoc enim ipsum hoc in loco egit Deus, ut ostendat se primogeniturae nullam velle habere rationem; quomodo igitur propter primogenituram oblatio potest esse melior? Auctor epistolae ad Ebraeos novit, quid rei; ideo diversum dicit.

Nempe, Habel fide obtulisse gratiorem hostiam (11, 4.). Hieronymi versio melior est: si bene egeris, inquit, recipies; si male, peccatum (pronomen tuum ipse addidit) in foribus aderit. Sed ne sic quidem attingit propriam sententiam. Nam quod verbum שְׂאֵת, quod levare significat, pro accipere exponit, nemo, opinor, probabit. Sed ex Iudaeis hoc ipsum habet, qui in ea opinione sunt, ut intelligant, Deum remuneraturum fuisse Cain, si liberaliter obtulisset. Ego igitur nunc dicam simpliciter, quae mea de hoc loco sententia sit.

Principio, ut dixi, necesse est, ut rem habeamus. Res autem illa est, quae non potest fallere, fundamentum scilicet causae, quod Deo nihil placet, nisi fiat ex fide, secundum illam universalem et notam Pauli sententiam: „Quidquid non est ex fide, peccatum est" (Rom. 14, 23.). Et Salomo (Prov. 15, 8.) dicit: „Victimam impiorum abominatur Deus". Alterum fundamentum est, quod peccatum tam sit grandis res, ut nullis sacrificiis aut aliis operibus possit aboleri, sed sola misericordia, quam fide accipi necesse est, sicut etiam hoc ostendit et comprobat prima promissio de semine mulieris, sine quo nulla est redemtio. Haec fundamenta Rabini non habent; nam haec cognitio tantum venit ex spiritu Christi, qui ceu sol meridianus illuminat tenebras. Cum his fundamentis igitur quidquid pugnat, repudiemus, tanquam impium et falsum.

Etsi autem non repugno, sive intelligas peccatum hic de praeterito vel de futuro, tamen mihi videtur aptius, ut exponas in genere de peccato. Omnis igitur vis est in verbo שְׂאֵת, a נָשָׂא levavit. Est autem hic illustre exemplum, quantum differat cogni-

tio

tio nominis et rei. Si enim vocabulum levandi accommodes ad rem corporalem, significat attollere, seu in altum tollere, ut Esa. 6, (v. 1.): „Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum". Hoc autem longe aliud est, quam id in Psalmo 32, (v. 1.): „Beatus vir, cui peccata levata sunt", et tamen idem utrunque verbum est. Grammaticus illud in Esaia intelligit, hoc non intelligit, quia rem non novit. Aliud enim est levare solium in sublime, et aliud peccatum levare, hoc est, remittere, tollere, adimere.

Sententia igitur est: Si bene ageres, vel si bonus esses, hoc est, si crederes, haberes propitium Deum, et vera esset levatio, hoc est, remissio peccati. Sed quia video, Deum non respexisse ad te, certe sequitur, te non bonum esse, nec esse levatum peccato, sed tuum peccatum manet.

Imprimis autem elegans est, quod per verbum levandi comparat peccatum ingenti oneri, quo Cain oppressus jacet, ita ut respirare non possit, nisi auferatur. Indicat autem epistola ad Ebraeos modum, quo hoc onere exoneremur, cum dicit, Habel fide obtulisse meliorem hostiam. Ad hunc modum convenit grammatica, seu verba cum re, quod scilicet Deus respiciat fidem, et eos tantum bonos esse judicet, qui credunt. Includunt autem haec verba gravissimam objurgationem, quasi dicat ad Cain: Superbia tua te perdidit. Venisti inflatus gloria primogeniturae, ac putasti, te ideo Deo acceptum fore. Sed video, judicante et reprobante Deo, te esse sine fide; Deus enim tantum incredulos abjicit.

Ad hunc modum nullus Rabinorum hunc locum explicat. Non vident, Adamum cum Paulo illam

evangelii vocem inculcare filio: Qui crediderit, salvabitur. Item: Sola fides justificat. Quid enim hic aliud dicit, quam quod Deus istis propitius sit, qui in semen benedictum credunt, et omnem fiduciam operum, omnem meriti opinionem abjiciunt? Hoc si tu faceres, inquit, non sic te premeret peccatum, esses hoc fasce levatus, nec ita fremeres ira. Promisit enim Deus, quod nemini peccatum imputare velit, qui credit etc.

Si ad praeteritum peccatum referas, etiam est paterna et gravissima admonitio. Non credidisti hactenus, ideo reprobatus es; quodsi ita perges, penitus abjicieris. Sin autem bene egeris, seu bonus fueris, hoc est, si credideris in semen promissum, adhuc tibi polliceor, futurum, ut leveris peccato, hoc est, sicut Psalmus 32. exponit, ut peccatum tibi non imputetur.

Quod additur: „Peccatum tuum ad fores cubat", est rhetorica peccati descriptio, quam optarim pro proverbio usurpari. Vere enim haec peccati natura est, ut cubet tanquam sopita bestia, dum in actu est, hoc est, ut non mordeat, non terreat, non cruciet, sed potius ut adblandiatur. Sic cum Heva primum, post Adam in Paradiso pomum prohibitum comederent, non putabant, id a Deo observari, multo minus futurum putabant, ut tam acerbe punirentur. Sicut enim etiam feroces bestiae, cum saturae sunt, tractabiliores sunt, et somnum appetunt, ita peccatum, dum in actu est, delectabile est, nec sentitur venenum, sed cubat et quiescit. Quis enim unquam vidit avarum ringi, cum magna lucri occasio adest? quis adulterum, cum potitur voto, lugere unquam vidit? Quodsi flagris cutem, aut malleo caput ob-

tunderes, abiret tentatio. At cum peccatum quiescit, nec sentitur poena, etiam summa voluptas est avaro in lucrum involare, adultero potiri alterius uxore; nec videtur ejus voluptatis modus, aut finis aliquis esse posse.

Loquitur itaque Adam hoc in loco non solum de peccato Cain, sed in genere peccatum describit, quale sit. Quod enim Cain accidit, idem omnibus accidit. Cain priusquam sacrificaret, erat vane gloriosus de primogeniturae praerogativa, contemnebat fratrem, sibi vendicabat primas; cubabat tum peccatum et quiescebat, sed in foribus, hoc est, in loco non quieto; nam per fores ingredimur et egredimur; minime igitur somno aptus is locus est. Sed pertinet hoc quoque ad peccati naturam, quod, etsi quiescit ad tempus, tamen ibi quiescit, ubi non potest diu quiescere. Sicut Christus dicit Matth. 10, (v. 26.): „Nihil opertum est, quod non reveletur". Impius enim putat, peccatum quiescere et latere; sed in foribus non potest quiescere, arguitur tandem et producitur in publicum. Fores enim somnus seu quies sunt opposita in adjecto. Sicut enim tenebrae in lumine, ita quies in inquieto loco est; sunt enim res natura discordes. Ad hunc modum potest hoc exponi de peccato quocunque praeterito.

Si de futuro exponas, est eadem sententia. Si laedes fratrem, ac indulgebis conceptae animo irae; dico tibi, quiescet peccatum tuum, sed quiescet in foribus, hoc est, in loco valde inquieto. Itaque fieri non potest, quin expergefiat, et, sicut furiosa bestia te arripiat. Ac ita accidit. Nam post caedem factam, cum Cain solus fratrem sepeliret, quiescebat peccatum. Sed quamdiu? donec scilicet vox ad eum facta

est: „Ubi est Habel frater tuus?“ De omni igitur peccato haec descriptio vera est, quod cubat in foribus. Sic enim sunt hominum affectus: dum oculos hominum fallunt, putant, clam fore peccatum suum. Sed revelatur et expergiscitur, nisi bene agant, hoc est, nisi credant, Deum propter Christum id condonaturum.

Sic gravissimam sententiam proverbialis haec figura complectitur, quod scilicet nihil manet absconditum, sed omnia revelentur, sicut Paulus quoque dicit 1. Tim. 5. (v. 24.): „Quorundam hominum peccata manifesta sunt, ut possit de iis judicium fieri“. Ac praesertim videmus singularia Dei judicia in criminalibus. Quam multi enim occiduntur clam, et tamen auctores indignarum caedium per mirabiles occasiones producantur in lucem! Monet itaque Adam filium, ne indulgeat peccato; non enim clam fore, sed futurum, qui id in lucem proferat et puniat. Nec videtur ab hac sententia abludere, quod poëtae fingunt Cupidinem nudum, sed caecum etiam. Quia enim nobis peccatum videtur absconditum esse, putamus, id a reliquis quoque non conspici; sed Deus tandem revelat etiam occultissima.

Hanc hujus loci judico veram et simplicem sententiam esse, qua admonet filium pater, ut credat in Deum et promissum semen; tum futurum, ut Deus ei sit propitius. Sed si, inquit, sequeris cupiditates tuas, tunc peccatum tibi cubabit, hoc est, occultum et absconditum videbitur. Sed cubabit in foribus, hoc est, in eo loco, in quo non potest diu quiescere, aut latere; quod enim in foribus est, conspicitur ab omnibus ingredientibus et exeuntibus.

Sed, quod supra quoque admonui, non oblivisca-

mur principalis sententiae, quod Deus ab initio mundi ostenderit, se esse judicem inter carnem et spiritum, nec respicere personam. Habel enim respexit, non motus ullo opere, sed simpliciter fide, in qua etiam obtulit: Cain autem non respexit, non quasi opus minus splendidum aut sumtuosum esset, sed quia fide caruit, nec profuit ei, quod esset primogenitus.

Atque hoc validum argumentum est contra Judaeos, qui gloriabantur, sicut Ioh. 1, (v. 13.) dicitur, de sanguinibus, quod essent filii Abrahae. Si enim sanguinis praerogativa aliquid est, profecto habuit Cain, de quo glorietur. Quid enim est, quod glorientur Iudaei, Deum cum ipsis per Mosen locutum esse? num putabimus, Adam, primum doctorem, inferiorem Mose fuisse? Multis modis superior et major fuit. Non enim sicut Moses circumcisionem, non alias caeremonias legales docuit, quibus indomito populo fuit opus ad prohibendam superstitionem; fidem docuit in promissum semen, quod serpentis caput contriturum erat. Sed nihil primogenitura, nihil alia Cain adjuvant; Deus enim solam fidem respicit in promissum semen. Sicut Paulus in novo testamento clare dicit: „Qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahae", Gal. 3, (v. 7.). Et Ioannis primo (v. 12. 13.): „Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, qui non sunt ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed qui credunt in nomine ejus".

Hanc hujus loci sentio genuinam et veram sententiam esse. Nam primum convenit cum fundamento scripturae sanctae et cum re. Deinde non repugnat grammatica, sed rem pulchre et varie illustrat. Sed Rabini quia nesciunt, quid rei, non sublevan-

tur, quod sciant, quid nominis. Quam enim ineptum est, quod quidam particulam hanc: et „erit levatio", eo accommodant, quasi dicat: Tum iterum poteris erigere faciem, quae nunc tota mutata est, et concidit. Hujus generis ineptias etiam nostri recentiores interpretes passim annotant, quibus tamen gratia debetur pro fideli labore, quod grammatice textum reddunt, etsi theologia opus est, quae sola res recte judicat et docet.

Et appetitus ejus ad te: Tu autem dominaberis ei.

Hanc sententiam quidam stultissime detorserunt ad liberum arbitrium probandum. Sed manifestum est, quod Adam non simpliciter affirmat, posse hoc Cain facere, sed tantum admonet seu praecipit, ut faciat. Non autem sequitur, nos statim posse facere, quod jubemur. „Appetitus peccati, inquit, ad te est", hoc est, sicut Paulus (Rom. 7, 5.) dicit: „Peccatum est in membris tuis". Item (Gal. 5, 17.): „Concupiscit caro adversus spiritum". Sed ideo, quia hunc peccati motum sentis, non damnaberis. Si peccatum te sollicitat, tu dominare ei per fidem, nec sine, ut tibi dominetur: alioqui peribis. Sicut Paulus (Rom. 8, 13.) quoque praecipit, mortificandas esse actiones carnis spiritu.

Pertinet itaque haec particula eo, ut agnoscas, qualis sit piorum vita in hac carne, nempe, quod sit perpetua lucta spiritus cum peccato. Qui igitur stertunt, et ad hanc pugnam se non comparant, facile vincuntur. Apparet autem, Adam concione hac voluisse uti, non solum, ut admoneret filium de peccato in futurum cavendo, sed etiam, ut erigeret eum.

Videt, filium perturbatum esse propter reprobationem divinam, et sollicitari nunc ad vindictam. Sed dominare peccato, inquit, et invenies Deum misericordem ac condonantem peccatum.

Est hoc in loco idem verbum מָשַׁל, quo supra ad mulierem usus est Dominus, cum dixit: „Vir dominabitur tibi". Sicut enim supra vult, ut uxor pareat marito, ut auscultet marito, nec sibi sumat judicium de rebus omnibus; sin autem id faciat, ut vir pro sua auctoritate eam objurget*) et prohibeat, ita hic dicit: Sollicitabit te peccatum, vocabit te ad vindictam (hoc enim est, quod dicit: „Ad te erit appetitus ejus"); sed tu dic: Nolo parere, et cohibe te, ac dominare ei. Est igitur admonitio plenissima consolationis, quod propter semen benedictum non simus amplius sub peccato; ideo debeamus peccato dominari. Complectitur enim utranque doctrinam, timoris et fidei: timere Deum debemus, quia peccatum cubat in foribus; fidere Deo debemus, quia est misericors.

*) Edit. princ. oburget.

[illegible]

D. MARTINI LUTHERI

EXEGETICA OPERA

LATINA

CURAVIT

CHRISTOPH. STEPH. THEOPH. ELSPERGER

PHIL. DOCT. ET REGII GYMNASII ERLANGENSIS PRO-

FESSOR.

TOMUS II.

CONTINENS ENARRATIONES IN GENESIN

CAP. IV, 8. — IX.

ERLANGAE

SUMTIBUS CAROLI HEYDERI.

MDCCCXXIX.

IN PRIMUM LIBRUM MOSE

ENARRATIONES

REVERENDI PATRIS

D. D. MARTINI LUTHERI,

PLENAE SALUTARIS ET CHRISTIANAE ERUDITIONIS,

BONA FIDE ET DILIGENTER COLLECTAE.

TOMI I. PARS II.

CAPITIS QUARTI PARS POSTERIOR.

Et dixit Cain ad Habel fratrem suum.

Translatio nostra addit, dixisse Cain: Egrediamur foras. Sed est hoc quoque Rabinorum commentum, quibus quantum credi debeat, supra dixi. Lyra ex Aben Ezra commemorat, dixisse Cain fratri, quam duriter a Domino objurgatus sit: sed quae testimonium scripturae non habent, quis crederet? Retinemus igitur hanc sententiam, quam scriptura ostendit, quod Cain jam reprobus indulget irae, et ad priora peccata nunc etiam addit contemtum parentum et verbi, ac cogitat: Mihi debetur tanquam primogenito semen mulieris promissum, sed Habel, ille nihili et contemtus, praefertur mihi auctoritate divina per flammam sacrificium haurientem. Quid igitur faciam? dissimulabo iram, donec apparebit occasio opportunae vindictae.

Igitur haec verba: „Dixit Cain ad Habel fratrem suum," sic intelligo, quod, dissimulata ira, se gesserit Cain erga Habel sicut erga fratrem, quod cum eo locutus sit, conversatus cum eo, tanquam

aequo animo ferens sententiam divinitus latam: sicut de Saule simile exemplum est, qui simulat benevolum animum erga Davidem. „Scio, inquit, quod post me sis futurus rex“ (1. Sam. 24, 21.). Sed interim cogitat, quomodo, occiso Davide, hoc non fiat. Ad hunc modum cum Habel locutus est Cain: Video, te electum esse a Domino; non invideo tibi benedictionem hanc etc. Sic enim solent hypocritae; simulant amicitiam, donec occasio nocendi se offerat.

Atque hanc sententiam ostendunt circumstantiae. Si enim Adam et Heva suspicari aliquid de futura caede potuissent, an non putas, aut Cain coërcituros, aut Habel submoturos et extra periculum posituros fuisse? Sed cum mutat mores et vultum Cain, cum tanquam cum fratre amanter colloquitur, putant omnia in tuto esse, et acquievisse filium admonitioni paternae. Haec species Habel quoque decepit, qui, si tale aliquid a fratre metuisset, fugisset, sicut Iacob fugit, cum iram Esau timet. Quid igitur in mentem venit Hieronymo, ut credat Rabinis, expostulasse Cain cum fratre?

Cain igitur est figura et imago omnium homicidarum et hypocritarum, qui sub specie pietatis bonos occidunt. Ideo obsessus a Satana tegit iram, et exspectat opportunitatem, ac interim cum Habele, tanquam cum adamato fratre loquitur, ut eo citius incautum opprimat.

Pertinet igitur hic locus ad nos erudiendos, ut discamus mores homicidarum et hypocritarum. Vere enim sic accidit: omnia Cain loquitur, ut frater fraterne ad Habel; e contra omnis Habel credit Cain, ut fratri, et sic occiditur, ac falluntur interim pii parentes quoque.

Pontifex hodie et Episcopi multa loquuntur, et consultant de pace et concordia ecclesiae, sed profecto decipitur, qui consilia illa non intelligit in contrarium. Verus enim est Psalm. 28, (v. 3.): „Operarii iniquitatis loquuntur amice cum proximo suo, et malum gerunt in pectore suo". Omnium enim hypocritarum ista est natura, ut in speciem boni sint, ut benigne loquantur, ut simulent humilitatem, patientiam, caritatem, ut dent eleemosynas etc., et tamen interim consilia caedis in animo versant.

Discamus igitur nosse Cain, et tum eum maxime cavere, cum loquitur fraterne et tanquam cum fratre. Sicut hodie nobiscum loquuntur adversarii, Episcopi et Pontifex, dum simulant studium concordiae, et quaerunt conciliationes dogmatum. Si enim opportunam occasionem arripiendi nos et saeviendi haberent, longe aliud audires. „Vere enim mors in olla est" (2. Regg. 4, 40.), et sub optimis et suavissimis verbis latet exitiale venenum.

Et factum est, cum essent ambo in agro, insurrexit Cain contra fratrem suum Habel, et occidit eum.

Hic vides glossam illorum blandorum verborum. Admonitus est Cain a parente divina auctoritate, ut caveret a peccato futuro, et ut de praeterito speraret veniam. Sed ipse utrunque contemnit, et indulget peccato, sicut solent omnes impii. Vera enim Salomonis sententia est: „Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit; sed consequitur eum ignominia et opprobrium". Prover. 18, (v. 3.).

Hodie non potest accusari nostrum ministerium: docemus, hortamur, obsecramus, increpamus, verti-

mus nos in omnes formas, ut revocemus multitudinem a securitate ad timorem Dei. Sed mundus tanquam indomita bestia pergit, et sequitur non verbum, sed cupiditates suas, quas tamen specie honesti palliare nititur. In promtu sunt Prophetarum et Apostolorum exempla, et docemur etiam propria experientia. Adversarii, toties admoniti et convicti, norunt, quod errent, et tamen homicidiale illud odium contra nos non abjiciunt.

Disce igitur hic, quid sit hypocrita: nempe, qui simulat cultum Dei et caritatem, et tamen interim destruit cultum Dei, et occidit fratrem. Omnis enim simulatio benevolentiae eo tendit, ut tanto melior nocendi occasio offeratur. Si enim Habel praevidisset implacabilem illam iram et vere diabolicum furorem, fuga sibi consuluisset. Sed quia nihil tale ostendit Cain, quia blande salutat, et usitatam benevolentiam simulat, priusquam Habel periculum metuit, periit.

Sine dubio autem Habel, cum videret insurgentem contra se fratrem, supplicavit ei, et hortatus est, ne tanto peccato se pollueret. Sed animus a Satana obsessus non preces, non supplices manus moratur, sed sicut admonitionem patris contemserat, ita quoque contemnit procumbentem ad genua fratrem.

Docent autem nos haec de illa crudeli Satanae tyrannide, qua natura, peccatis implicita, oppressa est, sicut Paulus Eph. 2, (v. 3.) ideo vocat filios irae, et 2. Tim. 2, (v. 26.) dicit, captivos teneri ad voluntatem Satanae. Si enim nihil nisi homines sumus, hoc est, si non fide apprehendimus semen benedictum, omnes sumus Cain similes, nec deest nobis aliud, quam occasio. Nam natura destituta Spiri-

tu sancto ab eodem malo spiritu agitatur, quo agitatus est impius Cain.

Si autem in ullo homine aut vires sufficientes, aut liberum arbitrium esset, quo se posset tueri contra Satanae impetus, profecto in Cain haec dona extitissent, cujus fuit primogenitura et promissio seminis benedicti. Sed eadem est omnium conditio: nisi adjuvetur haec natura Spiritu Dei, non potest se sustinere. Quid ergo futiles jactamus liberum arbitrium? Iam sequitur alius insignis locus.

Et dixit Dominus ad Cain: Ubi est Habel, frater tuus? Qui respondit: Non novi; num enim custos fratris mei sum ego?

Bone Deus, misera natura, a Diabolo agitata, quousque prolabitur? Parricidium jam perpetratum est, et fortasse jacuit occisus Habel aliquot diebus inhumatus. Cum igitur Cain ad parentes redit consueto tempore, Habel autem non redit, solliciti parentes interrogant Cain: Tu ades: at ubi est Habel? Tu redis domum: Habel non redit. Grex sine pastore est: dic igitur, ubi sit? Hic Cain indignabundus parum reverenter respondet; Nescio; num ego sum custos ejus?

Accidit autem ei, quod omnibus impiis, ut excusando accuset se. Sicut Christus quoque dicit (Luc. 19, 22.): „Ex verbis tuis judicaberis, serve nequam". Sic gentes insigne proverbium usurparunt, mendacem oportet esse memorem, quamvis nihil de judicio Dei et conscientiae scirent, sed tantum civilibus negotiis admoniti ita judicarent. Verum enim est, quod mendaces multis periculis se exponunt, quibus possunt convinci et refutari. Inde Germani dicunt,

fecundam rem esse mendacium; nam unum mendacium septem alia mendacia parit, quibus opus est ad primum mendacium confirmandum. Impossibile autem est, quin erumpat aliquando conscientia, et se prodat, si non verbis, at saltem gestu, sicut infinita exempla probant. Sed ego unum tantum recitabo.

In Thuringis est oppidulum ad Orlam, Neustadt. Ibi cum scortum infantulum, clam editum, occidisset, et in vicinam piscinam projecisset, forte linteolum, in quod involutus infans fuit, prodidit factum. Res ad magistratum delata est, cumque homines simplices non scirent aliam commodiorem rationem investigandi sceleris, omnes puellas in curiam convocant, et singulas explorant. Facile autem patuit judicium tum ex vultu, tum etiam sermone, reliquas esse innocentes. Cum autem ventum esset ad eam, quae tantum scelus patrarat, non exspectavit ipsa, dum interrogaretur; magno clamore contendit, se non esse ream criminis. Statim oborta magistratui suspicio est, non vacare eam crimine, quod ambitiosius, quam reliquae se excusaret, ac a lictoribus arrepta, statim caedem fassa est.

Hujus generis infinita exempla quotidie usu veniunt, ubi sollicite excusando homines se accusant et produnt. Verum enim est, quod supra audivimus, quod peccatum quidem cubat, sed in foribus.

Sic Cain hoc in loco putat, belle excusatum se, quod negat, se esse custodem fratris sui. At dum fratrem suum nominat, an non fatetur, se debere custodem ejus esse? an non etiam accusat se, quod alieno in fratrem sit animo, et simul injicit parentibus suspicionem caedis factae, si quidem Habel nus-

quam apparet? Excusat se Adam in Paradiso quoque, et reclinat culpam in Hevam. Sed haec Cain excusatio longe est ineptior; vere enim, cum excusatur peccatum, peccatum duplicatur: ubi e contra confessio peccati liberalis consequitur misericordiam, et vincit iram.

Recitatur in historia S. Martini, cum insignes aliquot peccatores absolveret, objurgatum esse a Satana, cur id faceret? Respondisse autem Martinum: Quin te quoque absolverem, si diceres ex corde: Poenitet me peccasse contra Filium Dei, et peto veniam. Sed Diabolus hoc non facit; perstat enim in urgendo et defendendo peccato suo.

Hunc mendacii patrem Cain et omnes hypocritae imitantur negando peccatum, aut excusando. Itaque veniam consequi non possunt. Videmus enim etiam in oeconomia, defensione peccati augeri iram. Quoties enim uxor, liberi, familia peccarunt, et negant peccatum, magis commovetur paterfamilias, cum tamen contra confessio aut veniam, aut mitiorem poenam meretur. Proprium autem hypocritarum est, palliare peccatum, aut negare, et sub specie religionis occidere innocentes.

Sed hic revocemus in mentem, quo ordine peccata sese consequantur et crescant. Primum peccat Cain praesumtione et incredulitate, cum inflatus jure primogeniturae statuit, se suo merito a Deo probatum iri: hanc superbiam et justitiae gloriam sequitur invidia et odium erga fratrem, quem videt certo signo sibi praeferri: invidiam hanc et odium sequitur hypocrisis et mendacium, quod blande compellat fratrem, quem occisum cupit, ut eo magis securum reddat: hypocrisin sequitur caedes: caedem se-

quitur excusatio peccati. Ultimus gradus, de quo paulo post, est desperatio. Haec tandem est ruina illa de coelo ad infernum.

Adam et Heva in Paradiso peccatum etsi non negant, tamen admodum frigide id confitentur, et transferunt Adam in Hevam, Heva in serpentem. Cain autem longius progreditur: non solum non fatetur caedem, sed etiam curam fratris ad se nihil pertinere dicit. Hoc autem an non satis prodit, alieno eum a fratre esse animo? Adam igitur et Heva, etsi frigide confitentes, merentur veniam et mitius puniuntur; Cain autem, sic fortiter negans, rejicitur et desperat.

Idem judicium quoque manet nostros Cainitas, Pontifices, Cardinales et Episcopos, qui cum noctu diuque consilia caedium animo versent, tamen etiam dicunt, sicut pater ipsorum: Nescio.

Usitatum proverbium est: Quid ad Romanos, quod Graeci moriuntur? Putamus enim, tantum nostra pericula ad nos pertinere. Sed quomodo convenit hoc cum mandato Dei, quod omnes nos inter nos vult ut fratres vivere? Accusat igitur se hoc ipso verbo graviter Cain, quod dicit, curam fratris nihil ad se pertinere. Si dixisset ad patrem: Proh dolor! occidi Habel: poenitet me facti; irroga poenam, quam tu voles: tum fuisset remedio locus. Sed cum peccatum negat, et fratris curam simpliciter contra Dei voluntatem abjicit, augetur peccatum, et nullus relinquitur gratiae locus.

Porro Moses haec verba singulari industria ita posuit in testimonium et memoriale omnium hypocritarum, ut eos graphice depingeret, et ostenderet, quam horribiliter a Satana apprehendantur et inflam-

mentur contra Deum, verbum et ecclesiam. Huic homicidae non satis fuit contra mandatum Dei occidisse fratrem, sed addit etiam hoc peccatum, ut Deo interroganti de fratre etiam indignetur et succenseat. Dico autem, Deo interroganti, quia, etsi Adam haec cum filio locutus est, tamen auctoritate divina et etiam ex Spiritu sancto est locutus. In tanto peccato, an non mitissima vox est: „Ubi est Habel, frater tuus"? Ad hanc tamen minime asperam vocem adeo ferociter et superbe respondet hypocrita et homicida, ut dicat: Nescio, et indignetur, se hac de re compellari. Est enim verbum spiritus contumacis et indignantis Deo.

Ad hoc peccatum addit aliud deterius. Cum enim debebat accusari ob factam caedem, ipse ultro accusat Deum, et cum eo expostulat. „Numquid sum custos fratris mei"? Nullam honoris praefationem vel Deo vel patri debitam, addit. Non dicit, Domine, nescio: non dicit: Mi pater, num me ei custodem addidisti? Haec aliquam significationem reverentiae erga Deum vel parentem habuissent; sed superbe respondet, quasi dominus, et palam significat, iniquo animo se ferre, quod compelletur ab eo, qui jus compellandi habet.

Haec est vera imago omnium hypocritarum, qui in manifestis peccatis contumacissimi et superbissimi sunt, et tamen volunt sanctissimi videri. Nolunt cedere increpanti Deo et verbo ejus, sed opponunt se Deo, cum eo litigant, et peccatum excusant, sicut Psalmus 51, (v. 6.) quoque dicit, judicari Deum ab hominibus, sed tandem vincere. Hanc hypocritarum contumaciam voluit Moses pingere.

Sed quomodo hic conatus ipsi Cain cedit? Sic

nimirum, ut, dum se nimium excuset, vehementissime se accuset, sicut Christus quoque dicit: „Ex verbis tuis te judico, serve nequam“. Volebat servus iste videri sanctus; dicit itaque: „Noram, te esse hominem austerum, et metere, ubi non seminasses; itaque abscondi talentum“. Quomodo autem potuit se accusare durius? sicut haec ipsa verba invertit Christus contra ipsum. Haec Spiritus sancti sapientia est.

Prosunt autem nobis exempla haec, ne contendamus cum Deo, sed, cum sentis in conscientia, te esse reum, hoc summo studio cave, ne vel cum Deo, vel cum hominibus lucteris defendendo aut excusando peccatum. Hoc potius fac, ne a Deo intentanti hastam aufugias, sed potius ad eum confugias cum humili confessione culpae et veniae petitione. Tum Deus hastam retrahet et parcet: ubi contra, quanto per negationem et peccati excusationem longius a Deo conaris aufugere, tanto propius et hostilius te Deus persequitur et urget. Nihil igitur melius nec tutius est, quam venire cum confessione culpae. Sic enim fit, ut, dum Deus vincit, nos quoque per eum vincamus.

Sed Cain et hypocritae hoc non faciunt. Intentat eis Deus hastam: ipsi contra non quidem humiliantur, nec petunt veniam, sed quoque hastam Deo intentant. Sicut Cain hic facit. Non dicit: Fateor, Domine; occidi fratrem; ignosce. Sed ipse accusandus ultro accusat Deum. „Numquid ego sum custos fratris mei?“ Hac superbia quid efficit? nimirum, ut ultro fateatur, se legem hanc nihil curare: „Dilige proximum tuum sicut te ipsum“ (Lev. 19, 18.). Item (Matth. 7, 12.): „Quod tibi non *) vis fieri, alteri ne

*) In edit. princip. deest vocula non.

feceris". Haec enim lex non in Decalogo primum promulgata, sed omnium hominum animis inscripta est. Contra hanc Cain pugnat; hanc se non curare, sed simpliciter contemnere testatur. Ad hunc modum Cain imago est hominis non simpliciter, sed extreme mali, qui sanguinarius est, et tamen est hypocrita, et vult sanctus videri, vult Deum potius accusare, quam ut videatur accusatione dignus. Sic omnes hypocritae faciunt; blasphemant Deum, et Filium Dei crucifigunt, et tamen volunt justi esse. Nam post homicidia, blasphemias et omnia peccata quaerunt, quomodo ea excusent et pallient. Sed tum fit, ut se ipsos prodant, et suo ipsorum judicio condemnentur.

Cain dum studet nimium esse purus, foedissime se contaminat. Putat, pulcherrime hoc a se dici: „Numquid sum custos fratris mei", sed turpissime hoc ipso verbo se accusat. Sic semper secundum Hilarii sententiam cum impietate stultitia conjuncta est. Si enim tam fuisset Cain prudens, quam est malus, longe alia ratione excusasset se. Nunc postquam Deus ordinat, ut semper cum impietate sit conjuncta stultitia, ipse se ipsum accusat. Atque hanc ob causam facilis est defensio veritatis contra adversarios. Nam, sicut Cain verbis et gestu testatur, se fratrem non curare, sed odisse, ita ipsi quoque varie produnt impietatem. Res itaque magnae et plenae eruditionis hic proponuntur, quod Deus non sinit hypocritas diu latere, sed cogit, ut ipsi se ipsos prodant, cum hoc agunt, ut hypocrisin et peccatum suum callide tegant.

Moses non utitur illa copia in descriptione re-

rum, qua gentes, quae unum argumentum jam hoc, jam alio colore ornant et expoliunt. Sed experimur, affectus non posse humana eloquentia satis pingi, et saepe copia facit, ut affectus, qui pingitur, minor videatur, quam revera est. Moses igitur diversum facit, et paucis verbis magnam argumentorum copiam ostendit.

Supra dixit: „Cum ambo essent in agro"; ibi ostendit, homicidam Cain observasse opportunitatem, ut solus aggrederetur solum. Et facile arguunt circumstantiae, Habel tum non fuisse otiosum; nam in agro erat, ubi operae a parente impositae erant absolvendae. Ostendit hic quoque, parentes sine omni metu periculi fuisse. Etsi enim initio metuebant iram Cain erupturam in aliud gravius peccatum, tamen et commoditate sua et simulata benevolentia effecit Cain, ne quid suspicarentur parentes mali. Si enim ullum suspicionis vestigium fuisset reliquum, profecto Habel solum non dimisissent; addidissent ei sorores comites, quarum tum aliquas sine dubio habuit, aut ipsi parentes praesentia et auctoritate sua prohibuissent tantum scelus. Ac dixi supra, Habel quoque otioso fuisse animo; nam saltem fuga consuluisset sibi, si quid de fratre mali esset suspicatus. Postquam autem audit Cain aequo animo ferentem judicium Dei, nec invidentem hunc honorem fratri, securus opus facit in agro.

Quis autem rhetor pro dignitate explicaverit, quod Moses uno verbo dicit, insurrexisse Cain contra fratrem. Multa crudelitatis passim exstant convitia, sed quomodo potest ea pingi atrocior et execrabilior, quam hic picta est? Contra fratrem Habel, inquit, insurrexit. Quasi dicat: Quem tum Cain

solum habebat fratrem, cum quo educatus fuerat, cum quo vixerat hactenus. Sed non solum consuetudinis hujus obliviscitur: etiam obliviscitur communium parentum. Non in mentem ei venit, quantum doloris parentibus tam tristi scelere sit conciliaturus: non cogitat, hunc esse fratrem, a quo nunquam sit offensus, (nam quod laudem gratioris sacrificii abstulerat, norat, id non studio, aut ambitione ipsius Habel, sed divinitus esse factum): denique non se considerabat, qui hactenus in summa apud parentes fuerat gratia, quod hoc scelere eam gratiam amissurus, et extremam indignationem esset incursurus.

Exstat in historiis de pictore, qui cum historiam Iphigeniae jam mactandae pingeret, et singulis, qui spectatores aderant, suum gestum, quo animi dolorem et luctum testabantur, attribueret, patris caput, qui spectaculo aderat, involvit, quod existimaret, magnitudinem affectus non posse pingi. Idem plane Mosen hoc in loco fecisse judico, cum utitur verbo וַיָּקָם, insurrexit. Quantas hic tragoedias faceret Cicero aut Livius, dum et hujus furorem, et illius metum, querelas, preces, lacrymas, supplices manus et alia oratione extolleret? Sed ne sic quidem ista satis dicuntur. Quare recte Moses facit, quod tanquam punctis res ineffabiles ostendit, ut illa brevitate incitetur lectoris affectus ad rem propius contemplandam, quae inani verborum lenocinio, tanquam bona forma accersito fuco, deformatur et corrumpitur.

Ad hunc modum, quod addit: „Et occidit eum", non loquitur de communi caede, sicut videmus, homines non nunquam levibus de causis movere lites, et caedes facere. Tales homicidae mox facta caede perturbantur, dolent factum, agnoscunt praestigias

Diaboli, quibus animos occaecavit. At Cain non perturbatur, non dolet, sed negat factum.

Hoc Satanicum et inexsaturabile odium hypocritarum Christus ostendit, cum dicit (Joh. 16, 2.): „Putabunt, se Deo praestitisse officium, si vos occiderint". Sacerdotes et reges implebant Hierosolyma sanguine Prophetarum, ac triumphabant, tanquam re feliciter confecta. Nam interpretabantur, zelum esse pro lege et domo Dei.

Hodie Pontificum et Episcoporum eadem immanitas est. Non satis eis est, toties nos excommunicasse, et effudisse sanguinem nostrum: etiam memoriam nostram de terra viventium volunt delere, sicut notat hoc odium Psalm. 137, (v. 7.): „Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea". Haec Satanica, non humana odia sunt; nam humana odia mitescunt tempore, aut saltem, postquam dolorem ulti sumus, et explevimus animum, desinunt. Ad haec Pharisaica quotidie majora incrementa sumunt, si quidem pallientur specie pietatis.

Est igitur Cain pater omnium istorum homicidarum, qui occidunt sanctos, nec statuunt modum irae, donec adhuc pilus de eis superest, sicut etiam Christi exemplum testatur. Nam de Cain non dubium est, quin sperarit, Habel extincto, gloriam primogeniturae se retenturum esse. Ita impii crudelitatem putant sibi profuturam, sed cum postea sentiunt, frustra fuisse spem, in desperationem prolabuntur.

Tam indigna caedes postquam ad parentes perlata est, quales ibi putamus excitatas tragoedias? quales querelas? quales gemitus? Sed omitte haec; pertinent enim ad facundum et fecundum ingenium.

Pro-

Profecto mirum est, quod prae dolore non sunt exstincti. Auget enim calamitatem, quod primogenitus, qui tam praeclaram spem de se concitaverat, tam indignae caedis auctor est. Itaque nisi Adam et Heva divinitus adjuti essent, hanc domesticam calamitatem non potuissent vincere. Est enim res, quae omnium exemplo caret. Itaque caruerunt ista consolatione, qua nos plerunque in subitis et inopinis casibus utimur, quod similia acciderint aliis quoque, neque nos soli simus, quibus ista eveniant. Nam primis parentibus tum hi tantum filii erant, quanquam filias quoque habuisse existimem. Caruerunt itaque istis exemplis multitudinis, quae nos habemus.

Quis autem dubitat, quin Satan quoque novo tentationis genere auxerit dolorem primorum parentum? Sic enim cogitarunt: Ecce, hoc nostrum peccatum est. Nos in Paradiso voluimus fieri similes Deo, et sumus per peccatum Diabolo similes facti. Idem accidit filio nostro; hunc amavimus solum, hunc plurimi fecimus. Alter justus fuit nobis prae hoc Hebel, hoc est, nihili. Hunc speravimus serpentis caput contriturum, et ecce contritus ipse est a serpente, imo serpenti quoque similis factus, si quidem homicida factus est. Unde autem hoc? Nonne, quia ex nobis natus est, et quia per peccatum nostrum nos tales sumus? Ergo ex carne nostra, ergo ex peccato nostro ista calamitas emersit.

Verisimile itaque est, et arguit idem annorum series, moestos parentes hoc casu ita esse perculsos, ut diu a mutua consuetudine abstinerent. Videtur enim Cain, cum caedem hanc fecit, fuisse annorum plus minus triginta. Interim aliquot filiae Adamo natae sunt; nam quod scribitur postea, Cain duxisse

uxorem, sine dubio sororem duxit. Et dicit Cain infra: „Omnis, qui invenerit me, occidet me". Et Dominus ponit signum in Cain, ne ullus eum interficeret. Quare verisimile est, Adam habuisse tum plures liberos. Sed hi duo, Cain et Habel, tantum numerantur propter insignem et memorabilem historiam, et quod illi duo primi et praecipui fuerunt. Omnino enim credo, primis triginta annis conjugium primorum parentum fuisse fecundissimum. Inveniuntur alicubi nomina filiarum Adae, Calmana et Dibora; sed nescio, an fide digni sint auctores. Quia igitur Seth longo tempore post hanc caedem memoratur genitus, mihi probabile videtur, hoc monstroso et domestico malo perturbatos parentes ad longum tempus abstinuisse a generando. Haec omnia Moses non attingit, sed indicat tantum, ut excitet lectorem ad considerationem tam memorabilis historiae, quam tamen paucissimis verbis, tanquam per transennam, ostendit.

Sed redeo ad propositum textum. Cain est malus et nequam, et tamen in oculis parentum est tanquam divina possessio et divinum donum. Contra Habel coram parentibus secundum nomen suum pro nihilo habetur, et in oculis Dei est vere sanctus homo, sicut Christus Matth. 23, (v. 35.) quoque eum insigni elogio ornat, cum vocat justum Habel. Hujus judicii divini Cain impatiens est, et putat, non solum odium exsaturatum iri caede, sed etiam hoc modo primogenituram suam se retinere posse. Longe autem ab eo abest, ut putet, se ista caede peccare. Quia enim primogenitus est, putat, sibi hoc quasi jure licere. Occidit itaque eum, non, ut ego pu-

to, ferro (nam ferrea arma tum nondum exstitisse puto), sed fuste, aut saxo aliquo.

Post factam caedem otiosus est; putat enim, factum celari posse, celato et abscondito corpore, quod aut sepeliit, aut in flumen forte projecit, ut eo certior esset, a parentibus non posse inveniri.

Cum itaque Habel longius, quam pro more abesset a domo, inspirat Adae Spiritus sanctus haec verba, ut interroget de Habel: „Ubi, inquit, est Habel, frater tuus"? Hic igitur incipit impleri prophetia et concio Adae, de qua supra audivimus, quod peccatum cubat in foribus. Cain putat, se reposuisse suum peccatum in quietem, et latere posse. Ac verum est; quiescit enim peccatum, sed in foribus. Has quis aperit? nimirum Dominus ille peccatum quiescens exsuscitat, ille latens peccatum producit in lucem.

Idem necesse est accidere omnibus. Nisi enim per poenitentiam praevenias, et ipse confitearis peccatum tuum Deo, ipse Deus venit et peccatum patefacit. Non enim potest ferre, ut quis neget peccatum admissum, sicut etiam testatur Psalm. 32, (v. 3. 4.): „Quoniam tacui, inveteraverunt omnia ossa mea, et succus meus versus est in ariditatem aestivam". Etsi enim peccatum habet quietem et securitatem suam, tamen est quies in foribus, quae neque diuturna est, nec abscondita.

Quod Moses dicit, Dominum locutum esse, accipio, ut supra, quod Adam per Spiritum sanctum et in persona Dei, quam tanquam pater erga filium sustinebat, haec locutus sit. Pertinet itaque ad commendandam auctoritatem parentum haec phrasis Spiritus sancti, quos cum audiunt, quibus cum parent

liberi, Deum audiunt, et Deo parent. Ac puto ego, Spiritu sancto revelante Adamum cognovisse, quod Habel occisus sit; nam pronuntiat de caede, cum tamen Cain caedem dissimulet.

Quodsi Heva audivit haec, quid tum miserae putas fuisse animi? Vere enim inenarrabilis dolor fuit. Ipsum Adam autem propius attingit malum. Hic enim, quia pater est, ex officio cogitur objurgare filium, et ob peccatum excommunicare. Quanquam enim non occidit eum (nam lex de occidendo homicida infra capite nono fertur, postquam caedes viderent multiplicari patres) et signo ex instinctu Spiritus sancti eum munit, ne occideretur, tamen magna poena est, quae ei cum tota posteritate irrogatur. Nam ad illam maledictionem corporalem accedit, quod Cain excommunicatur, quod fugatur a conspectu parentum et consuetudine reliquorum fratrum et sororum, qui apud parentes, tanquam in ecclesia, remanebant.

Haec sine magno dolore Adam non potuit facere, Heva non potuit audire; nam pater est pater, filius est filius. Libenter itaque pepercisset ei, libenter retinuisset eum domi, sicut videmus non nunquam reconciliari homicidas occisorum fratribus. Sed hic nulla reconciliatio relinquitur; simpliciter jubetur profugus esse super terram. Itaque geminatur parentibus dolor, quod et alterum filium occisum esse vident, hunc autem vident divino judicio excommunicatum, et ex reliquorum fratrum consuetudine exclusum.

Porro, cum de excommunicatione ab ecclesia dicimus, non oportet te respicere ad nostra templa, ampla et magnifice ex lapidibus sectis constructa.

Templum seu ecclesia Adae fuit arbor aliqua, aut colliculus quidam sub divo, ad quem conveniebant, et audituri verbum Dei, et sacra facturi, ad quam rem habebant excitata altaria. Ac affuit Deus ita sacrificantibus et audientibus verbum, sicut Habelis exemplum ostendit.

Sic aliae quoque historiae testantur, sub divo fuisse altaria, et ibi sacrificatum esse; sicut propter multas causas utile esset adhuc fieri, ut sub divo conveniremus, ibi genibus flexis oraremus, doceremus, ageremus gratias, benediceremus mutuo etc. Ab hoc templo et hac ecclesia, quae non erat in uno certo loco, ejicitur Cain, et sic dupliciter punitur, primo poena corporali, quod maledicitur terra, et additum est ei signum homicidiale; secundo poena spirituali, quod per excommunicationem ejicitur, tanquam ex altera Paradiso, ex templo et ecclesia Dei.

Iureconsulti quoque usurparunt hunc locum, et satis digne tractarunt, quod Dominus, priusquam damnet, inquirit de negotio. Id eo applicant, quod nemo sit damnandus, nisi prius cognita causa sit, nisi prius sit vocatus, confessus et convictus; sicut supra de Adam quoque est: „Et vocavit Adam, et ait: Ubi es tu?" Et infra 11. (v. 5.): „Descendit Dominus, ut videret" etc.

Sed nos, omissa politica doctrina, respiciamus ad pulcherrimam et theologicam tum doctrinam, tum consolationem, quod scilicet Dominus requirit Habel mortuum. Hic enim clare ostenditur resurrectio mortuorum, si quidem Deus se mortui Habel Deum esse testatur, et mortuum Habel requirit. Ex hoc enim loco contexìmus firmissimam rationem, quod, si nullus esset, qui curam nostri haberet post hanc vitam,

Habel occisus non esset requisitus. Sed Deus requirit Habel sublatum ex hac vita; non vult ejus oblivisci, retinet memoriam ejus, quaerit, ubi sit? Ergo Deus est mortuorum Deus, hoc est, ergo etiam mortui vivunt, et habent Deum curantem et salvantem eos in alia vita, quam haec corporalis est, in qua sancti affliguntur.

Dignus ergo observatione hic locus est, quod Deus mortui Habel curam habet, et sic propter mortuum Habel excommunicat et perdit Cain primogenitum viventem. Magna profecto res: Habel mortuus vivit, et ab ipso Deo canonisatur in alia vita, melius et verius, quam omnes, quos Papa canonisavit unquam; Cain vivus excommunicatur, et moritur perpetua morte. Est quidem Habelis mors horribilis; non enim sine magno cruciatu, non sine multis lacrymis mortem est passus; sed est vere salutaris mors, si quidem jam meliorem vitam vivit, quam antea. Corporalis enim haec vita vivitur in peccatis, et est obnoxia morti; sed illa vita est aeterna et sine omnibus molestiis, tum corporalibus, tum spiritualibus.

Non requirit Deus oves et pecora mactata: homines autem occisos requirit; ergo habent homines spem resurrectionis et talem Deum, qui eos reducit ex morte carnis ad aeternam vitam, qui requirit sanguinem eorum tanquam rem pretiosam, sicut Psalmus (116, 15.) etiam loquitur: „Pretiosa mors sanctorum in conspectu ejus".

Haec est gloria humani generis, parta a semine conterente caput serpentis. Hoc enim primum exemplum est istius promissionis Adae et Hevae factae, in quo ostendit Deus, Habeli non nocere serpentem,

etsi is hoc perficit, ut Habel occidatur. Hoc scilicet est, quod insidiatur calcaneo seminis mulieris, sed caput ejus, dum mordet, conteritur. Deus enim propter fiduciam in promissum semen requirit Habelis mortui sanguinem, et ostendit, se esse Deum ejus. Sicut sequentia etiam comprobant.

Et dixit: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

Quievit hactenus peccatum Cain in foribus, ac superiora satis testantur, quantopere conatus sit Cain, ut quiesceret. Interrogatus enim de Habele, ubi sit, respondet, se nescire. Ita adjungit ad homicidium etiam mendacium. Satis autem ea responsio arguit, haec verba ab ipso Adam, et non a majestate divina esse pronuntiata. Putat enim, quod patrem Adam tanquam hominem lateat factum suum; de divina majestate id non potuit cogitare. Itaque si Deus cum eo esset locutus, aliter fuisset responsurus. Nunc, postquam sibi cum homine solo rem esse putat, negat factum, dicit: Nescio. Quam enim varia pericula sunt, quibus homo perire potest! Alii a bestiis vorantur, alios absorbent flumina, alii alio genere mortis pereunt.

Itaque putat Cain, patrem quidvis potius suspicaturum, quam quod caedem patrasset: sed Spiritum sanctum in Adam non potuit fallere. Itaque in persona Dei aperte eum coarguit, et dicit: „Quid fecisti"? quasi dicat: Quid pergis negando factum? Deum profecto, qui mihi id revelavit, fallere non poteris. Putas, sanguinem fratris tui terra esse tectum, sed profecto non sic tectus et absorptus est, quin de terra clamet ad Deum. Hoc vero est, exci-

tare peccatum quiescens in foribus, et tradu-
cere.

Est igitur hic textus plenus consolatione contra homicidas et hostes ecclesiae. Docet enim nos, quod afflictiones, sanguines et mortes nostrae replent coelum et terram clamoribus. Itaque ad hanc Adae vocem: „Quid fecisti"? credo, Cain ita animo perturbatum et confusum esse, ut quasi attonitus esset, et, quid vel faceret vel diceret, nesciret. Sic enim cogitavit: Si pater Adam scit de caede a me facta, quid dubito, quin idem sciat Deus, Angeli, coelum et terra? Quo igitur fugiam? quo me vertam infelix?

Ac accidit idem adhuc hodie homicidis: ita agitantur post patratam caedem furiis, ut vere attoniti sint, ac putent, coelum et terram aliam induisse faciem, et, quo fugiant, nesciant: sicut poëtae etiam de Oreste furiis agitato loquuntur. Tam horribilis res est iste clamor sanguinis et malę conscientiae.

Fit autem idem in aliis quoque atrocibus peccatis, ac experiuntur similes sensus, quos apprehendit tristitia spiritus; his enim omnes creaturae videntur immutatae. Quando etiam cum notis hominibus loquuntur, eosque vicissim audiunt, ipse sonus oris videtur alius esse, videntur immutati vultus, nigrescunt et horrent omnia, quocunque vertunt oculos: tam saeva et truculenta bestia est mala conscientia. Nisi itaque divinitus erigantur, necesse est, ut ipsi abrumpant vitam suam prae desperatione, prae angustia et impatientia doloris.

Utitur autem hic quoque Moses usitata brevitate, sed quae omnem copiam vincit. Primum insignis est prosopopoeia, quod sanguini tribuit vocem, quae impleat coelum et terram clamoribus. Quomodo enim

exilis, aut tenuis vox est, quam de terra emissam audit Deus in coelis? Habel itaque, qui vivus patiens injuriarum erat, qui erat placidus et mitis, nunc mortuus et defossus in terram, impatientissimus est injuriae, et qui antea non mutire audebat contra fratrem, nunc improbe clamat, et Deo clamore suo negotium facit, ut descendat de coelo, et homicidam arguat. Itaque Moses quoque pleniore vocabulo utitur; non dicit: Vox fratris tui loquitur, sed clamat, sicut praecones clamant, qui intenta voce homines convocant ad conventus.

Scribuntur autem haec, sicut supra quoque dixi, ut videamus, Deum nostrum esse misericordem, et diligere sanctos suos, eosque curare et requirere, contra autem homicidis irasci, eos odisse, et punire velle. Haec consolatio apprime necessaria est. Nam cum affligimur, putamus, Deum nostri oblitum esse, et curam de nobis abjecisse. Si enim curaret nos, cogitamus, non acciderent nobis talia. Atque hoc modo Habel quoque potuit cogitare: Deus me nihil curat; alioqui non sineret me sic a fratre occidi.

Sed vide sequentia. An enim Deus non majorem curam Habelis gerit, quam ipse potuisset de se gerere? Quomodo enim vivus Habel eam vindictam posset exercere in fratrem, quam nunc Deus, mortuo eo, exercet? Quomodo vivus posset ita horribiliter judicare fratrem, sicut a Deo judicatur? Nunc enim clamat sanguis Habel, qui cum viveret, placidissimus erat; nunc Habel coram Deo accusat fratrem, quod sit homicida, qui vivus omnes fratris injurias dissimulaverat. Quis enim prodit Cain, quod occiderit fratrem? Nonne, sicut textus dicit, sanguis Habel,

qui nunc assiduis clamoribus aures Dei et hominum obtundit *)? Haec, inquam, plena sunt consolationis, praesertim nobis, qui patimur persecutionem a Pontificibus et impiis principibus propter doctrinam. Extremam crudelitatem in nos exercuerunt. Non in Germania solum, sed aliis quoque Europae partibus in pios homines saevitum est. Hoc peccatum Papatus tanquam jocum negligit, imo putat cultum Dei esse. Cubat itaque adhuc peccatum hoc in foribus, sed suo tempore patefiet. Non enim tacet sanguis optimi et constantissimi martyris, Leonardi Kaiser, effusus in Bavaria. Non tacet sanguis Henrici Zutphaniensis, effusus in Dietmaribus. Non tacet sanguis nostri Antonii Angli, ab Anglis suis crudeliter et indicta causa interfecti. Taceo mille alios, quorum nomina etsi minus clara fuere, tamen et confessionis et martyrii fuerunt socii. Horum omnium sanguis non tacebit: coget suo tempore descendere Deum de coelis, et facere judicium in terra intolerabile hostibus evangelii.

Non igitur putabimus, sanguinem nostrum a Deo negligi, non putabimus, afflictiones nostras Deum non respicere. „Etiam lacrymas nostras in utrem suum colligit“, sicut Psalm. 56, (v. 9.) loquitur. Et clamor sanguinis piorum penetrat nubes et coelum, usque dum perveniat ad thronum Dei, et hortetur ad vindicandum sanguinem justorum. Psalm. 79, (v. 10. 11.)

Sicut autem nobis haec ad consolationem *scripta* sunt, ita adversariis nostris sunt scripta ad terrorem. Quid enim putas tyrannis istis auditu horribilius esse, quam quod interfectorum sanguis clamat, et assiduo coram Deo eos accusat? Est quidem Deus

*) Edit. princ. habet abtundit.

longanimis, praesertim nunc sub finem mundi; itaque peccatum cubat longius, non statim sequitur vindicta. Sed profecto verum est, Deum hoc peccato gravissime offendi, nec unquam impune abire passurum esse.

Hoc de Cain judicium ego quoque credo primo die non esse factum, sed intercessit tempus aliquod. Est enim Deus natura longanimis, quod exspectat conversionem peccatorum. Sed non ideo nunquam punit; est enim judex justus tum vivorum, tum mortuorum, sicut profitemur in symbolo fidei nostrae. Hoc judicium statim in principio mundi cum istis duobus fratribus exercet; vivum homicidam judicat et damnat, mortuum Habel justificat, Cain excommunicat, et in eos angores impellit, ut tota creationis machina ei videatur angusta esse; nusquam enim se tutum esse videt, postquam Deum hujus sanguinis vindicem fore videt. Habeli contra dat securam latitudinem, non terrae tantum, sed coeli quoque.

Quid igitur dubitabimus, quin Deus in corde suo ponderet et numeret afflictiones suorum? quin lacrymas nostras metiatur, easque perscribat in adamantinas tabulas, quas nulla ratione delere poterunt hostes ecclesiae, nisi sola poenitentia. Manasses fuit maximus tyrannus et persecutor piorum immanissimus. Exsilium igitur et captivitas non fuissent satis ad peccata ista exsolvenda; sed cum agnoscit peccatum, et vere poenitet, ibi miseretur ejus Dominus.

Sic Paulus, sic Papa et Episcopi unam hanc viam habent reliquam, ut agnoscant peccatum suum, et petant remissionem. Hoc cum non faciant, requiret Deus in furore ex manibus eorum sanguinem piorum. De hoc nemo dubitet. Habel occisus est,

Cain autem vivit. Sed, bone Deus, quam miserabilem vitam vivit: nam optaret, se nunquam esse natum, quod et se excommunicari audit, et expectat mortem et vindictam peccati in singula momenta. Similis erit adversariorum nostrorum et tyrannorum ecclesiae fortuna suo tempore.

Et nunc maledictus es tu de terra, quae aperuit os suum ad suscipiendum sanguinem fratris tui de manu tua.

Hactenus audivimus, quomodo peccatum Cain per sanguinem Habel patefactum, et ipse de eo convictus sit per patrem Adamum, quodque hoc fuerit judicium Dei de duobus fratribus, ut alter non solum justificatus, sed etiam canonisatus et pro sancto declaratus fuerit, tanquam primitiae istius seminis benedicti, alter vero, qui primogenitus erat, fuerit damnatus et excommunicatus, sicut sequentia ostendunt. Nunc pergit Moses, et poenas commemorat, quae parricidium hoc sunt secutae.

Atque initio imprimis observatione digna est diligentia Spiritus sancti. Supra cum Adae propter peccatum poena infligitur, non maledicitur persona Adae, sed tantum terra, neque id tamen simpliciter, sed additur quasi excusatio quaedam terrae. Sic enim dicitur: „Maledicta est terra propter te“: sicut Paulus quoque Rom. 8, (v. 20.) dicit: „Creatura vanitati subjecta est non volens“. Quia enim tulit peccatorem hominem, ideo etiam tanquam instrumentum cogitur ferre maledictionem. Sicut maledicitur gladius, aurum etc., quod scilicet per haec peccatur ab hominibus. Haec pulcherrima dialectica est, quod Spiritus sanctus sic distinguit inter terram et Adam:

maledictionem derivat in terram, personam autem servat.

Hic de Cain aliter loquitur Spiritus sanctus; maledicit enim personae. Cur hoc? Num quod Cain homicida gravius peccarit, quam Adam et Heva? Non: sed ideo, quia Adam erat illa radix, ex cujus carne et lumbis erat nasciturus Christus, benedictum illud semen. Huic semini paretur, hujus benedicti fructus causa transfertur maledictio a persona Adae in ipsam terram, ita ut Adam ferat maledictionem terrae, sed non personalem maledictionem; erat enim ex ejus posteritate nasciturus Christus.

Ab hac gloria quia per peccatum excidit Cain, maledicitur persona ejus, et dicitur ei: „Maledictus es tu", ut intelligamus, eum separatum a gloria promissi seminis, nec habiturum in sua posteritate tale semen, per quod veniat benedictio. Haec est excommunicatio ab ista magnifica gloria futuri seminis. Habel enim occisus erat; itaque non ex eo exstitit posteritas. Adam autem cogitur servire Deo ad generationem; in hoc uno, abjecto Cain, haeret spes benedicti seminis, donec ei nascitur Seth.

Brevia quidem verba sunt, sed profecto digna multa et diligenti consideratione, quod Cain dicitur: „Tu maledictus", hoc est: Tu non es ille, de quo speretur semen benedictum. Hoc verbo excommunicat Cain, et tanquam ramum de stirpe amputat, ut non possit amplius sperare illam gloriam, quam ambibat. Volebat quidem Cain ex se hanc gloriam benedictionis propagari; sed quo plus ambibat, eo minus eam consequebatur, sicut omnibus impiis accidit; quanto enim magis sua nituntur statuere, tanto corruunt magis.

Atque hic incipiunt duae ecclesiae inimicissimae inter se, altera Adae et piorum, quae habet spem et promissionem seminis benedicti, altera Cain, quae spem et promissionem hanc per peccatum amisit, nec potuit recuperare. Nam in diluvio omnis ejus posteritas penitus exstincta est, ut non Propheta aliquis, non sanctus, non ullum verae ecclesiae caput de posteritate Cain exstiterit. Adeo omnia Cain hoc uno verbo negata et ademta sunt, cum ei dicitur: „Maledictus tu“.

Additur autem „E terra“: hoc quasi temperamentum hujus horribilis irae est. Nam, si e coelo dixisset, in universum spem salutis posteritati ejus ademisset. Nunc, quia „E terra“ dicit, minatur quidem, quod a promissione seminis exciderit, et tamen potuit fieri, ut quidam privati homines ex generatione Cain instinctu divino se cum Adam conjunxerint, et salvati sint. Sicut postea quoque accidit. Etsi enim soli Iudaei habebant gloriam hujus seminis et promissionem secundum Psalm. 147, (v. 20.): „Non fecit taliter omni nationi“; tamen gentes habuerunt, ut sic dicam, jus mendicandi, et consequebantur idem beneficium propter misericordiam Dei, quod Iudaei propter veritatem seu promissionem Dei habebant.

Sic Moabitis et Ammonitis simpliciter negatum erat regimen in ecclesia. Et tamen multi privati religionem Iudaeorum complexi sunt. Ad hunc modum Cain et posteritati ejus jus in ecclesia simpliciter ademtum est, sed ut eis mendicare quasi hanc gratiam liceret; hoc eis non ademtum est. Nam propter peccatum a jure communis mensae prohibitus est; hoc tamen relictum ei est, si vellet cum canibus mi-

cas colligere. Hoc significat particula מִן־הָאֲדָמָה, de terra.

Ideo autem hoc admoneo, quia verisimile est, quod multi ex posteris Cain se conjunxerunt cum sanctis Patriarchis. Sed fuerunt in ecclesia privati et sine officio, tanquam qui promissionem seminis benedicti, ex suo corpore nascituri, penitus amisissent. Magnum autem est, amittere promissionem, et tamen haec ipsa maledictio sic est mitigata, ut concederetur eis jus quasi mendicandi, et non negaretur praecise coelum, modo se cum vera ecclesia conjungerent.

Sed id sine dubio varie Cain conatus est impedire. Nam et cultus novos erexit, et finxit caeremonias, ut videretur ipse quoque esse ecclesia. Qui itaque ab eo desciverunt, et ad veram ecclesiam congregati sunt, hi sunt salvati, etsi de gloria Christi, ex suo corpore nascituri, cogerentur desperare. Sed redeamus ad textum.

Mirabilis hic prosopopoeia est. Loquitur Moses de terra tanquam de bestia, quae aperuerit os suum, et biberit innocentem sanguinem Habel. Cur autem tam atrociter tractat terram, sine cujus consilio haec facta sunt? Imo quia est bona creatura Dei, sunt facta, ea nolente et reluctante, sicut Paulus (Rom. 8, 20.) dicit, creaturam subjectam vanitati, sed nolentem.

Respondeo: Fit hoc in terrorem Adae et omnis posteritatis ejus, ut in timore Dei vivant, et homicidium fugiant. Vult enim Adam dicere: Ecce terra aperuit os suum, et devoravit sanguinem fratris tui. At te homicidam haec debebat devorare! Bona quidem est terra bonis et piis, sed impiis est plena

hiatibus. Ad hunc modum utitur atrocibus verbis ad terrorem et confusionem homicidarum. Nec dubium est, quin Cain, postquam audivit haec ex irato patre, sicut Iudas, apud se conterritus et confusus sit, ut, quo se verteret, nesciret. Atrocia enim verba sunt: „Quae hausit sanguinem fratris tui de manu tua", et foeditatem hujus parricidii magis exprimunt, quam ullae picturae.

Si colueris terram, non amplius dabit tibi vim suam.

Ad Adam supra dixit: „Spinas et tribulos pariet tibi terra". Hic aliter loquitur, quasi dicat: Rigasti et stercorasti terram non salutari et vivificante pluvia, sed fraterno sanguine. Erit itaque tibi minus fecunda, quam aliis; sanguis enim, quem tu effudisti, impediet vim et virtutem terrae.

Haec est secunda pars poenae, nempe maledictio corporalis, quod terra, pariter culta ab Adam et Cain, tamen Adae fecundior erit, et respondebit laboribus ejus: Cain autem laboribus non respondebit propter sanguinem, qui impedit terram, cupientem dare secundum vim et virtutem suam.

Caeterum hoc quoque monendum est de grammatica, quod hoc in loco terram vocat הָאֲדָמָה, in eo autem, quod sequitur: „Et vagus eris super terram", est אֶרֶץ. Significat autem אֲדָמָה secundum grammaticos partem terrae, quae colitur, in qua sunt arbores et alii fructus ad victum utiles; אֶרֶץ autem significat totam terram, sive cultam, sive incultam. Pertinet igitur maledictio haec proprie ad terram, quae propter victum colitur, ut, ubi Adae una spica trecenta grana producit, ibi Cain homicidae

dae vix decem grana nascantur, ut scilicet ubique videat testimonia, quod Deus sanguinis effusionem odit et punit.

Vagus et profugus eris in terra.

Haec est tertia poena, quae adhuc in homicidis durat. Nisi enim reconcilientur, nusquam certam sedem nec fixum locum habent. Sunt hic duo vocabula נָע וָנָד, vagus et profugus.

Sic autem ea soleo distinguere, ut נָע significet incertudinem loci, in quo es, sicut nunc Iudaei sunt vagi, quia non habent certum nec fixum locum; in horas enim metuunt, ne emigrare cogantur. נָד autem significat incertitudinem loci, quem petis, ut, cum non habes certum locum, in quo maneas, etiam hoc accedat, ut, cum ex isto incerto loco emigrandum est, nescias, quo eundum sit, ut sic duplex poena sit in uno, non posse manere, et simul nescire, quo eas, postquam ex incerto isto loco pulsus fueris. Sic est Psalmo 109. (v. 10.) וְנוֹעַ יָנוּעוּ בָנָיו, vagando vagentur filii. Hoc est: Nusquam certum locum inveniant, quod si hoc anno sunt in Graecia, altero anno cogantur migrare in Italiam, et sic deinceps.

Sicut nunc plane Iudaeorum misera conditio est; nusquam enim possunt certas sedes figere. Ad hanc calamitatem addit Dominus Cain etiam aliam, ut semel extrusus, nesciat, quo se vertat, ac sic, quasi inter coelum et terram pendens, nusquam consistere possit, ut neque certum locum habeat habitandi, nec certum locum refugii.

Ad hunc modum unum peccatum triplici poena punitur. Primum privatur Cain gloria spirituali, seu

ecclesiastica; nam adimitur ei promissio de semine benedicto, nascendo ex ejus posteritate. Secundo maledicitur terra; ea est oeconomica poena. Tertia poena est politica, ut sit vagus, et nusquam inveniat fixum locum.

Et tamen relinquitur aditus ad ecclesiam, sed sine promissione. Nam ut dixi, si qui ex posteritate Cain se cum ecclesia vera et sanctis patribus conjunxerunt, servati sunt. Sic relinquitur oeconomia, sed sine benedictione, item politia, ut possit aedificare civitatem et ibi habitare, sed incertus, quamdiu. Vere igitur est quasi mendicus in ecclesia, oeconomia et politia.

Ad has poenas accedit etiam hoc temperamentum, ut non occidatur statim propter caedem factam, sicut postea de homicidiis lex lata est, sed ut servetur in exemplum aliis, ut Deum timeant et caedes caveant. Haec de peccato, judicio et ultione peccati Cain sufficiant.

Sed hic objicitur, quod has maledictiones ferunt pii, contra impiis bene est. Sic Paulus dicit, se vagum esse, nec habere certum locum (1. Cor. 4, 11.). Et est eadem hodie nostra conditio, qui docemus ecclesias: habemus incertas sedes, et aut exsulamus, aut exsilium in horas exspectamus. Idem accidit Christo, Apostolis, Prophetis, Patriarchis.

De Iacob dicit scriptura (Gen. 25, 23.): „Major serviet minori“, sed an non Iacob servus est, qui metu fratris in exsilium abit, rediens fratri supplicat, et ad genua procidit? Sic Isaac est miserrimus mendicus. Abraham, pater ejus, inter gentes exsulat, et ne quidem pedis spatium in terra possidet, sicut Stephanus inquit, Actor. 7. (v. 5.). At Is-

maël vere rex est: is ex se natos habet duces, item terra Madian, priusquam Israël in terram promissionis ingreditur. Ad hunc modum paulo post sequetur Cain primum aedificasse civitatem Hanoch, et ex eo natos pastores, varios metallorum artifices, musicos. Haec omnia arguunt, falso tribui maledictionem Cain et posteritati ejus; hae enim veram ecclesiam premunt, ubi contra impiis bene est, et florent.

Hoc scandalum non solum gentes, sed et pios sanctos quoque offendit, sicut testantur Psalmi duo suo in loco, et Prophetae saepe indignantur, sicut Ieremias, cum vident impios quasi immunes esse a malis, contra se premi et varie affligi. Ubi igitur, inquies, est maledictio impiorum? Ubi est piorum benedictio? Nonne contrarium verum est? Cain instabilis et vagus, et tamen primus aedificat civitatem ac certum manendi locum. Ad hoc argumentum infra copiose respondebimus, nunc pergemus in Mose.

Et dixit Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut remittatur.

Hic videtur Moses grammaticis et Rabinis fixisse crucem; varie enim hunc locum crucifigunt. Lyra recitat aliquorum sententiam, qui affirmative exponunt, quod desperans Cain dixerit, majus esse suum peccatum, quam ut possit condonari, sicut nos quoque reddidimus. Ac retinuit hanc sententiam Augustinus quoque. Mentiris, inquit, Cain; major enim est Dei misericordia, quam omnium peccatorum miseria.

Sed Rabini interrogative et negative exponunt: Num major est iniquitas mea, quam ut remitti possit? Haec sententia si vera est, non solum non

novit peccatum Cain, sed excusarit quoque, et insultarit Deo, praeter meritum irrogantis poenam. Ad hunc modum fere ubique Rabini depravant sententiam scripturae. Itaque et odisse eos incipio, et moneo, ut, qui legunt eos, summo cum judicio legant. Etsi enim habuerunt quaedam, tanquam per traditionem a patribus, tamen ea varie depravarunt. Itaque Hieronymum quoque saepe deceperunt. Nec sic poëtae orbem terrarum repleverunt fabulis, sicut impii Iudaei scripturam absurdis sententiis. Itaque magnus labor nobis objicitur, ut purum textum retineamus ab ipsorum glossis.

Caussa autem erroris est, quod quidem sunt grammatici, sed res non norunt, hoc est, non etiam sunt theologi. Coguntur itaque hallucinari, et crucifigere tam se, tum scripturam. Quomodo enim possibile est, ut recte judices de rebus incognitis? Res autem hoc in loco illa est, quod accusatur Cain in sua conscientia. Nullus autem non solum impius, sed ne Diabolus quidem est, qui hoc judicium possit sustinere. Sicut Iacobus dicit secundo capite (v. 19.), etiam daemones contremiscere coram Deo. Et Petrus 2. cap. 2. (v. 11.) dicit, ne Angelos quidem, etsi fortitudine et virtute majores sunt, sustinere posse judicium, quod in blasphemos exercebit Dominus. Sic Manasses in oratione sua (v. 4. 5.), Omnes pavere a vultu irae suae.

Haec satis arguunt, non fuisse in hoc judicio tantum animi in Cain, ut se Deo opponeret, et cum eo expostularet. Est enim Deus luctator omnipotens, et facit primum impetum in ipsum cor, et conscientiam arripit. Hanc rem non norunt, nec intelligunt Rabini: ideo sic de hoc judicio loquuntur, ac si co-

ram hominibus ageretur, ubi aut falso negatur, aut excusatur factum. Dei judicium aliud est: in eo, sicut Christus Matthaei 12, (v. 37.) dicit, est „Ex sermonibus tuis justificaberis, aut damnaberis“. Agnoscit itaque peccatum Cain, quanquam de peccato non sic dolet, sicut de poena inflicta. Est ergo affirmativa sententia, quae desperationem horribilem ostendit.

Hanc desperationem etiam arguit, quod simpliciter nullum reverentiae verbum addit, non dominum, non patrem appellat, sed conscientia confusa, sic terrore et desperatione oppressa est, ut non possit cogitare de spe veniae. Sic epistola ad Ebraeos de Esau dicit capite duodecimo (v. 16. 17.): „Vendidit jus primogeniturae suae Esau pro esculento. Scitis autem, quod postea volens consequi benedictionem, reprobatus est. Poenitentiae enim locum non invenit, etsi cum lacrymis eam quaereret“. Ita Cain hoc in loco sentit poenam; plus autem de poena quam de culpa dolet, sicut omnes desperati faciunt.

Haec duo vocabula מִנְּשׂוֹא et עֲוֹן grammaticorum cruces sunt. Hieronymus vertit: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. Sanctes Pagninus, grammaticus non ineruditus, et, ut apparet, diligens quoque, sic vertit: Major est punitio mea, quam ut feram. Sed hoc modo ex Cain faciemus martyrem et ex Habel peccatorem. Dixi autem supra de vocabulo נָשָׂא, quod, cum applicatur ad peccatum, significat peccatum levare in altum, seu tollere, sicut nos usitata figura vocamus remissionem peccatorum, et remittere peccatum. Sicut Psalm. 32, (v. 1.) אַשְׁרֵי, נְשׂוּי־ פֶּשַׁע. Id ad verbum sonat: Beatus fiens levatus crimine, vel peccato. Hoc nos dicimus: „Beatus, cui remissum est peccatum“, seu cujus pec-

catum, sublatum est. Sicut Esaiae 33, (v. 24.): „Populus, qui habitat in ea נְשֻׂא עָוֹן, hoc est, levatus crimine“, seu, populus remissionis peccatorum.

Alterum vocabulum עֲוֹנִי derivant a verbo עָנָה, quod significat affligi, ut Zachariae 9, (v. 9.): „Rex tuus venit tibi pauper, seu afflictus“. Nostra translatio habet mitis. Sicut in Psalmo 132, (v. 1.): „Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus“, hoc est, afflictionum. Inde venit vocabulum humilitatis, quo utitur Maria virgo in suo cantico, Lucae primo (v. 48.). Haec res occasionem dedit Sancti, ut sententia, punitio.

Sed עֲוֹנִי hic significat iniquitatem, seu peccatum, sicut in multis aliis scripturae locis, sicut etiam ostendit verbum levandi, quod additum est. Ita videmus, quod grammatici, qui nihil sunt, quam grammatici, et res theologicas non norunt, habent suas cruces in talibus locis, ac crucifigunt non solum scripturam, sed et se et auditores. De sententia prius constituendum est, ut ubique inter se consentiat, postea est applicanda grammatica. Sed Rabini contrarium faciunt: ideo dolet mihi, quod doctores et sancti Patres eos plerunque sunt secuti.

Ecce, ejicis me hodie a facie terrae, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra, et erit, omnis, qui me invenerit, occidet me.

Ex his verbis apparet, hanc sententiam latam per os Adae. Primum agnoscit, se ejici ab oeconomia et politia, secundo etiam ab ecclesia.

De differentia vocabulorum אֲדָמָה et אֶרֶץ supra diximus, quod אֶרֶץ significat totam terram,

אֲדָמָה autem significat agrum cultum. Sententia igitur est: Cogor nunc a te profugere, ex eo loco, quem colui, ac patet mihi quidem orbis terrarum, sed ero vagus et profugus super terram, hoc est, nusquam habebo certum locum: sicut cum apud nos homicidae profugi mulctantur exsilio. Atque haec verba satis ostendunt, quomodo sit intelligendum, quod Adam supra dixit: „Maledictus es tu super terram", nempe, quod coactus sit exsulare. Est igitur haec politica poena, qua excluditur a civili consortio.

Quod autem addit: „A facie tua abscondar", est poena ecclesiastica et vera excommunicatio. Quia enim sacerdotium et regnum Adae erat, et Cain ob peccatum ab Adam excommunicatur, simul adimitur ei gloria sacerdotii et regni. Cur autem hac poena usus sit Adam, supra audivimus: „Si excolueris terram, non dabit tibi virtutem suam". Hoc est: Maledictus es, et maledicti sunt labores tui. Si itaque nobiscum maneres in terra, nos tecum fame perire necesse esset. Infecisti enim terram sanguine fratris tui. Hunc sanguinem tecum circumferre cogeris, et ipsa terra in te expetet poenas.

Paene similis sententia est, 1. Regg. 2, (1. Sam. 2, 19.), ubi Salomo praecipit Banaia, filio Iojada: „Interfice Ioab, et amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Ioab, a me et a domo patris mei, et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus etc. David autem et semini ejus et domui et throno illius sit pax usque in aeternum a Domino". Quasi dicat: Si non dabit poenas injustae caedis Ioab, totum regnum luet poenas, et bellis concutietur. Sic Adam hoc loco: Si maneres in terra, Deus

ita in nos animadverteret propter te, ut terra nunquam ferret fructum.

Sed nunc respondebimus ad quaestionem supra propositam. Ad Cain dicitur: „Eris vagus et profugus super terram“, et tamen primus aedificat civitatem. Deinde sic crescit ejus posteritas, ut seduxerit, oppresserit et everterit ecclesiam Dei usque ad octo homines de generatione Seth. Reliqua omnis multitudo, quae in diluvio periit, Cain secuta est, sicut textus clare dicit: „Filii Dei acceperunt filias hominum, et genuerunt gigantes, qui dominati sunt in terra“ (Gen. 6, 4). Cum igitur Cain tantam habeat posteritatem, et primus aedificet civitatem, quomodo verum est, quod sit vagus et profugus super terram?

Respondebimus autem ad literam; nam, quae ex novo testamento de Paulo, Apostolis, Christo et Prophetis quoque addidimus supra, habent aliam rationem. Quod igitur dicit Adam: „Vagus et profugus eris in terra“, sic dicit, ut dimittat Cain sine ullo praecepto. Non dicit ei: Vade ad orientem: non dicit: Vade ad meridiem. Nullum locum nominat, quo debeat ire. Nihil mandat, quod debeat facere; simpliciter ejicit eum; veniat, quocunque velit, et faciat, quicquid velit, non curat. Non addit promissionem tutelae, non dicit: Eris Deo curae; Deus defendet te. Sed, sicut totum coelum aviculae patet, ut liberum sit volare, quo velit, sed nusquam tutum locum habet, ubi sciat, se ab aliarum avium impetu securam esse, ita Cain dimittit Adam. Hoc sentit Cain; ideo etiam addit: „Quicunque me invenerit, occidet“.

Adae alia et melior fuerat conditio: peccaverat, et per peccatum in mortem demersus erat; sed cum ejiceretur e Paradiso, Deus mandabat ei certum opus,

ut in certo loco coleret terram: induerat quoque eum veste pellicea. Hoc, ut supra diximus, signum erat, quod Deus eum curaturus et defensurus esset. Superabat autem omnia illa magnifica promissio facta mulieri de semine, contrituro caput serpentis. Horum nihil Cain relinquitur: dimittitur simpliciter ad incertum locum et opus, non addita ulla vel promissione vel mandato, sicut avis, quae in libero coelo incerta vagatur. Hoc significat proprie vagum et instabilem esse.

Sic sunt instabiles et vagi omnes, qui non habent verbum nec mandatum Dei, quo certus locus et persona certa definitur. Tales fuimus sub Papatu. Non deerant cultus, non operae, non exercitia: sed haec omnia fiebant et suscipiebantur sine mandato Dei. Haec vere fuit Cainica tentatio, carere verbo, et nescire, quid vel credas, vel speres, vel patiare, sed omnia facere et suscipere in incertum eventum. Quis enim unquam fuit Monachus, qui posset affirmare, recte se aliquid fecisse? Erant enim omnia nihil nisi humanae traditiones, et rationis commenta sine verbo. In his vagabamur omnes, et fluctuabamus, sicut Cain, incerti, quid de nobis judicaturus esset Deus, amorene an odio essemus digni? Ita enim tum docebamur.

Sic tota Cain posteritas fuit vaga et instabilis. Non enim habuit promissionem nec mandatum Dei, et fuit sine certa regula tum vivendi, tum moriendi. Itaque, si qui venerunt ad cognitionem Christi, et se cum vera ecclesia conjunxerunt, hoc eis non accidit ex promissione, sed ex mera misericordia.

Sed Seth, qui post est natus, habuit cum sua posteritate promissionem certam, certa loca, certos

ritus cultuum Dei, ubi contra Cain vagus fuit. Etsi enim civitatem condidit Cain, tamen incertus fuit, quamdiu esset eam habitaturus; non enim habebat promissionem Dei. Quae autem sine promissione Dei habemus, incertum est, quamdiu simus habituri; potest enim ea singulis momentis aut turbare, aut auferre Satan. Contra cum incedimus muniti mandato et promissione Dei, ibi Satan frustra luctatur; Deus enim omnia firmat et munit mandato suo.

Etsi igitur Cain esset Dominus totius mundi, et haberet omnes opes mundi, tamen, quia caret promissione divini auxilii, et destituitur custodia Angelorum, nec habet aliud, quo nitatur, quam humana consilia, vere vagus et instabilis est, sicut addit:

Omnis, qui invenerit me, occidet me.

Haec est evidentissima consequentia. Postquam enim destitutus est auxilio Dei et parentis, postquam amisit sacerdotii et regni jus, videt futurum, ut, quisquis eum invenerit, occidere possit. Est enim excommunicatus spiritualiter et corporaliter, et tamen Deus scelerato homicidae duplex beneficium praestat. Amiserat regnum et ecclesiam, retinet autem vitam et posteritatem, Deus enim promittit ei protectionem vitae, et addit ei uxorem. Haec sunt duo beneficia non contemnenda, quae ne quidem sperare potuit Cain, cum audiret hanc primam ex patre sententiam. Valent autem eo, ut possit habere locum, et spatium poenitentiae, quanquam fortuita sint et sine mandato; non enim addit promissionem certam. Sicut nos sub Papatu fortuito, ut sic loquar, venimus ad misericordiam. Non enim praecessit certa promissio, futurum, ut nobis viventibus patefiat

veritas, et manifestetur Antichristus. Contigerunt autem haec duo beneficia propter electos; valde enim credibile est, quod multi ex posteritate Cain salvati sint, qui se conjunxerunt cum vera ecclesia, sicut postea apud Iudaeos etiam locus fuit proselytis et gentibus.

Sic valde dura lex fuit, ne quis ex Moabitis et Ammonitis adhiberetur ad ecclesiasticas operas. Et tamen multi tum Ammonitae, tum Moabitae salvati sunt, qui venerunt ad reges Iudae, et servierunt eis. Sic Ruth mater et proava Salvatoris nostri fuit ipsa quoque Moabitis. Haec fuit, ut sic vocem, fortuita misericordia, non certificata prius per promissionem.

Sic Naaman, sic rex Ninivitarum, sic Nebucad Nezar et Evilmerodach, et alii ex gentibus fortuita misericordia salvati sunt; non enim, ut Iudaei, habebant promissionem de Christo. Ad hunc modum propter electos, qui fortuita misericordia salvandi erant, et vitae protectio, et uxor cum posteritate contingit Cain. Etsi enim posteritas ejus, sicut de Moabitis diximus, sub maledictione victura erat, tamen aliqui Patriarchae ex ista progenie uxores duxerunt.

Et dixit ad eum Dominus: Imo, quicunque occiderit Cain, septuplum punietur.

Hieronymus in epistola ad Damasum, dicit Cain petiisse a Domino, ut occideretur. Atque in hanc sententiam plenis quasi velis navigat, ut nihil dubitet, quin vera sit. Hunc Lyra sequitur, et constanter affirmat, consequentiam textus idem velle. Sed hunc errorem debent acceptum referre suis Rabinis; vera

enim sententia est, quod nemo debeat occidere Cain. Agitur enim hic divinum judicium, et addit Deus homicidae aliquam respirationem, cum vitam donat, et postea uxorem addit.

Porro, cum Deus judicium exercet, quomodo verisimile est, ut homo impius petat mortem? Imo, quia mors est poena peccati, fugit et horret mortem tanquam poenam. Quare nugas istas Rabinicas omittamus; inter quas merito etiam numeratur, quod Lyra refert, de dividendo textu hoc, quod sit sententia: Omnis, qui occiderit Cain, scilicet graviter punietur. Et quod additur: „Septuplum punietur", id exponunt septenis punietur, hoc est, in septima generatione.

Talibus nugis digni sunt Rabini, postquam lucem novi testamenti abjecerunt. Faciunt autem nobis duplicem laborem, dum et textum a talibus depravationibus vindicare et purgare cogimur, et glossas nugacissimas corrigimus. Ego autem ideo eas alicubi soleo recitare, ne videamur eos superbe contemnere, et aut non legisse, aut parum curasse eorum scripta. Legimus enim et intelligimus, ac legimus quidem cum judiciali auctoritate, nec patimur Christum ab eis obscurari, aut depravari verbum Dei.

Dominus igitur hoc in loco non mutat sententiam suam de maledictione Cain super terram. Hanc tamen fortuitam misericordiam ei ostendit propter electos, qui ex ista residua faece ac massa maledictionis salvandi erant, ut dicat, non esse occidendum, sicut metuebat Cain.

Nihil igitur opus est hic lacerare textum; sicut Rabbi Salomon facit, qui post illa verba ‏כָּל־הֹרֵג‏, Qui occiderit *, punctum facit, ut sit Aposiopesis, sicut apud

Vergilium: Quos ego, sed praestat motos componere fluctus (Aen. 1, 135.). Deinde particulam: „Septuplum punietur", ad Cain refert, qui in septima generatione sit occisus. Nam Cain genuit Hanoch, Hanoch Irad, Irad Mehujael, Mehujael Metuschael, Metuschael Lamech.

Nugantur autem, Lamech senem, cum caligarent oculi ejus, a filio Tubal Cain ad venandas et feriendas bestias in silvam abductum, in qua vagus Cain latitabat; ac sibi per errorem, cum feram peteret, Cain occidisse. Hae sunt merae Iudaicae fabulae, et indignae scholis nostris. Deinde etiam pugnant cum veritate textus; non enim, ut Dominus minatus erat, instabilis et vagus super terram fuit Cain, si tempus septimae generationis praefinitum fuit, quo occideretur.

Damnamus itaque ineptam hanc sententiam judiciali auctoritate, quia pugnat cum eo, quod Dominus ante dixit. Non autem Deus, ut homo, mutat sententiam, 1. Regg. 15. (1. Sam. 15, 29.). Itaque hoc in omni scriptura est singulariter observandum, ne sententia posterior pugnet cum priore. Porro quod poenam Lamech dicunt fuisse diluvium, id Lyra quoque refutat; vere enim dicit, id commune fuisse supplicium omnium impiorum. Quare nugas illas relinquamus.

Retinemus itaque veram sententiam, quod, cum Cain metuit, ne occidatur a quovis, Dominus prohibet, ne id fiat, et proponit septuplo majorem poenam.

Disputat autem hic quoque Lyra, quomodo septuplam poenam mereatur, qui Cain occiderit, cum Cain fratrem suum occiderit? Sed quid attinet sol-

nolle inquirere consilium Domini in talibus negotiis, praesertim cum certum sit, quod Cain datur protectio vagae misericordiae, vel, ut nos dicimus, promissio et benedictio legalis.

Duplices enim sunt promissiones, sicut saepe admonuimus, legales, quae, ut sic dicam, nituntur deorsum in nostris operibus; sicut illa: „Si feceritis haec, bona terrae comedetis" (Ex. 1, 19.). Item: „Sum Deus, faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me" (Ex. 20, 6). Qualis illa fuit supra: „Si bonus fueris, erit sublevatio". Habent autem hae promissiones legales plerunque suas comminationes additas.

Aliae sunt promissiones gratiae, hae non habent additam comminationem. Sicut illa (Deut. 18, 18.): „Suscitabo Prophetam similem tibi" etc. Item Ierem. 31. (v. 33.): „Scribam legem meam in cordibus eorum". Item (Gen. 3, 15.): „Inimicitias ponam inter te et semen mulieris" etc. Hae promissiones non nituntur nostris operibus, sed simpliciter bonitate et gratia Dei, quod ipse velit facere, sicut habemus promissiones Baptismi, Coenae Domini, clavium etc., in quibus Deus nobis proponit suam voluntatem, misericordiam et sua opera.

Talem promissionem Deus non dat Cain. Hoc unum dicit: „Qui te occiderit, septuplum punietur". Habebat talem promissionem gratiae Adam, ac Cain, quia primogenitus erat, debebat eam ceu haereditatem a parentibus accipere. Erat autem opulenta et aeternae gloriae promissio, quia promittebatur semen contriturum caput serpentis, sine aliquo merito aut opere humano; non enim habebat additam conditionem: Si sacrificaveris, si bonus fueris etc.

Ad hanc promissionem confer, quod Cain dicitur, esse confirmatum parum; quod nequidem peragitur. Non enim simpliciter ei vita promittitur, nec tantum fit, ut minetur occisuris Cain. Non dicit: Nemo te occidet; non dicit: Gubernabo alios ita, ne te occidant; sic enim licuisset Cain toto regredi ad conspectum Dei et ad parentes. Sed tantum mandat, ne homines occidant Cain. Si igitur est promissio, est talis promissio, quae nititur operibus hominum, et tamen non est contemnenda, sicut legales promissiones maximas res complectuntur.

Augustinus dicit, Deum Romanis dedisse imperium propter egregias virtutes, sicut adhuc hodie etiam illarum gentium majora durant, quae a caedibus, adulteriis, furtis abstinent, quam quae ab his sceleribus non abstinent. Ac politiae secundum rationem optime constitutae plus non habent, quam illas temporales promissiones.

Ecclesia autem habet promissiones gratiae et aeternas, quibus etsi caruit Cain, tamen magnum fuit, relinqui corporales, quod non statim occiditur, quod datur ei uxor, quod nascuntur liberi, quod condit civitatem, colit terram, exercet pecuariam, quod non penitus ab omnium hominum consortio et consuetudine ejicitur. Haec enim omnia non solum potuit Cain eripere Deus, sed etiam addere pestem, epilepsiam, apoplexiam, calculum, podagram, et quid non? Et tamen homines curiose disputant, quomodo Deus maledictionem Cain possit septies multiplicare.

Sicut igitur supra omnes benedictiones, tum spirituales seu ecclesiasticas, tum politicas a Cain aufert, ita hic mitigat eam sententiam, ac praecipit, ne quis Cain occidat. Non tamen promittit futurum, ut

atrox et horribilis poena est, quod cogitur id ferre Cain per omne tempus vitae suae in poenam horribilis caedis. Ac foedo hoc signo notatus, invisus et abominabilis mittitur a parentibus in exsilium. Quanquam enim ei vita conceditur, quam rogaverat, tamen est ignominiosa vita, quae infamem notam homicidii habuit additam, non ideo solum, ut ipse admoneretur peccati commissi et confunderetur, sed ut alii quoque a caedibus faciendis absterrerentur. Nec potuit hoc signum ulla poenitentia aboleri, sed coactus est hanc notam irae Dei tanquam poenam homicidii ferre, sicut exsilium, maledictionem et alia.

Notandum autem hic, supra esse verbum הָרַג, quod significat occidere; hic autem est verbum נָכָה, quod significat percutere. Dat igitur ei securitatem non solum a morte, sed etiam a periculo mortis. Sed est, ut supra dixi, securitas legalis; tantum enim prohibet, ne quis Cain occidat, et minatur septuplam poenam. Non promittit, futurum, ut huic mandato omnes obtemperent. Melius tamen est, Cain habere hanc legalem promissionem, quam si prorsus sine promissione esset.

Et egressus est Cain a facie Domini, et habitavit in terra Nod ab oriente Eden.

Est hic quoque textus mirabilis, ac mirum est, quod Rabini suo more non hic aliquid prodigiosum confinxerint. Relinquit autem Moses hic lectoris diligentiae, ut cogitet, quam miserabilis et plena lacrymis haec fuerit profectio. Parentes pii amiserant Habel; nunc quoque mandato Domini alter filius in exsilium proficiscitur, plenus maledictionibus ob peccatum, quem tamen parentes promissionis divinae

sperarent unicum haeredem fore, et ideo impense amaverant a cunis. Parent tamen Adam et Heva mandato Dei, et abjiciunt filium ex mandato Dei.

Merito igitur commendatur hoc in loco obedientia erga Deum, seu timor. Ac didicerant experientia propria in Paradiso, quam non esset leve peccatum, discedere a mandato Dei. Itaque cogitarunt: Ecce nostrum peccatum punitum est morte et infinitis aliis calamitatibus, in quas sumus conjecti, postquam Paradiso pulsi sumus. Nunc, cum filius quoque peccarit atrociter, non decet nos repugnare voluntati Dei et justo judicio, quanquam nobis acerbissimum sit.

Nota est historia Thecoitidis, quam Ioab instruxit, ut intercederet pro exsule Absalom. Commemorat enim, postquam unum filium amiserat, iniquissimum esse, si etiam altero privetur. Et Rebecca ad Isaac maritum dicit, postquam senserat indignationem Esau (Gen. 27, 45.): „Cur privabor utroque filio?“ Hunc dolorem Adam et Heva vicerunt, et mortificaverunt hoc modo paternum et maternum affectum. Nam praeterquam, quod senserunt voluntati Dei parendum esse, etiam suo exemplo admoniti sunt. Antea propter peccatum ex Paradiso ejecti erant, nunc, si filium contra Dei voluntatem retineant, metuunt, ne ex omni terra ejiciantur.

Profecto memorabilis haec historia est, quae egregie commendat obedientiam erga Deum, et hortatur ad timorem Dei. Sicut Paulus quoque facit in epistola priore ad Corinthios, quae tota contra securitatem humanorum cordium scripta est. Deus enim est misericors, sed ideo non peccandum est; est enim misericors iis tantum, qui timent eum.

Sicut autem parentibus luctuosissimum fuit, amit-

tere filium, ita quoque Cain hanc profectionem existimo fuisse acerbissimam. Non enim communem domum tantum, non tantum caros parentes, non protectionem tantum parentum cogitur deserere, sed etiam haereditarium jus primogeniturae, praerogativam regni et sacerdotii et ecclesiae communionem.

Ideo dicit textus, egressum a facie Domini. Diximus autem supra, quid scriptura vocet faciem Domini, nempe res illas, quibus Deus ostendit, nobis se adesse. Sic facies Domini fuerunt in veteri testamento columna ignis, nubes, propitiatorium, in novo testamento Baptismus, Coena Domini, ministerium verbi et similia. His enim nobis ostendit se Deus tanquam signo visibili, quod sit nobiscum, quod curet nos, quod faveat nobis.

Ab isto loco igitur, in quo Deus se esse declarabat, ubi Adam tanquam summus Pontifex residebat, tanquam dominus terrae, egressus est Cain, et venit in alium locum, ubi nulla erat facies Dei, ubi nullum visibile erat signum, quo se posset consolari, quod Deus adesset et faveret, praeter illa omnibus communia, etiam bestiis, scilicet usum solis, lunae, diei, noctis, aquae, aëris etc. Haec enim non sunt signa illius immutabilis gratiae, sed sunt benedictiones, seu benevolentiae signa omnium creaturarum.

Miserabilis igitur illa egressio Cain fuit et plena lacrymis, quod cogitur discedere a parentibus, qui ei nunc solitario et vago addunt filiam in uxorem, quae cum eo vivat, incerti, quae filii et filiae fortuna futura sit. Itaque etiam ex ea re augetur dolor, quod ternos liberos amittunt; quae enim alia

potest cogitari ratio ejus, quod post subjicitur: „Et cognovit Cain uxorem suam"?

Ubi igitur mansit Cain? Respondet Moses: „In terra Nod": hoc nomen sortitur terra a vago et instabili habitatore. Ubi autem sita est terra haec? Ultra Paradisum ad orientem scilicet. Est autem hic insignis locus. Venit Cain in certum locum ad orientem positum, sed illo cum venit, non fuit securus nec tutus; erat enim terra Nod, in qua non poterat figere pedem certum, quia nulla ibi erat facies Dei; hanc enim reliquerat apud parentes, qui habitabant ita, ut Paradisum vel a latere vel ad occidentem haberent. Cain autem profugus petiit orientem, ita ut discernerentur Cainitae a posteritate Adae per Paradisum in medio positam. Probat autem hic locus, Paradisum mansisse, postquam Adam inde pulsus est, et demum per diluvium totam vastatam esse.

Non abludit quoque hic locus ab illorum opinione, qui sentiunt, Adam creatum in agro Damasceno, et postea pulsum propter peccatum, habitasse quoque in Palaestina, ita ut medium Paradisi fuerit, ubi postea Ierusalem, Bethlehem et Iericho fuerunt, in quibus locis Christus et Ioannes plurimum vixerunt. Nam quod praesens situs locorum male ad id convenit, diluvii ea vastitas est, quo et montes et flumina et fontes fluminum mutati sunt. Ac potest fieri, ut, ubi postea Calvariae locus fuit, in quo Christus se obtulit pro peccatis mundi, ibi, stante adhuc Paradiso, fuerit illa arbor scientiae boni et mali, ut ita respondeant sibi, quod ad locum attinet, mors et perditio per Satanam, et vita ac salus per Christum parta.

Daniel quoque non frustra utitur nova phrasi

cap. 9, (v. 26.): „Et finis ejus erit in inundatione“. Quasi dicat: Prior Paradisus per diluvium disjecta et vastata est; illa altera Paradisus, in qua redemtio facta est, vastabitur per inundationem Romanorum.

Convenit autem cum his cogitationibus etiam illud, quod, sicut Babel fuit exitio Iudaico populo, ita statim hoc malum coepit, ut Cain et sua posteritas eam partem terrae habitarint, ubi postea Babel condita est. Sunt hae meae cogitationes et conjecturae, ex Patribus partim sumtae, quae si non verae, tamen et probabiles sunt, et nihil habent impium. Nam Noah post diluvium longe aliam totius terrae faciem vidit, quam antea; disjecti enim sunt montes, rupti fontes, mutati cursus fluminum ista immensa vi aquarum grassantium.

Et cognovit Cain uxorem suam, quae concepit et peperit Haenoch, exstruensque civitatem, vocavit nomen illius civitatis juxta nomen filii sui Haenoch.

Dignum est admiratione, quod Moses prius describit generationem filiorum Cain, quam filiorum Dei. Sed fit hoc secundum certum Dei consilium; nam filii hujus seculi in hac vita vincunt filios Dei secundum primam promissionem. Nam semen mulieris obtinet benedictionem spiritualem, sed semen serpentis vendicat sibi benedictionem corporalem; mordet enim calcaneum seminis benedicti. Ad hunc modum animale est prius, spirituale autem posterius.

In eo autem postea magna oritur dissimilitudo. Etsi enim posteritas Cain priore loco commemoratur, tamen piorum posteritatem videmus Spiritui sancto magis curae fuisse. Non enim nudum catalo-

gum nominum ponit, sed numerat diligenter annos eorum, commemorat mortem, narrat non solum, quid ipsi fecerint, sicut de filiis Cain hoc loco narratur, sed quid cum eis fecerit et locutus sit Dominus, quid promiserit, quomodo servarit in periculis, quomodo benedixerit? etc.

Horum nihil commemoratur in posteritate impia Cain. Sed cum dixit: Cain genuit filium Haenoch, et condidit civitatem, cui filii nomen indidit, statim praecidit memoriam ejus, et his quasi verbis totum eum sepelit, ita ut non vitae, non mortis ejus rationem aut curam aliquam habuisse videatur. Tantum commemorat benedictionem corporalem, quomodo generarint, et quomodo aedificarint. Sicut enim donum generationis homicidae Cain non est ereptum, ita etiam dominii donum ei non est ereptum. Benedictionem tamen terrae tam uberem amisit, quod terra sorbuit sanguinem fratris ejus, sicut supra ostendimus.

Commemorat autem Spiritus sanctus haec ideo, ut videamus, statim initio fuisse duplicem ecclesiam, alteram filiorum Satanae et carnis, quae magna incrementa et subito sumit, alteram filiorum Dei, tardos progressus facientem et imbecillem. Etsi autem non meminit scriptura, quomodo inter se vixerint, tamen, quia dictum est: „Ponam inimicitias inter te et semen illius", certum est, ecclesiam Cain infensissimam fuisse ecclesiae Adae, et ostendit quoque textus satis clare, filios hominum ita praevaluisse, ut paene totam ecclesiam filiorum Dei perverterint. Nam in diluvio non nisi octo homines servati sunt, reliqua omnis generatio propter peccatum in aquis periit.

Est autem haec usitata calamitas omnium seculorum. Cum enim vera ecclesia sumit incrementa, magno conatu se opponit Satanae et impiis. Sed improbitate hostis defatigatur, et aut hosti saevienti cedit, victa cruce et afflictionibus, aut succumbit voluptatibus et opibus. Sic Adae posteritas, fracta tam diuturno bello cum filiis hominum, succubuit usque ad octo homines, qui servati sunt. Praevalente itaque impietate, et cedentibus etiam piis, venit tandem Dominus, ac pias reliquias servat: reliquos autem, tum seductores, tum seductos involvit in idem judicium, et punit, sicut speramus et credimus futurum in ultimo judicio.

Hic multae oriuntur quaestiones. Nam et de uxore Cain quaeritur, et de tempore caedis factae, num fecerit caedem, antequam maritus esset, aut in conjugio? Ac Iudaei dicunt, Hevam singulis partibus gemellos peperisse, masculum et feminam. Itaque Cain duxisse sororem Calmana, Habel autem Diboram. Haec verane sint, an non, nescio, et non periclitantur in eo res ecclesiae, etiamsi de his non constet.

Hoc certum est, Cain habuisse in uxorem sororem suam. An vero Cain tum habuerit uxorem, cum caedem fecit, etsi certum ostendi non possit, tamen textus in eam sententiam fere inclinat, quod fuerit tum maritus. Dicit enim, divisam haereditatem fratribus, cum Habel pecuaria, Cain autem agricultura mandatur a parente; itaque crediderim, ambos fratres fuisse conjugatos.

Ac facit huc, quod supra dictum est, post finem dierum obtulisse Cain et Habel; id enim sic exponunt, quod sub finem anni obtulerint novi mariti de

novis frugibus, primo conjugii anno donatis, Cain primitias terrae, Habel autem primitias ovium. Anni tempus id fuit autumnale, cum jam ex agris terra nata collecta sunt, sicut Iudaei postea sub id tempus habuerunt festum expiationis. Videtur enim Moses diligenter notasse et collegisse exempla Patrum, et ea redegisse in legem. Cum itaque novi mariti, gratias Deo pro benedictione acturi, offerrent dona, et donum Habel Deo gratum esset, ibi Cain cor impletum est a Satana odio fratris, et postea est miserabilis haec caedes secuta.

Haec Iudaeorum sententia est, quam ideo recito, quod non videtur abludere a vero. Nam, ut supra dixi, cum judiciali auctoritate sunt legendi, ut retineamus verisimilia, ficta autem damnemus et refutemus.

Si autem Cain tum non fuit maritus, profecto longe mirabilior res est, quod postea uxorem nactus est, ac magnifice laudanda puella est, quae ei nupsit. Quomodo enim potuit gaudere nuptiis fratris, qui homicida, maledictus et excommunicatus erat? Ac sine dubio patri supplicavit, cur se innocentem cum maledicto homine conjungeret, et in exsilium protruderet? Exemplum quoque ipsam merito terruit, ne, quod in fratrem ausus erat, etiam in sororem et conjugem auderet.

Oportuit igitur Adamum in conciliandis hisce nuptiis optimum oratorem esse, ut persuaderet filiae, ne patris mandatum recusaret: etsi Cain maledictus sit, et ferat poenam sui peccati, tamen Deum ipsam innocentem servaturum, eique esse benedicturum.

Nec mihi sane dubium est, quin propter uxorem, in sancta fide erga Deum et obedientia erga

parentes fratri sanguinario nubentem, Deus multas privatas benedictiones Cain in omnem posteritatem contulerit; sicut enim Christus minister circumcisionis fuit propter veritatem et certitudinem promissionis Iudaeis factae, gentium autem minister fuit propter misericordiam (Rom. 15, 8. 9.) (nam promissionem nullam habuerunt), ita quoque posteritati Cain fortuita illa misericordia contigit.

Duae igitur opiniones de conjugio Cain sunt; utra vera sit, nescio. Si post caedem factam maritus factus est, profecto singulari laude ornanda et praedicanda est uxor ejus, quod parentum auctoritati cessit, et se cum homicida maledicto conjungi est passa. Mihi tamen prior sententia videtur similior veri, ideo quod manifestum testimonium in textu habemus de haereditate divisa. Ac tum necessitas incubuit uxori ejus, ut sequeretur eum. Quia enim uxor et maritus unum corpus sunt, noluit eos separare Adam. Atque uxor coacta est ferre partem calamitatum mariti, sicut e contra posteritas Cain tulit partem benedictionum, quae innocenti uxori obveniebant. Pharao Aegypti tempore Ioseph salvatus est; rex Ninivitarum salvatus est, etsi non essent de populo Dei. Ita de posteritate Cain puto aliquos servatos, quanquam Cain promissionem de semine benedicto penitus amisisset.

Cainica posteritas.

Quod ad nomina posteritatis Cainicae attinet, puto, ea quoque, sicut piorum Patriarcharum, non vana, nec temeraria, sed certi consilii et divinationis cujusdam esse. Adam significat hominem, Heva matrem viventium, Cain possessionem, Habel vanitatem.

Hujusmodi significationes etiam in multis gentilium nominibus sunt; verae enim quaedam in nominibus divinationes non nunquam sunt.

Ita Haenoch est nomen ominis, et spei futurae ad refrigerium Cain, seu potius uxori ejus, quae appellavit eum Haenoch a חָנַךְ, dedicavit, initiavit. Est autem verbum in Mose usitatum, ut, cum dicit: „Si quis aedificaverit domum, et eam nondum dedicaverit, non egrediatur ad bellum" (Deut. 20, 5.). Significat autem dedicare hoc loco, possidere, frui. Id cum primum fit, fit semper cum felici omine et fausta precatione. Ita, cum peperit uxor Cain, dixit Cain: חֲנוֹךְ, dedica, initiare; est enim imperativum verbum, quasi dicat: Felix et auspicatum hoc sit initium. Maledixit mihi pater Adam ob peccatum; ejectus sum a facie ejus: nunc solus habito, terra non dat mihi vim suam; uberius daret, si non peccassem: et tamen Deus nunc ostendit fortuitam misericordiam: bonum et laetum hoc est initium. Es gehe wol an.

Sicut autem hic Haenoch in generatione Cainica est initium benedictionis corporalis, ita postea in generatione piorum est Haenoch, sub quo iterum incipit florere religio et benedictio spiritualis.

Ad historiam pertinet, quod de condita civitate additur. Dixi autem supra, Cain separatum a vera ecclesia, et propulsum in exsilium, odisse veram ecclesiam. Quod itaque civitatem primus aedificat, pertinet id quoque eo, ut ostenderet, se veram ecclesiam non solum negligere, sed et opprimere velle. Ita enim cogitavit: Ecce a patre sum in exsilium pulsus, sum maledictus, sed contigit non sterile conjugium; spes itaque est magnae posteritatis. Quid

igitur ad me, quod a patre pulsus sum? Civitatem aedificabo, in qua mihi ecclesiam colligam. Valeat pater cum sua ecclesia.

Non igitur propter metum et defensionem aedificavit civitatem, sed propter certam spem successus et superbiam ac dominandi libidinem. Nam patrem et matrem nihil necesse erat ut metueret, qui eum jam propulerant in alienam terram. Nec etiam a liberis suis potuit metuere. Sed inflatur fortuita misericordia, et, sicut mundus solet, quaerit occasionem emergendi, ubi contra filii Dei solliciti sunt de alia civitate, habente firma fundamenta, et aedificata ab ipso Deo, sicut epistola ad Ebraeos loquitur cap. 11, (v. 10.).

Porro ipsi Haenoch natus est Irad.

De hujus nomine quid divinem, nescio; obscurior enim est origo, et tamen existimo, hoc quoque esse nomen ominosum, non fortuitum. In libro Iosua est civitas Ai, et usurpatur idem vocabulum appellative. Significat autem vocabulum עַי *) cumulum, quales sunt aedificiorum dirutorum. Quodsi cum hoc nomine componas verbum יָרַד, significat cumulum descendentem. Vocavit itaque Haenoch filium Irad, ut prosper sit, et descendat cum magno cumulo, ut, quanquam propter excommunicationem sit posteritas Cain tanquam vastus cumulus, tamen non penitus pereat, sed servetur et crescat. Si quid alius melius habuerit, non aspernabor; nam in obscuris divinandum est.

*) Rectius עִי.

Irad genuit Mehujael.

Hoc nomen factum a מָחָה *) quod significat delere, et יָאַל incepit, vel ausus est, ut significet, nunc posteritatem Cain ea incrementa sumsisse, ut ausit se opponere verae ecclesiae, et veram ecclesiam contemnere ac persequi; tanquam praevalentes opibus, sapientia, gloria, multitudine. Haec enim fere sunt, quibus semper vera ecclesia vincitur a mundo et falsa ecclesia.

Mehujael genuit Methuschael.

מַת significat mortem, שָׁאַל petere, postulare, inde Saul (שָׁאוּל), id est, postulatus. Hoc nomen est superbius aliis omnibus; sic enim intelligo, quod minentur, se vindicaturos mortuos suos parentes, quos excommunicatione et exsilio altera ecclesia mulctaverat.

Methuschael vero genuit Lamech.

Cainitae videntur hactenus impune insultasse verae ecclesiae et triumphasse. Sed vocabulum Lamech significat, Deum isto tempore, quo Lamech natus est, sumsisse de eis supplicium. Est enim a verbo מָכַךְ, quod significat humiliare, attenuare, supprimere. Vel active potest accipi, quod tum ita creverit posteritas Cain, ut ab iis vera ecclesia plane fuerit oppressa.

Haec est Cainica posteritas, viri sine dubio sapientia et dignitate praestantis **): ac credo, aliquos ex eis salvatos esse secundum misericordiam fortuitam, ut supra dixi. Major tamen pars et infensissime

*) Edit. princ. Mahal.

**) Lege praestantes.

odit veram ecclesiam et persecuta est. Noluerunt enim inferiores esse filiis Adae; ideo et cultus suos, et alia instituerunt ad opprimendam ecclesiam Adae.

Quia autem hoc modo separata fuit falsa ecclesia a vera, credo, Cain junxisse matrimonio filios et filias suas. Ac sub Lamech coepit multiplicari maxime posteritas Cain; ideo hic Moses finit catalogum.

Et accepit Lamech sibi duas uxores; nomen unius Ada, et alterius nomen Zilla.

Hic duplex quaestio nascitur; primum enim disputant theologi, an propter libidinem, an vero ob aliam causam Lamech duas uxores duxerit? Ego non puto, tantum propter libidinem factum esse polygamum, sed studio augendae suae familiae et cupiditate dominandi, praesertim si, ut nomen ostendit, punivit tum Dominus Cainicam posteritatem vel peste vel alia calamitate. Ibi putavit Lamech, hoc modo restaurandam illam ruinam: sicut adhuc hodie barbari populi polygamiam retinent, tum ad oeconomiam, tum politiam firmandam et stabiliendam.

Alteri uxori Lamech est nomen Adah, quasi dicas ornata, seu torquata. Nam עֲדִי significat mundum muliebrem, et עָדָה verbum, ornare, induere. Hoc nomen fortasse non tantum habuit, quod esset domina domus, eleganter ornata, sed quod etiam formosa esset. Alteri nomen est Zilla, quod significat umbram ejus.

Genuitque Ada Iabal, qui fuit pater habitantium in tentoriis, et pastorum.

Iabal est a verbo יָבַל, quod significat afferre, producere.

Nomen vero fratris ejus Iubal: ipse fuit pater canentium cithara et organis.

Est eadem origo; significat enim adductum, productum. Continent autem haec duo nomina votum de familia augenda. Nam posteritas Cain hoc spectavit, ut numero superaret. Ac sine dubio eam benedictionem opposuit verae ecclesiae, tanquam evidens argumentum, quod non abjecti essent a Deo, sed essent ipsi quoque populus Dei.

Zilla quoque genuit Tubal Cain, qui fuit faber in omni artificio aeris et ferri, soror vero Tubal Cain Naaema.

Tubal Cain, id est: Affer possessionem, sicut Latini vocant Valerios vel Augustos. Naaema habet nomen a suavitate seu forma.

Haec Cainitarum est posteritas aucta in infinitum; itaque Moses eam abrumpit.

Quod autem non solum nomina recenset, sed etiam, quae cujusque operae, et qui labores fuerint, commemorat, Iudaeorum est repudianda opinio, qui ideo fingunt, posteritatem Cain ad alias artes exercendas coactam, quod terra ipsis maledicta esset: parasse itaque victum alia ratione, alios factos pastores, alios fabros aerarios, alios musicae dedisse operam, ut ab Adae posteris frumentum et alia terra nata ad victum necessaria compararent. Sed, si ita fame pressi essent Cainitae, citharae et aliorum organorum musicorum in ista inopia obliti essent; nam musicae non est locus apud famelicos et sitibundos.

Quod autem musicam invenerunt, quod aliis artibus excogitandis dederunt operam, argumento est,

abundasse, eos omnibus, quae ad victum requiruntur. Ideo autem versos ad hanc curam, nec contentos rudi victu fuisse, sicut Adae posteros, quod volebant dominari, quod singularem laudem et gloriam captabant, tanquam homines ingeniosi. Credo tamen, fuisse inter eos aliquot, qui transierunt ad veram ecclesiam, et religionem Adae secuti sunt.

Sicut autem Moses hic describit generationem impiorum, seu falsae ecclesiae, quae fuit ante diluvium, ita haec semper sui similis est, et manebit talis, usque ad diluvium ignis. „Filii enim mundi hujus sunt in suo genere sapientiores filiis lucis" (Luc. 16, 8.). Ideo sua promovent et augent, se et sua commendant, consequuntur opes, dignitates, imperia. Vera ecclesia interim jacet contemta, vexatur, opprimitur, excommunicatur etc.

Dixitque Lamech uxoribus suis, Adae et Zillae: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentem in livorem meum.

Hactenus recitavit Moses generationem filiorum seculi, et hoc catalogo absoluto, sepeliit quasi eos, nulla relicta promissione, neque futurae nec praesentis vitae. Nam praeter illam fortuitam benedictionem generationis et victus nihil habent. Ita tamen creverunt potentia et multitudine, ut implerent totum orbem terrarum, et tandem etiam sanctam generationem filiorum Dei, quae habebat promissionem futurae vitae, subverterent, vastarent ac in tam profundum infernum impietatis demergerent, ut tantum octo homines manerent superstites. Etsi autem non du-

dubium est, quin aliqui tam ante diluvium, quam in diluvio sint salvati, tamen scriptura ideo id non dicit, ut timeamus Deum, et secundum verbum ejus ambulemus. Sed plane adamantina hominum corda sunt, quae illo exemplo diluvii, quo nihil tota temporum series atrocius habet, non moventur *).

Sepultis ergo impiis in hunc modum Moses unum parvum factum de Lamech recitat, quod tamen quale fuerit, non explicat. Itaque haud scio, an ullus alius in scriptura sancta sit locus tam varie tractatus et laceratus, ut ille. Nam ignorantia, si non facunda, saltem multis opinionibus et erroribus fecunda est, ubi contra veritatis simplex oratio est. Recitabo autem vulgares opiniones.

Iudaei talem fabulam fingunt, Lamech senem et caecutientem jam, ab adolescente deductum in silvas, ad venandas et configendas feras, non carnium sed pellium causa (haec profecto absurda sunt, et statim arguunt mendacium); latuisse autem Cain in densis vepretis, ac ibi in solitudine non solum egisse poenitentiam, sed quaesivisse securitatem aliquam. Puerum itaque, qui Lamech telum dirigebat, suspicatum in vepreto feram esse, ac jussisse, ut Lamech eam feriret; Lamech emisisse telum, ac praeter opinionem confodisse Cain. Postquam autem rescivit de caede a se facta, percussisse puerum, qui ipse quoque ex eo ictu interiit. Sic dicunt virum et juvenem a Lamech occisum.

Sed indigna haec sunt, quae refutemus. Nam ipse Moses satis refutat, qui dicit, Cain non fugisse in solitudines, sed condidisse civitatem, hoc est, ad-

*) Edit. princ. non movetur.

ministrasse rempublicam, et quasi regnum sibi stabilivisse. Deinde etiam non conveniet aetas; non enim verisimile est, Cain vixisse usque ad Lamech jam senem et caecutientem.

Aliud Iudaicum commentum est, quod, postquam occidit Lamech Cain, uxores ejus metu poenae irrogandae noluerunt amplius cum eo cohabitare. Lamech itaque, ut et consolaretur, et sibi reconciliaret uxores, dixisse, septuagies septies punitum iri, qui ipsum occideret. Nugantur etiam de filiis, quos docuerit arma parare in perniciem hominum. Alii dicunt, sententiam esse negativam: Si occidissem virum, sicut Cain occidit fratrem suum, tum essem dignus, quem reprobaretis etc.

Mea sententia igitur haec est, ut existimem verba illa, („Si septuplum vindicabitur Cain" etc.) non esse aestimanda tanquam vocem Dei. Nam generatio illa non habuit verbum: quomodo igitur, cum verbum Dei non habuerit, Lamech propheta fuisse censeri potuerit? Sicut Hieronymus quoque fingit; quia enim ab Adam usque ad Christum secundum Lucam generationes totidem colligi possunt, dicit, quod post septuaginta septem generationes per Christum peccatum Lamech sublatum sit. Hoc modo si nugari licebit, non erit difficile quidvis ex scriptura fingere. Obliviscitur autem Hieronymus, quod Lamech est septimus a Cain. Igitur haec vox non est aestimanda, sicut illa superior ad Cain; ea enim divina vox fuit. Haec autem est vox hominis impii et homicidae, non vera, sed temeraria, ficta ex illa Adae ad Cain. Cur enim non in ecclesia sua, sed domi suae et tantum coram uxoribus suis haec concionatur?

Potest autem fieri, ut uxores bonae et piae ex caede a marito facta sint perturbatae. Impius igitur homicida, ut similis patri Cain videretur, hoc modo uxores suas confirmare voluit, ne putarent, eum occidendum esse. Hoc enim impia ecclesia solet, vult prophetare ex suo capite, sed prophetiae tales vanae sunt. Hoc unum ex textu possumus habere, quod non ex verbo Dei, sed ex suo capite haec Lamech concionatur.

Quod autem ad Cain attinet, non puto, eum a Lamech occisum, sed longe ante Lamech exstinctum esse. Quia autem fuerunt perpetuae inimicitiae inter ecclesiam Cainicam et Adae, (nam Cainitae non passi sunt se pro excommunicatis haberi) existimo Lamech occidisse aliquem insignem virum, et puerum aliquem de generatione justorum, sicut pater ejus Cain occiderat Habel, et quod deinde hoc modo voluerit ad exemplum Cain se tueri. Nam fuit sine dubio vir excellentissimo ingenio, et in republica maximus. Atque auxit rem suam familiarem novo exemplo, quod primus duas uxores duxit, ac ecclesiam piorum vexavit varie, sicut solent homines, qui ingenio valent, et etiam malitiosi sunt. Ideo instruit suos armis, opibus, voluptatibus, ut omni ex parte veram ecclesiam vinceret, quae sanctam fidem et purum verbum ac cultus puros habebat, eosque unice curabat; reliqua curabat negligentius.

Verisimile autem est, sub id tempus primum Patriarcham Adam mortuum esse. Eam itaque occasionem arripuit Lamech, ut omne imperium ad se transferret, et solus gubernaret omnia, sicut adhuc mundus solet; ecclesia enim, tanquam in medio posita, utrinque premitur, a tyrannis, sanguinariis et

ab his, qui voluptatibus et curis hujus seculi incumbunt; sicut enim tyranni vi et gladio utuntur, ita hi blanditiis invitant.

Ideo Moses singulari studio commemorat, sanguinarium semen Cainitarum etiam voluptatibus et aliis curis mundi se dedidisse. Ac ostendit Christus quoque, multum sanguinis etiam ante diluvium esse fusum, cum dicit, Matth. 23, (v. 35.): „Veniet super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Habel justi, usque ad sanguinem Zachariae". Et quod infra dicit Moses, repletam fuisse terram ante diluvium iniquitatibus, non tantum loquitur de iniquitatibus et injuriis furum, adulterorum etc. Tyrannidem notat ecclesiae Cainicae, quae gladio saeviit in sanctam posteritatem Adae, atque hanc ob causam posteros Cain gigantes vocat.

Haec faciunt, ut existimem, Lamech imitatum esse morem patris sui Cain, et occidisse aliquem insignem ex sanctis Patribus virum una cum filio.

Vere autem tyrannicum est, quod reprehensus ab uxoribus non dolet ob factum, sed, etsi poena sibi metuenda sit, eam contemnit. Occidi, inquit, virum, quid hoc ad vos? Est id in meum vulnus, ego vulnerabor, non vos. Occidi adolescentem, est id in meum livorem, hoc est, ego plectar, non vos. Quid potuit dici contemtius in manifesto peccato? Haec mea cogitatio est. Ostendit enim textus, fuisse Cainitas tyrannos fortunatos et voluptuarios. Et ipsa verba Lamech ostendunt hominem superbum, non dolentem de caede facta, sed etiam gloriantem tanquam in justa causa. Nam Cainica ecclesia semper excusat tyrannidem, qua in pios utitur. Sicut Christus dicit

(Ioh. 16, 2.): „Quicunque occiderit vos, putabit se obsequium praestitisse Deo“. Itaque Lamech addit:

Si septuplum vindicabitur Cain, certe Lamech septuagies septies.

Praefert se patri, tanquam justiorem causam habuerit caedis, ut se muniat contra eos, qui caedem vindicaturi erant. Non enim Domini sunt verba, sed propria ipsius Lamech, sicut Papa, qui se vi, tyrannide, minis, anathemate munit, ut possit securus esse; habet enim conscientiam Cainicam et Lamechanam. Noverit, inquit, is se incurrere indignationem Divorum Petri et Pauli, quisquis contra haec fecerit.

Nam Lamech est exemplum mundi, in quo Moses voluit ostendere, quale mundus cor, voluntatem et sapientiam habeat. Quasi dicat: Sic facit semen serpentis, sic faciunt filii hujus seculi: colligunt opes, sectantur voluptates, quaerunt potentiam, et ea per tyrannidem abutuntur contra veram ecclesiam, quam persequuntur et occidunt. In tantis peccatis autem non pavent, sed superbi et securi sunt, ac gloriantur (Psalm. 11, 3.): „Quid faciat justus?“ (Psalm. 12, 5.): „Labia nostra nobiscum sunt. Quis noster Dominus est?“ Item (Psalm. 10, 11.): „Dicit impius in corde suo: Oblitus est Deus, abscondit faciem suam, non respiciet in perpetuum“ etc.

Hanc hujus loci sententiam etsi verba et textus non plane ostendunt, tamen ipsa res arguit; ecclesia vera enim semper habet hostem Satanam. Ille impellit sub specie sanctitatis Cainitas contra fratrem, sicut Christus dicit, Ioh. 8, (v. 44.), Diabolum esse homicidam ab initio. Et in scriptura passim de ecclesia praedicatur, quod sanguinem ejus fundant im-

pii. Notae sunt sententiae Psalmorum (Psalm. 72, 14.): „Sanguis eorum honorabilis coram illo". (Psalm. 116, 15.): „Pretiosa mors sanctorum in conspectu ejus". (Psalm. 44, 23.): „Propter nomen tuum occidimur tota die". Huc adhibe historias.

Ergo cum ecclesia omnibus temporibus dederit sanguinem suum hauriendum impiis et falsis fratribus, etiam illo primo tempore hostes suos passa est, quos scriptura gigantes vocat, et dicit, replevisse eos terram injuriis. Inter hos etiam Lamech ille fuit, similis forte Iulio secundo aut Clementi septimo, qui, etsi summam crudelitatem exercuerunt, tamen voluerunt videri et dici sanctissimi. Sicut Lamech vult videri justam causam caedis habuisse.

Ideo longe majorem poenam minatur vindicaturo caedem illam, quam illa divinitus in interfectorem Càin constituta fuerit.

Ad hunc modum ecclesia cruce et persecutionibus ab initio mundi vexata est, donec Deus improbitate hominum cogeretur universum mundum diluvio perdere. Sic cum Pharaonis malitia impleta esset, demersus est in mare: cum gentium malitia impleta esset, per Mosen et Iosua vastatae et eradicatae sunt. Eadem ratione postea Iudaei, cum evangelium persequerentur, sic vastati sunt, ut ne lapis super lapidem Hierosolymis relinqueretur. Similia exempla sunt Babyloniorum, Medorum, Persarum, Graecorum, Romanorum.

Non igitur dicit scriptura, quem occiderit Lamech; tantum dicit, caedem esse ab eo factam, et Lamech impoenitentem exemplo patris Cain se voluisse defendere, promulgata lege, quae argueret, habuisse eum justam caedis causam. Quodsi haec

sententia non vera est, tamen hoc verum est, quod Cainitarum generatio sanguinaria fuerit, et veram ecclesiam odio habuerit, ac persecuta sit.

Deinde etiam hoc verum est, quod Lamech non habuerit verbum. Itaque vox ejus non intelligenda est, sicut illa ad Cain, quae veritatis vox fuit, sed Lamech vox est vox superbiae, quae pingit regnum Satanae et hypocriticam ecclesiam, securam in peccatis, et gloriantem tanquam re bene gesta.

Generatio justorum.

Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Habel, quem occidit Cain.

Hactenus de impiorum generatione Moses concionatus, quam totam hac brevi enumeratione tanquam sepelit. Nunc convertit se ad descriptionem piorum et verae ecclesiae. Ac primum observanda hic phrasis est, quod de Seth dicitur; „Et vocavit nomen ejus Seth". Hoc non de Cain nato, non de justo Habele dixit: non item postea de Henoch, non de reliquis dicit, ut scilicet significet, hunc esse primum, in quem promissio, parentibus in Paradiso facta, derivata sit. Atque id etiam Heva significat, cum rationem hujus vocationis seu nominis exponit. Non obscure autem ostendit Heva hoc in loco fidem et pietatem suam, quod hunc tali nomine nominat.

Quod autem recolit fratricidii facti ab impio Cain, arguit id quoque, fuisse acres inimicitias inter istas duas ecclesias, et Hevam multa indigna et vidisse et passam esse a Cainitis. Ideo memoriam eas-

de tam indignae revocat, quod Cain voluit delere semen justum, ut ipse solus dominaretur. Sed Deo gratia, inquit, qui mihi aliud semen posuit pro justo Habele.

Moses suo more brevibus verbis maximas res complectitur, ut excitet lectorem ad diligentem considerationem operum Dei. De luctu et justo moerore parentum supra diximus. Ac non video ego causam, cur non credam, post istam caedem factam nullum filium usque ad Seth Adae natum esse. Admonuit pios parentes periculum, quod experti erant, ut a generatione abstinerent. Itaque credo, singulari promissione per Angelum data iterum confirmatos et animatos esse, futurum, ut ejusmodi filius eis nascatur, qui solidam promissionem habeat, ut, etsi generatio Cain propter peccatum tota pereat, tamen hujus filii generatio servetur, donec promissum illud semen benedictum in mundum veniat.

Hujus singularis promissionis testimonium esse videtur, quod Heva attexit ad nomen conciunculam quandam, et Moses phrasi utitur, qua de nullo alio est usus, cum dicit: „Et vocavit nomen ejus Seth". Porro Seth est a verbo, שִׁית, quod significat posuit, firmavit, ut ostendat, hunc ceu fundamentum fore, in quo nitatur promissio de Christo, etiamsi plures filii nascantur parentibus. Non vocat enim superbo nomine, sicut Cain, et tamen significat, non opprimendam esse posteritatem Seth.

Cainitae igitur ejecti a conspectu parentum relinquuntur sub maledictione sine omni promissione, nec habent aliquid reliquum de misericordia, nisi

quantum a piorum generatione tanquam mendici acceperunt, non tanquam haeredes ejus, quam supra diximus fortuitam misericordiam. Ideo autem non meminit Moses, quinam ex posteritate Cainica eam sint consecuti, ut discernat duas ecclesias, alteram justam, quae habet promissiones futurae vitae, sed in hac vita afflictam et pauperem, alteram impiam, sed in hac vita florentem et divitem.

Ac merito laudatur Heva, mater omnium nostrum, tanquam sanctissima mulier, plena fidei et caritatis, quod veram ecclesiam in Seth tam magnifice commendat, nulla ratione habita Cainitarum. Non dicit: Habeo alium filium loco Cain. Occisum Habel praefert Cain, cum tamen Cain esset primogenitus. Non solum igitur fidei, sed etiam obedientiae singularis laus est, quod non offenditur judicio Dei, sed ipsa suum judicium mutat; Habel, cum natus esset, contemserat, Cain, tanquam possessorem promissionis, magni fecerat. Hic contrarium facit, quasi dicat: In Habele mihi omnia fuere posita; hic enim justus fuit, sed eum occidit impius Cain: nunc igitur aliud semen mihi pro Habele est positum.

Non indulget materno affectui, non excusat aut extenuat peccatum filii, sed excommunicatum Cain excommunicat ipsa quoque, et relegat cum omni posteritate in colluviem gentium, quae sine certa misericordia vivunt, nisi in quantum apprehenderunt fortuitam misericordiam, tanquam mendici, non tanquam haeredes ejus.

Mirum autem est, cum tantam sanctorum turbam Papae ecclesia confinxerit, quod in eorum catalogo non etiam posuit Hevam, plenam fide, caritate et crucibus infinitis. Sed arguit fortasse id,

quod maluit Cainitarum ecclesiam, quam sanctam ecclesiam sequi.

Stultam fabellam et ineptam Iudaeorum hic omitto, quod Lamech inobedientes uxores adduxerit ad Adamum tanquam judicem, qui cum mandaret eis, ne marito negarent debitam benevolentiam, objecerunt ei mulieres, cur itidem non cum Heva faceret? Adamum itaque, qui ab occiso Habele abstinuerat ab uxore, iterum cum ea consuevisse, ne exemplo suo aliis auctor esset perpetuae continentiae, et mundus non multiplicaretur. Hae fabulae ostendunt Iudaeorum impuras cogitationes. Sicut etiam est, quod disputant, quomodo, cum Seth esset natus, intra spatium centum annorum Cain ad septimam usque generationem creverit. Impii homines ad calumniandam scripturam talia confingunt.

Simile est, quod sentiunt, Cain in Paradiso generatum, cum adhuc exsisteret in parentibus ejus originalis justitia. Hoc quorsum pertinet, quam ut Christum penitus aboleamus? Nam sublato peccato originali, quid Christo opus est? Indigna igitur sunt haec, quae recitentur, sed digna hostibus Christi, et persecutoribus gratiae.

Habemus igitur in Seth novam generationem, quae nascitur et contingit ex illa promissione, quod semen mulieris conteret caput serpentis. Ideo hoc nomen convenit ei, ut gratuletur sibi Heva, hoc semen statutum*) esse, non posse opprimi etc. Est usus Psalmus eodem verbo, Psalm. 10, (11, 3.): „Quae posuisti, destruxerunt". Et convenit Ebraica vox cum Germanica fere, שָׁת, Es steht.

*) Edit. princ. staturum.

Deinceps ipsi Seth quoque natus est filius, et vocavit nomen ejus Enos.

Verbum יִקְרָא, vocavit, masculinum est, ut intelligas, patrem hoc nomen dixisse filio. Supra femininum fuit, quod Heva hoc nomen dederit filio. Ideo diversa phrasis est, quam Latina lingua non potest ostendere.

Porro Enos significat hominem afflictum et calamitosum, sicut Psalmo 8, (v. 5.): „Quid est homo, ut recorderis ejus?" Seth igitur significat, hoc tempore fuisse aliquam singularem persecutionem seu afflictionem ecclesiae. Non enim dormitabat, nec otiosus erat ille vetus serpens, qui ejecerat hominem de Paradiso, qui occiderat hominem Deo dilectum Habel. Ideo post acceptam consolationem per Seth natum sequitur alia tentatio seu tribulatio, quam impositione hujus nominis ostendunt pii parentes. Non enim fortuita haec nomina aestimanda sunt, sed aut prophetica sunt, aut ab eventu sunt sumta.

Tum coeptum est invocari nomen Domini.

Rabini hoc accipiunt de idolatria, quod sub id tempus coeperit nomen Domini tribui creaturis, soli, lunae etc. Sed Moses hic non loquitur de generatione Cainitarum, sed quid pia Adae generatio fecerit, nempe, quod post natum Enos coeperit verus cultus, invocatio nominis Domini.

Atque hic pulcherrime definitur, quid sit colere Deum, nempe invocare nomen Domini, quod est opus seu cultus primae tabulae, quae de veris Dei cultibus praecipit. Complectitur autem invocatio no-

minis Domini praedicationem verbi, fidem seu fiduciam in Deum, confessionem etc., sicut conjungit haec erudite Paulus Rom. 10, (v. 13. 14.). Pertinent quoque ad cultum Dei opera secundae tabulae, sed ea non immediate ad Deum referuntur.

Postquam igitur per Cain confusio facta est in domo Adae, paulatim multiplicatur etiam piorum generatio, et paratur ecclesiola, in qua Adam tanquam Pontifex gubernat omnia per verbum et sanam doctrinam. Hoc dicit Moses coepisse sub nativitatem Enos. Cujus nomen etsi significat, insigni clade oppressam tum fuisse ecclesiam, tamen Deus eam gratia et misericordia sua iterum erexit, et addidit hanc benedictionem spiritualem, ut in certo loco convenirent, docerent, orarent, sacrificarent, quod fortasse per Cainitas aut prohibitum, aut impeditum hactenus erat. Atque hic iterum videmus, semen promissum cum serpente belligerari, et caput ejus conterere.

Porro quod Moses non dicit: Invocari coeptus est Dominus, sed nomen Domini, recte id refertur ad Christum, sicut etiam in aliis locis vocatur שֵׁם יְהוָֹה. Et illustris inde nascitur sententia, quod nomen Domini tum coeptum sit invocari, hoc est, quod Adam, Seth, Enos hortati sint posteritatem suam, ut exspectarent redemtionem, ut crederent promissioni de semine mulieris, et spe illa vincerent Cainitarum insidias, cruces, persecutiones, odia, injurias etc., nec desperarent de salute, sed potius gratias agerent Deo, liberaturo eos aliquando per semen mulieris.

Quid enim aliud potuit Adam et Seth melius aut utilius docere, quam liberatorem Christum, suae posteritati promissum? Et conveniunt haec cum ve-

ra ratione, quae in docenda religione sequenda est. Nam primae tabulae prima debet esse cura; hac cognita, postea facile est secundam intelligere: imo facile est secundam implere. Quomodo enim, ubi doctrina pura est, ubi recte creditur, recte invocatur, recte aguntur gratiae Deo, possunt abesse alii inferiores fructus?

Ad hunc modum voluit Deus illo tempore consolari afflictam piorum ecclesiam, ne in futurum desperaret. Sic videmus per omnes historias vicissitudinem consolationum et afflictionum perpetuam. Sic fame oppressos parentes et fratres Ioseph in Aegypto sublevat. Post iterum oppressi ab impiis regibus per Mosen liberantur ex servitute. In Babylone captivos liberat Cyrus etc. Semper enim Deus, cum sinit suos vi et dolis Diaboli et mundi premi, iterum eos erigit, donat prophetas et doctores pios, qui labascentem ecclesiam restaurent, et furorem Satanae frangant aliquamdiu.

Porro, sicut supra quoque ostendi, dialectica definitio hic constituenda est, quod non vocat cultum Dei caeremonias per homines inventas et traditas, non statuas erectas, non alia ludibria rationis humanae, sed invocationem nominis Domini. Hic igitur est summus cultus, Deo placens, et in prima tabula postea mandatus, qui complectitur timorem Dei, fiduciam in Deum, confessionem, invocationem, praedicationem.

Primum enim praeceptum postulat fidem, ut credas, Deum esse adjutorem in opportunitate, sicut Psalm. 9, (v. 10.) dicitur. Secundum postulat confessionem et invocationem, ut nomen Dei invocemus in periculis, ut gratias agamus Deo. Tertium, ut re-

re doceamus, ut sanam doctrinam tueamur et custodiamus etc. Hi sunt veri et proprii Dei cultus, quos requirit Deus: non requirit sacrificia, non pecuniam, non alia. Primam tabulam requirit, ut audias, mediteris, doceas verbum, ut ores, ut Deum timeas. Hoc cum fit, sequuntur quasi sua sponte etiam secundae tabulae cultus seu opera. Est enim impossibile, ut, qui primae tabulae cultus praestat, non etiam praestet secundam tabulam.

Sicut quoque dicit Psalmus primus (v. 2. 3.): „Qui meditatur in verbo Dei die ac nocte, hic est sicut arbor plantata ad rivos aquarum, qui dat fructum suum tempore suo, et cujus folium non defluit". Haec evidens et infallibilis est consequentia. Qui enim credit Deo, et timet Deum, qui invocat Deum in tribulatione, qui laudat et gratias agit pro beneficiis, qui libenter audit verbum, qui assidue meditatur opera Dei, qui docet alios, ut faciant eadem, hic num noceret proximo? an non obediret parentibus? num occideret? num moecharetur? etc.

Prima igitur tabula primo proponenda, et de veris Dei cultibus primo docendi sunt homines. Hoc enim est facere arborem bonam, ex qua postea enascentur boni fructus. Adversarii nostri contraria ratione utuntur, volunt esse fructus, antequam arbor est.

Credo autem, quod isto tempore addita sit aliqua visibilis caeremonia cultui Dei. Ita enim Deus semper solet, ut cum verbo conjungat aliquod visibile signum. Cum Habel et Cain sacrificarent, ostendit Deus visibili signo, quod respiceret ad Habel, et non ad Cain. Ita fortasse hic quoque accidit, cum refloresceret ecclesia, et verbum Dei palam magno

successu doceretur, addidit Deus aliquod visibile signum, ut ecclesia certo statueret, placere se Deo.

Hoc autem signum, sive ignis de coelo, sive aliud fuit, Deus ideo distulit usque in tertiam generationem, ut discerent homines verbo esse contenti. Postquam autem solo verbo in omnibus calamitatibus se contra Cainitas consolati sunt, addit Deus ex sua misericordia etiam aliquod visibile signum, constituit locum, personas et caeremonias quoque aliquas, ad quas ecclesia congregaretur, exerceret fidem, doceret, oraret, etc. His enim habitis, nempe verbo seu prima tabula, deinde visibili signo divinitus constituto, conficitur ecclesia, in qua exercentur homines docendo, audiendo, participando sacramentis etc. Sequuntur deinde etiam opera secundae tabulae, quae in his tantum sunt cultus et placent, qui habent et exercent primam tabulam.

Hoc donum commendat hoc in loco verbis brevibus, cum dicit: „Et coeptum tum est invocari in nomine Domini"; non enim a Cainitis, ut Iudaei exponunt, sed ab Adae pia posteritate, quae sola tum fuit vera ecclesia. Quare, si qui ex posteritate Cain sunt salvati, hos cum hac ecclesia conjungi necesse fuit.

Est autem haec quatuor priorum capitum summa, ut credamus, post hanc vitam resurrectionem mortuorum et vitam aeternam per semen mulieris. Haec est piorum et credentium portio, qui in hac praesenti vita calamitosi et omnium injuriis obnoxii sunt. Contra impiis datae sunt mundi opes et potentia, quibus utuntur contra veram ecclesiam.

In primo enim capite ostenditur, hominem esse conditum ad immortalitatem, si quidem ad imaginem

Dei est conditus. Idem ostendit praeceptum secundi capitis: „Quocunque die ex hoc ligno comederis, morte morieris". Sequitur enim, non morituros fuisse primos homines, si non comedissent. Per peccatum igitur ex immortalitate in mortalitatem lapsi sunt, et generant ex se similes sibi posteros. Sed in tertio capite iterum renovatur immortalitas per promissionem de semine. In quarto autem capite manifestum exemplum est immortalitatis, si quidem Habel, postquam a fratre occisus est, vivit, susceptus in gremium Dei, qui testatur, sanguinem ejus clamare. Porro quintum sequens caput praecipue propter Henoch a Domino raptum scribitur. Etsi enim necessarium est propter numerum annorum generationis piorum, tamen hoc maxime insigne est, quod commemorat, Henoch non mortuum, sicut Adamum, non interfectum, sicut Habelem, non raptum aut laceratum a leonibus aut ursis, sed ab ipso Domino, et ad immortalitatem raptum, ut scilicet credamus in semen mulieris, Christum, redemtorem nostrum et victorem Diaboli, perque eum exspectemus ipsi quoque immortalem vitam post hanc calamitosam et mortalem vitam.

Hanc consonantiam horum quinque capitum Iudaei non vident; carent enim sole, qui haec illustrat et patefacit, Christo, per quem nos habemus remissionem peccatorum et immortalem vitam.

Quin-

QUINTUM CAPUT GENESIS.

Hic est liber generationum Adam.

Hunc catalogum Moses instituit propter duas causas. Primum propter promissionem seminis factam ad Adam: secundo propter Henoch. Ac infra in decimo capite post diluvium etiam genealogiam scribit Moses, sed longe alia ratione, quam hic. Nam et annos hoc in loco numerat, et singulari consilio addit de singulis, quod mortui sint.

Ac videtur haec clausula superflua esse. Quid enim necesse est (postquam dixit: „Fuerunt cuncti dies Adam, quoad vixit, nongenti anni et triginta") addere: „Et mortuus est?" Nam cum annorum numerus ponitur, etiam mortis tempus positum est: si enim longius vixisset, numerati essent quoque illi anni.

Sed facit hoc Moses certo consilio, ut notet inaestimabilem iram et inevitabilem poenam propter peccatum toti humano generi inflictam. Sicut Paulus ex hoc loco disputat, Rom. 5, (v. 12.): „Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit, eo quod omnes peccaverunt". Est enim perpetua consequentia: Adam mortuus est; ergo fuit peccator: Seth mortuus est; ergo fuit peccator: infantes moriuntur; ergo infantes habent peccatum, et sunt peccatores. Hoc vult Moses ostendere, cum de toto ordine Patriarcharum, etsi sanctificati et renovati essent per fidem, dicit; quod sint mortui.

Sed in hoc ordine elucet tanquam stella amabilissimum lumen immortalitatis, quod de Henoch commemorat Moses, eum non exstitisse amplius inter

homines, et tamen non mortuum, sed a Domino sublatum esse. Significat enim, genus humanum damnatum quidem ad mortem propter peccatum, et tamen relictam esse spem vitae et immortalitatis, ne in morte maneamus.

Hanc ob causam oportuit originali mundo non solum dari promissionem vitae, sed etiam exemplo ostendi immortalitatem. Hanc ob causam de singulis Patriarchis dicitur: Tot annos implevit, et mortuus est, hoc est, tulit poenam peccati, vel peccator fuit. De Henoch autem id non dicit, non quod non fuerit peccator, sed quod etiam peccatoribus relicta est spes vitae aeternae per semen benedictum. Itaque etiam Patriarchae, qui in fide hujus seminis mortui sunt, spem vitae aeternae retinuerunt.

Est igitur hoc alterum exemplum, quod ostendit, Deum velle nobis post hanc vitam donare aeternam vitam. Nam et Habel a fratre occisum vivere et clamare dicit Dominus, et Henoch ab ipso Domino sublatus est.

Non igitur desperabimus, quod videmus, mortem ab ipso Adam derivatam in totum genus humanum. Nam mortem hanc ideo patimur, quia peccatores sumus. Sed in morte non manebimus; habemus enim spem de divina cogitatione et providentia, quod Deus cogitat mortem hanc abolere, sicut coepit per promissionem benedicti seminis, et ostendunt idem exempla Habelis et Henoch. Habemus igitur primitias immortalitatis per spem, sicut Paulus (Rom. 8, 23.) dicit: spe salvi sumus, donec plenitudo in novissimo die adveniat, ubi vitam creditam et speratam sentiemus et videbimus.

Caro haec non intelligit; judicat, hominem mori

sicut bestiam. Ideo, qui inter philosophos fuerunt optimi, senserunt per mortem solvi et liberari animam a corpore: solutam autem ab illo corporis domicilio, misceri coetui Deorum, ac liberam esse ab omnibus corporalibus molestiis. Talem immortalitatem somniarunt philosophi, quanquam eam non satis firmiter tenere nec tueri potuerunt. Sed sacrae literae docent de resurrectione et vita aeterna aliter, eamque spem sic ponunt ob oculos, ut de ea non possimus ambigere.

Deinde proponit nobis hoc caput quasi imaginem et formam aliquam totius mundi originalis. Numerantur enim decem Patriarchae usque ad diluvium cum suis posteris, qui pertinent ad Christi lineam. Non autem inutile studium est, si quis, ut haec a Mose indicata sunt, in charta sibi ob oculos ponat, ut videat, qui Patriarchae, cum quibus et quamdiu vixerint, id quod ego per otium feci. Habet Cain quoque suam lineam, sicut in superiore capite ostendit Moses, nec mihi dubium est, quin longe numerosiorem posteritatem habuerit, quam Seth justus.

Ex his duabus familiis ceu stirpibus impletus est orbis terrarum usque ad diluvium, in quo isti rami utrinque descendentes, hoc est, tam bonorum quam malorum posteri, evulsi sunt, relictis tantum octo animabus, inter quas tamen una prava fuit. Itaque sicut hoc in capite egregia species originalis mundi proponitur, ita inaestimabilis ira Dei et horribilissimus casus est, videre istorum decem Patriarcharum universam propaginem redigi ad octo animas.

Sed reservemus hanc tristem memoriam usque ad suum locum. Nunc hoc agamus, quod Moses in

hoc capite agit, qui vult nos istius seculi glorias et summam majestatem considerare. Adam supervixit nepotem Henoch, nec multo ante Noah natum exstinctus est; nam centum viginti sex anni intercesserunt. Porro Seth tantum quatuor et decem annis ante Noah natum mortuus est. Enos autem cum Noah vixit et reliqui Patriarchae, excepto Henoch. Ad hunc modum qui conferunt numeros, videbunt tot canos Patriarchas, quorum alius septingentos, alius noningentos annos implevit, simul vixisse, docuisse, gubernasse piorum ecclesiam.

Haec summa gloria est primi mundi, quod simul tot bonos, sapientes, sanctos viros habuit. Non enim putabimus, haec vulgaria simplicium hominum esse nomina: summi heroës fuerunt, quos tulit hic mundus post Christum et Ioannem Baptistam. Et nos in novissimo die majestatem eorum videbimus et admirabimur, sicut etiam videbimus res gestas ab ipsis: tum enim patefiet, quid Adam, quid Seth, quid Methusalah et alii fecerint? quid a serpente antiquo passi sint, quomodo se spe seminis contra mundi seu Cainitarum injurias solati et tutati sint, quam varias insidias sint experti, quantam invidiam, odium, contemtum ob gloriam seminis benedicti, nascituri ex ipsorum stirpe, tulerint? Non enim existimandum est, vixisse eos sine summis calamitatibus et crucibus infinitis. Haec in novissimo die patefient.

Nunc utile et plenum voluptatis est, intueri animo quasi oculis in illud felicissimum seculum, quo tot Patriarchae simul vixerunt, qui fere omnes primum parentem Adam viderunt, excepto Noah.

Cainitarum gloria.

Habuerunt autem et Cainitae suam gloriam, sapientissimos homines in omni genere civilium negotiorum, et pulcherrimos hypocritas, qui plurimum negotii fecerunt verae ecclesiae, et sanctissimos Patriarchas varie divexarunt, ut merito eos numeremus inter sanctissimos martyres et confessores. Nam Cainitae, sicut Moses supra indicavit, statim numero et industria coeperunt vincere. Etsi autem patrem Adam coacti sunt revereri, tamen varia tentarunt ad opprimendam piorum ecclesiam, praesertim, postquam primus Patriarcha Adam mortuus est. Ideo quoque Cainitae sua impietate maturarunt diluvii poenam.

Fuit autem ista Cainitarum potentia et malitia occasio, ut sancti Patriarchae tanto studiosius et diligentius docerent ecclesiam suam. Quot et quam graves isto toto annorum cursu conciones putamus ab eis habitas? cum et Adam ac Heva narrarent de prima conditione et gloria Paradisi, et monnerunt de cavendo serpente, qui per peccatum tantorum malorum causa exstitit? Quam putabimus eos fuisse diligentes in explicanda promissione de semine? quam cordatos in excitandis suorum animis, ne aut splendore Cainitarum, aut suis calamitatibus frangerentur.

Haec omnia omittit Moses, quod et scribi non possint ob prolixitatem, et servatur eorum revelatio ad illam gloriae et liberationis diem.

Sic diluvium etsi horribilissimum fuerit, tamen brevissima est ejus descriptio in Mose; voluit enim tantas res relinquere cogitandas hominibus.

Sic hoc in loco voluit breviter imaginem aliquam primi et originalis mundi proponere, qui fuit

optimus, et tamen habuit magnam copiam pessimorum hominum, adeo ut non nisi octo animae in diluvio sint servatae. Quid futurum putamus ante diem extremum, si quidem nunc revelato evangelio tanta contemtorum est copia, ut verendum sit, ne brevi praevaleant, et repleant mundum erroribus, et verbum omnino exstinguatur?

Profecto Christi horribilis vox est, dicentis: „Putasne, quod filius hominis, cum venerit, inveniet fidem?" Lucae 18, (v. 8.). Et Matth. 24, (v. 37.) comparat postrema tempora temporibus Noah. Sunt horribiles hae voces, sed mundus securus, ingratus, omnium promissionum et comminationum Dei contemtor, abundat omnibus iniquitatibus, et quotidie magis ac magis depravatur. Postquam enim pontificum regnum desiit apud nos, qui tantum formidine poenae rexerunt mundum, contemta sana doctrina, degenerant homines tantum non in bruta et bestias. Numerus sanctorum et piorum praedicatorum minuitur; omnes indulgent cupiditatibus suis. Fiet autem, ut novissimus dies sicut fur obruat mundum, et deprehendat homines in securitate, indulgentes ambitioni, tyrannidi, libidinibus, avaritiae et omnibus vitiis.

Porro ipse Christus haec ita praedixit: non itaque est, ut eum mentitum esse putemus. Quodsi primus mundus, qui tantam copiam summorum Patriarcharum habuit, sic misere corruptus est, quid nobis non est metuendum in tanta imbecillitate naturae? Det igitur Dominus, ut in fide et confessione Filii sui, Iesu Christi quam citissime colligamur ad Patres illos, et intra viginti annos moriamur, ne horri-

biles illas postremi temporis miserias et calamitates tum spirituales, tum corporales videamus. Amen.

Hic est liber generationum Adam.

Adam, sicut postea subjungitur, est nomen commune totius generis humani, sed tribuitur uni Adae dignitatis gratia, quia est ceu fons generis humani. Vocabulum סֵפֶר liber est, a סָפַר, quod significat enarrare, enumerare. Liber generationum Adam vocatur ipsa enarratio, enumeratio posteritatis Adam.

In die, quo creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit eum.

Haec particula movit excaecatos Iudaeos, ut fabularentur, Adamum eo die, quo creatus est, in Paradiso concubuisse cum sua Heva, et eam impraegnatam esse. Hujusmodi fabulas multas habent; nihil enim sani nec puri ab eis exspectandum est, quod ad scripturae sensum attinet.

Moses autem hoc vult dicere, quod velit aetatem Adae integram recitare, et numerare dies vitae ejus a die, quo creatus est, ut ostendat simul, ante Adamum nullam fuisse generationem. Distinguenda enim est generatio a creatione. Generatio ante Adamum non fuit, sed tantum creatio. Adam igitur et Heva non nati, sed creati sunt, idque immediate a Deo ipso.

Addit autem: „Ad similitudinem Dei fecit eum", ut intelligas, cum postea dicet, genuisse eum Seth, quod numeret annos ejus a primo die creationis ejus.

Porro supra diximus, quid similitudo Dei fuerit. Etsi autem fere omnes pro eodem accipiant similitu-

dinem et imaginem Dei, tamen; quantum ego diligenti observatione potui deprehendere, est aliqua inter haec duo vocabula differentia; nam צֶלֶם proprie vocarunt imaginem seu figuram, ut, cum dicit scriptura (Num. 33, 52.) *): „Destruite aras imaginum vestrarum". Ibi vocabulum nihil significat aliud, quam figuras seu statuas, quae eriguntur. דְמוּת vero, quod similitudinem significat, est perfectio imaginis, exempli causa, cum loquimur de imagine mortua, quales sunt in numismatibus, dicimus: Haec est imago Bruti, Caesaris etc. Sed ea imago non statim refert similitudinem, non ostendit lineamenta omnia.

Quod igitur Moses dicit, hominem etiam ad similitudinem Dei factum esse, ostendit, quod homo non solum referat Deum in eo, quod rationem, seu intellectum et voluntatem habet, sed etiam, quod habet similitudinem Dei, hoc est, voluntatem, et intellectum talem, quo Deum intelligit, quo vult, quae Deus vult, etc.

Ad hanc tum imaginem, tum similitudinem Dei perfectam conditus homo, si non lapsus esset, vixisset in aeternum laetus et gaudio plenus; habuisset voluntatem hilarem et expeditam, ad obediendum Deo: sed per peccatum tum similitudo, tum imago amissa est. Reparantur tamen aliquo modo per fidem, sicut Paulus (Eph. 4, 23. Col. 3, 10.) dicit. Incipimus enim agnoscere Deum, et adjuvat nos Spiritus Christi, ut cupiamus obedire mandatis Dei.

Sed horum donorum tantum primitias habemus: haec nova creatura in nobis tantum incipit, non ab-

*) Ibi verba paulo aliter leguntur.

solvitur, dum sumus in hac carne. Erigitur voluntas aliquo modo ad laudandum Deum, ad agendas gratias, ad confessionem, patientiam etc.: sed tantum secundum primitias; nam caro suo more sequitur, quae sua sunt, et iis, quae Dei sunt, repugnat. Ita tantum incipiunt haec dona in nobis reparari; decimae autem seu plenitudo hujus similitudinis contingent in futura vita, postquam caro peccati per mortem abolita fuerit.

Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis, vocavitque nomen eorum Adam in die creationis illorum.

Supra dixi, nomen generale Adam attributum esse propter excellentiam Adae soli. Omitto autem hic Rabinorum nugas, qui dicunt, nullum virum esse Adam seu hominem, nisi habeat uxorem: item nullam feminam esse Adam seu hominem, nisi habeat virum. Possunt quidem haec ex Patrum sermonibus esse orta, sed Iudaei ea depravant ineptis opinionibus.

Benedictionis autem ideo meminit Moses, ut ostendat, eam propter peccatum non esse ademtam homini, sicut et Cain hoc donum multiplicationis et dominii mansit, etsi fratrem occidisset.

Et vixit Adam triginta et centum annis, genuitque in similitudine sua juxta imaginem suam, et vocavit nomen illius Seth.

Habelis non meminit; decessit enim is sine haerede, et est sepositus, ut esset nobis exemplum resurrectionis mortuorum. Cain quoque non meminit,

quod excisus est per peccatum ex linea Christi, et ex vera ecclesia ejectus.

Porro quid Adam cum sua Heva his centum annis fecerit, scriptura non ostendit. Aliqui autem ex nostris scriptoribus addunt centum annos, quibus ajunt vixisse Adam cum Heva, antequam Cain interfecerit Habel, atque ita tribuunt Adae ducentos et triginta annos ante generationem Seth. Mihi, ut supra quoque commemoravi, verisimile videtur, quod istis centum annis pii parentes luxerunt domesticam calamitatem. Nam Adam primum generavit ex se similes liberos, filios et filias, post ejectionem ex Paradiso. Ac fortasse incidit caedes illa in trigesimum annum Habelis. Non autem videntur liberi multo parentibus minores natu fuisse; nam parentes non generati, sed creati fuere.

Indulsisse igitur dolori pios parentes credimus, et abstinuisse a consuetudine conjugali, non eo animo, quo Iudaei fingunt, qui nugantur, Adamum tanquam monachum perpetuam castitatem vovisse et servaturum fuisse, nisi ab Angelo iterum cum uxore consuescere esset jussus. Sed digna ea est fabula, quae narretur Romano Pontifici in quadragesima; non enim dignus est melioribus. Non sic fuit Adam impius; hoc enim esset ulcisci dolorem, et abjicere donum benedictionis, quod Deus etiam lapsae naturae reliquit.

Deinde non fuit hoc in manu Adae; nam, sicut Moses ostendit, masculum eum creaverat Dominus, cui opus esset uxore, et qui haberet instinctum procreandi a Deo in naturam insitum. Si igitur abstinuit, sic abstinuit, ut dolori ad tempus cederet,

quem ex calamitate ista acceperat, et tamen suo tempore rediret ad Hevam suam.

Quod autem Moses diserte addit de Adam: „Genuitque in similitudine sua, juxta imaginem suam.", de eo varie disputant theologi. Sed simplex sententia haec est, quod Adam fuit creatus ad imaginem et similitudinem Dei, vel creata imago a Deo, non generata; non enim habuit parentes. Sed in hac imagine non mansit: excidit ab ea per peccatum. Itaque Seth, qui postea nascitur, non nascitur ad imaginem Dei, sed patris sui Adae, hoc est, est similis Adae, refert patrem Adam, non solum oris figura, sed etiam similitudine, ut non tantum haberet digitos, nasum, oculos, gestus, vocem, loquelam sicut pater, sed etiam similis esset reliquis conditionibus tum animi, tum corporis, moribus, ingenio, voluntate etc. In his non refert Seth similitudinem Dei, quam Adam habuit et iterum amisit, sed similitudinem sui patris Adam. Haec autem est similitudo et imago, non creata a Deo, sed genita ex Adam.

Includit autem haec imago peccatum originis et poenam mortis aeternae propter peccatum Adae inflictam. Sicut autem Adam per fidem in futurum semen recuperavit imaginem amissam, ita Seth quoque postquam adolevit, Deus per verbum ei impressit similitudinem suam. Sicut Paulus quoque loquitur ad Gal. 4, (v. 19.): „Iterum vos parturio, donec formetur in vobis Christus".

De nomine Seth supra dixi. Imperative significat, ut sit vox imprecantis et bene ominantis, quasi dicat: Cain non solum cecidit, sed etiam cadere fecit fratrem. Det igitur Deus, ut hic filius שת stet, et sit positus, tanquam fundamentum firmum,

quod Satan non subvertat. Talem sive benedictionem, seu orationem hoc nomen includit.

Et fuerunt cuncti dies Adam, quoad vixit, nongenti anni et triginta anni, et mortuus est.

Haec quoque pars est felicitatis illius temporis, quod homines ad tam longam aetatem vixerunt, quae hodie, si ad nos compares, incredibilis est. Quaeritur autem, quae hujus longaevitatis ratio et causa fuerit? Nec mihi displicet, quod quidam dicunt, et meliores tum fuisse complexiones, et salubriora omnia, quibus ad victum utebantur. Ad haec accessit quoque summa moderatio in victu, quae sola quantum ad sanitatem conferat, quid opus est dictu?

Etsi autem saniora corpora fuerunt, quam nunc sunt, tamen neque vigor membrorum omnium idem, nec robur mansit, quod ante peccatum in Paradiso habuerant. Adjuvit autem istam corporum benedictionem hoc quoque, quod post peccatum renovati et regenerati iterum sunt per fidem in promissum semen. Itaque etiam peccatum per fidem seminis infirmatum est. Nos igitur quantum ab ista justitia degeneravimus, tantum etiam de robore et viribus corporum amisimus.

Quod autem ad victum attinet, quis non credat, isto tempore unum pomum praestantius fuisse, et etiam plus salubris alimenti praebuisse, quam nunc mille? Radices quoque, quibus usi sunt, majoris odoris, virtutis, saporis fuerunt, quam nunc. Haec omnia, nimirum sanctitas et justitia, moderatio, bonitas frugum, aëris quoque salubritas, adjuverunt

longaevitatem, donec tandem accessit nova ordinatio Dei, qua de vita hominum plurimum diminutum est.

Si vero nostram hodiernam rationem vitae diligenter consideres, magis corrumpimur cibo et potu, quam alimur. Nam praeterquam quod immoderatissime vivimus, quantum etiam de bonitate frugum decessit? Primi parentes autem et moderate vixerunt, et tantum ea delegerunt, quae ad alenda et reficienda corpora idonea erant. Non autem dubium est, quin post diluvium omnes fructus degeneraverint, sicut nostro seculo sentimus degenerare omnia. Nec tam differunt hodie Italica vina et fructus a nostris, quam fructus ante diluvium ab iis, qui post diluvium ex illa salsugine maris et putredine nati sunt.

Haec igitur et alia commemorant quidam, tanquam causas tantae longaevitatis, quas non improbo. Sed mihi hoc unum satis est, quod Deus eos in optima portione mundi voluit tam diu vivere. Et tamen videmus, sicut Petrus (2. Petr. 2, 4. 5.) dicit, quod Deus ne quidem originali mundo voluit parcere, sicut nec Angelis in coelo; tam horribilis res est peccatum. Sodoma et Gomorra fuerunt optima portio terrae, et tamen propter peccatum perierunt. Sic ubique ostendunt sacrae literae magnitudinem peccati, et hortantur ad timorem Dei.

Nunc igitur habemus basin, seu potius fontem generis humani, Adamum cum sua Heva. Ex his nascitur Seth, primus ramus hujus arboris. Quia autem post natum Seth octingentis annis supervixit, eo toto tempore magnam posteritatem vidit et habuit Adam. Hoc fuit quoque tempus justitiae renovatae per promissionem seminis futuri. Sed

postea, cum multiplicarentur homines, et miscerentur filii Dei cum filiabus hominum, ibi mundus coepit corrumpi, et istorum sanctorum Patriarcharum majestas contemni.

Jucundissimum autem spectaculum est, si adhibeas laborem supputandi, videre, quomodo isto seculo originalis mundi tot cani Patriarchae simul vixerint. Nam si annos primi parentis Adae diligenter numeres, videbis, quod amplius quinquaginta annis cum Lamech vixerit, patre Noah. Vidit itaque Adam omnes posteros suos usque in nonam generationem, habentes infinitam paene multitudinem filiorum et filiarum, quam Moses non numerat, contentus, quod stipitem et proximos ramos usque ad Noah numerarit.

Fuerunt autem sine dubio in isto quoque numero multi praestantes sancti, quorum si historiam haberemus, omnes mundi historias superaret. Nihil enim ad eam exitus filiorum Israel de Aegypto, nihil transitus per mare rubrum, per Iordanem, nihil captivitates et reductiones etc. Sed sicut originalis mundus periit, ita quoque periit historia ejus. Primum itaque locum in historiis habet historia diluvii; ad eam si alias conferas, vix scintillae quaedam sunt. De priore autem mundo nihil, quam nomina habemus, quae tamen ipsa ceu notae maximarum historiarum sunt.

Fortasse vixit Heva quoque ad octingentesimum annum, et vidit tam magnam posteritatem. Quae autem ejus cura, qui labores, quae studia in visitandis, ornandis, docendis nepotibus? Quae cruces quoque, et qui gemitus, quod Cainitarum generatio tanto co-

natu se opposuit verae ecclesiae? Sunt tamen aliqui ex iis etiam conversi fortuita misericordia.

Vere igitur aureum illud seculum fuit, ad quod nostra aetas vix lutea dici meretur, si quidem novem Patriarchae cum sua posteritate simul vixerunt consentientes in promissionem seminis benedicti. Haec omnia Moses indicat, non explicat; alioqui esset haec historia historiarum.

Unam tamen noluit transire de Henoch, qui septimus ab Adam fuit, tanquam maxime insignem, quanquam hic quoque incredibili brevitate utitur. Reliquorum enim tantum nomina, et annorum numerum ponit. Henoch autem sic pingit, ut caeteros Patriarchas negligere, et quasi deformare videatur, tanquam impios, aut saltem neglectos a Deo. Num enim Adam, Seth, Cainan cum suis posteris non ambularunt coram Deo? Cur igitur de solo Henoch hoc praedicat? Num autem Henoch sic a Domino translatus est, ut reliqui Patriarchae non sint apud Deum, et non vivant? Imo vivunt, et nos videbimus eos in novissimo die in maxima gloria fulgentes.

Quare igitur Moses Henoch sic praefert? Cur non eadem de aliis quoque praedicat? Qui etsi non rapti a Domino, sed mortui sunt, tamen cum Deo ambularunt. De Enos quoque supra audivimus, magnas res ejus temporibus gestas, si quidem tum nomen Domini invocari coeptum est, hoc est, coepit reflorescere verbum et cultus Dei; ambulatum itaque tum quoque est cum Deo. Sed cur id Moses de Enos non dicit, et de solo Henoch dicit? Haec enim verba sunt:

Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Methusalah. Ambulavit autem Henoch cum Deo, postquam genuit Methusalah, trecentis annis, et genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.

Quod dicit, ambulasse eum cum Deo, neutiquam Monachorum more intelligi debet, quod in privato angulo se continuerit, et ibi monasticam vitam vixerit. Quin super candelabrum, seu, ut Christus (Matth. 5, 14. 15.) loquitur, in montem poni oportet tantum Patriarcham, ut fulgeat in publico ministerio.

Sicut eum quoque celebrat Apostolus Iudas in sua epistola (v. 14. 15.): „Prophetavit, inquit, de his septimus ab Adam Henoch dicens: Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra Deum peccatores impii".

Unde haec habuerit Iudas, ignoro, sed verisimile est, mansisse in hominum memoria, ceu per traditionem Patriarcharum, sancte tum dicta, tum facta, fortasse scripserunt quoque. Hoc igitur ministerium in publico Moses celebrat, et pium Henoch extollit tanquam solem aliquem prae omnibus mundi originalis doctoribus seu Patriarchis.

Unde colligimus, fuisse in Henoch singularem plerophoriam Spiritus sancti, et animi magnitudinem praestantem, quod summa fiducia prae aliis Patriarchis

chis Satanae et Cainitarum ecclesiae se opposuit. Non enim, ut supra diximus, ambulare cum Deo est, in desertum fugere, aut latere in angulo, sed prodire secundum vocationem, et se opponere iniquitati et malitiae Satanae et mundi, ac confiteri semen mulieris, damnare mundi religionem et studia, praedicare per Christum aliam vitam post hanc vitam etc.

In hoc genere vitae vixit pius Henoch annis trecentis, tanquam summus Propheta et Pontifex, qui sex Patriarchas doctores habuit. Merito igitur celebrat eum Moses, tanquam optimum discipulum, a pluribus iisque optimis et excellentissimis magistris institutum et eruditum, ac a Spiritu sancto sic ornatum, ut sit Propheta Prophetarum, et sanctus sanctorum in isto originali mundo. Sic primum ratione officii et ministerii magnus est Henoch.

Secundo etiam ideo praedicatur prae aliis, quia voluit Deus, eum esse exemplum toti mundo in consolationem et confirmationem fidei de futura vita. Ideo aureis literis hic textus scribendus, et in ima cordium infigendus erat.

Atque hic iterum ostenditur, quid sit cum Deo ambulare, nempe praedicare aliam vitam, quam haec est, docere de futuro semine, de conterendo capite serpentis, et destruendo regno Satanae. Haec fuit praedicatio Henoch, qui tamen fuit maritus et paterfamilias, qui habuit uxorem et liberos, ac gubernavit familiam, qui victum paravit labore suo, ne iterum cogites de monastica vita, quae speciem habet, quasi sit ambulare cum Deo. Cum igitur vixisset pius vir post natum Methusalah annis trecentis in summa religione, fide, patientia et mille crucibus,

quas tamen fide in futurum semen vicit, non apparuit amplius.

Hic vide verba plena gravissimis affectibus. Non dicit, quod de aliis Patriarchis dixit: Mortuus est, sed: Disparuit; id quod omnes doctores studiose observarunt, tanquam certum argumentum resurrectionis mortuorum. In Ebraeo breviter, sed significantissime sententia exposita est; sic enim habet: Et ambulavit Henoch cum Deo, וְאֵינֶנּוּ, Et non ipse. Significat, praeter spem et opinionem omnium reliquorum Patriarcharum amissum esse, seu disparuisse Henoch, et desiisse inter homines esse.

Sine dubio igitur pater et avus ejus gravissima jactura tanti viri consternati sunt. Norant enim, quanto studio docuisset religionem, quam multa passus esset. Hunc igitur virum, qui testimonium pietatis habebat coram Deo et hominibus, cum subito amittunt, quid putas eis fuisse animi?

Hic igitur da mihi aut poëtam aut rhetorem copiosum, qui hunc locum pro dignitate, et cum affectu tractet. Enos, Seth, et omnes alii Patriarchae nesciunt, quo raptus sit Henoch. Quaerunt igitur eum, quaerit filius Methusalah, quaerunt alii liberi et nepotes. Suspecta eis erat Cainitarum malitia; itaque fortasse cogitarunt, eum sicut Habelem occisum, et clam sepultum esse. Donec tandem Deo revelante, per Angelum didicerunt, ab ipso Deo raptum, et in Paradisum esse collocatum. Id autem non primo, nec altero die cognorunt, sed fortasse multis intercedentibus aut mensibus, aut annis. Interim sancti viri miserabilem conditionem planxerunt, tanquam occisi ab hypocritis Cainitis. Hoc enim regulare est, quod semper consolationem praecedit crux et afflic-

tio; non enim Deus consolatur, nisi tristes, sicut etiam non vivificat, nisi mortuos, non justificat, nisi peccatores. Ex nihilo enim creat omnia.

Insignis illa igitur crux et afflictio sanctorum Patriarcharum fuit, quod viderunt illum sublatum, et nusquam apparere, qui totum mundum gubernarat sana doctrina, et multa praeclare in omni vita fecerat. Dum igitur lugent, et sancti viri casum dolent, ecce adest consolatio, et revelatur eis, quod Dominus Henoch tulerit. Talem textum non habemus de ullo alio homine, nisi de Elia: voluit igitur Deus statim in originali mundo per manifestum exemplum testari, quod post hanc vitam praeparaverit aliam vitam suis sanctis, in qua cum Deo vivant.

Porro Ebraeum verbum, לָקַח, non significat, transtulit, sicut nostra translatio fere sonat, sed, ad se recepit. Sunt igitur haec verba, verba vitae, quae Deus per aliquem Angelum patri Henoch et toti isti generationi sanctorum revelavit, ut haberent consolationem et promissionem vitae aeternae, non solum in verbo, sed etiam in ipso facto, sicut antea in Habele quoque. Quam enim putas eis jucundam hanc fuisse concionem, cum audierunt, Henoch non mortuum, non ab impiis occisum, non fraude et insidiis Satanae sublatum, sed ab ipso Deo vivente et omnipotente receptum esse?

Hoc est insigne illud ornamentum, quod in hoc capite potissimum voluit conspici Moses, quod scilicet Deus omnipotens non anseres, non vaccas, non ligna, non lapides, non mortuos ad se recipit, sed ipsum Henoch, ut ostendat hominibus, esse paratam et reservatam aliam ac meliorem vitam, quam est haec vita tot calamitatibus et malis referta. Licet

enim Henoch quoque sit peccator, tamen ita excedit ex hac vita, ut Deus ei conferat et afferat aliam et aeternam vitam, si quidem cum Deo vivit, et Deus eum ad se recipit.

Ambulavit itaque Henoch coram Deo, hoc est, fuit in hac vita fidelis testis, quod post hanc vitam aeternam vitam homines victuri sint beneficio seminis promissi. Haec enim est vita coram Deo, non illa animalis et corruptioni obnoxia. Sicut igitur hoc constanter praedicavit, ita in ipso implet et verificat Deus hanc praedicationem, ut credamus et certo statuamus, Henoch, hominem scilicet similem nobis, ex carne et sanguine natum, sicut nos, ex carnali Adam, ad Deum raptum esse, et vivere Dei vitam, hoc est, aeternam vitam.

Priusquam illa sanctorum Patrum generatio haec sciret, horribile fuit audire, quod Henoch, vir tam sanctus, sic disparuisset, ut, ubi esset, aut quomodo periisset, nemo sciret: itaque in magno luctu pii parentes et majores fuerunt. Sed postea incredibilis laetitia et consolatio eis objecta est, cum audirent, filium suum cum ipso Deo vivere, et a Deo translatum ad Angelicam vitam.

Hanc consolationem ostendit Deus Seth (qui tum summus Propheta et Pontifex erat, postquam pater ejus Adam in fide seminis benedicti annos quinquaginta septem ante obdormierat), agenti tum annum ferme octingentesimum et sexagesimum. Is, ut senex et jam plenus dierum, atque ideo sine dubio (confirmatus fide futuri benedicti seminis) anxie exspectans liberationem corporis sui, ac ad populum suum congregari desiderans, majore alacritate brevi post, nempe quinquaginta duos annos, mortem subiit,

qui illi admodum breve fuerunt tempus, quo sanctus senex testamentum suum condidit, filios ac nepotes visitavit, ac illis praedicavit, admonens, ut perseverarent in fide promissi seminis, et sperarent vitam aeternam, ad quam Henoch, filius suus, ipsorum autem pater, translatus, vivat cum Deo. Ad hunc modum sanctus senex inter suos agens, et singulis valedicens et benedicens, in gaudio et saturitate dierum se et illos consolatus est, et docuit.

Si mihi intra sex menses moriendum esset, vix haberem satis temporis ad condendum testamentum. Admonerem enim homines de summa praedicationis meae, hortarer et urgerem, ut in ea perdurarent, quantum animo praevidere possem, monerem, ut caverent scandala doctrinae; haec non uno die, nec mense uno possunt absolvi. Igitur quinquaginta anni, quos Seth post raptum Henoch vixit, brevissimum (nam spirituales homines longe aliam rationem supputandi temporis habent, quam filii hujus seculi) tempus fuerunt, quo suos docuit de magnifica ista consolatione, quod post hanc vitam speranda sit alia vita, quam Deus in eo revelavit, quod Henoch, carnem et sanguinem nostrum, ad se recepit.

Nolite igitur, inquit, sequi vestras concupiscentias, sed hanc vitam contemnite, et sperate meliorem. Quid enim mali haec praesens vita non habet? quot morbis, quantis periculis, quam horribilibus casibus est obnoxia? ut interim, quae summa sunt, taceamus, illa scilicet spiritualia mala, quae conscientiam exercent et cruciant, lex, peccatum, mors ipsa. Quid igitur est, ut hanc vitam tantopere expetatis, nec ea videamini exsaturari posse? Ultro abrumpenda erat, nisi Deus ideo nos vellet vivere, ut praedi-

caremus eum, ei ageremus gratias, et serviremus fratribus nostris. Hoc obsequium igitur studiose praestemus Deo, et festinemus suspiriis nostris ad veram vitam, ad quam filius meus et frater vester, Henoch, translatus est per ipsum Deum. Haec et similia sanctus senex post consolationem hanc cognitam docuit.

Sine dubio autem, postquam intellexerunt, Henoch vivum a Domino translatum ad immortalitatem, optaverunt se quoque eodem modo, aut saltem per mortem, liberari ex hac calamitosa vita.

Si autem sancti Patriarchae tam anxie desideraverunt futuram vitam ob Habel et Henoch, quos norant cum Deo vivere, quanto magis nos id decet, ducem Christum ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς habentes? sicut Petrus Act. 3, (v. 15.) vocat. Hunc illi crediderunt futurum; nos scimus, eum exhibitum, et abiisse ad Patrem, ut pararet nobis mansiones, ac sedere ad dextram Patris, et interpellare pro nobis.

An non igitur suspirare ad futura, et haec praesentia odisse debebamus? Non enim nobis, ut illis, Henoch aut Habel spem vitae melioris ostendit, sed ipse Christus, dux et auctor vitae. Debebamus igitur magno animo contemnere vitam et mundum, et pleno pectore anhelare ad futuram gloriam aeternae vitae.

Sed hic sentimus, quanta infirmitas sit carnis furentis studio et amore praesentium, non gaudentis autem de certissima futura vita. Quomodo enim non est certissima, cujus tot testes habemus, Habel, Henoch, Eliam, imo ipsum caput et primitias resurgentium, Christum? Dignissimi igitur odio Dei et hominum sunt impii Epicurei; digna quoque odio nostro est caro nostra, quae nos quoque ad Epicu-

reismum saepe sollicitat, dum et toti demergimur in curas temporales, et aeterna bona tam secure negligimus.

Notanda igitur ista verba sunt, et diligenter infigenda animis, quod Henoch raptus et acceptus est, non a Patriarcha aliquo, non ab Angelo, sed a ipso Deo. Haec enim est illa consolatio, quae sanctis Patriarchis tolerabilem mortem fecit, ut etiam cum gaudio ex hac vita emigrarent. Viderunt enim, semen sibi promissum jam tunc, antequam esset exhibitum, belligerari cum Satana, et contrivisse ejus caput in Henoch. Idem de se et de omni credentium posteritate speraverunt, ac mortem securissime contemserunt, tanquam quae non esset mors, sed somnus quidam, ex quo evigilaturi essent ad aeternam vitam. Credentibus enim mors non est mors, sed somnus quidam: nam cum terror, stimulus et vis illa mortis abest, non potest dici mors. Quanto igitur major fides est, tanto mors est imbecillior; quanto autem fides minor est, tanto mors est acerbior.

Admonemur autem hic quoque peccati nostri. Si enim Adam non peccasset, non essemus nos homines mortui, sed sicut Henoch sine timore et dolore rapti ex hac animali vita ad aliam meliorem et spiritualem vitam. Nunc, cum vitam amiserimus, ostendit nobis haec historia, restitutionem Paradisi et vitae non desperandam esse. Caro quidem dolore carere non potest, sed cum conscientia pacata est, mors habet similitudinem syncopis, per quam transimus in requiem. Ille carnis dolor abfuisset in innocenti natura; essemus enim rapti, quasi per somnum, ac mox evigilantes fuissemus in coelo, et vixissemus

Angelicam vitam. Nunc autem, cum caro peccato corrupta sit, oportet eam prius morte aboleri. Sic Henoch fortasse recubans in graminoso loco, et orans obdormivit, et dormiens raptus est a Deo sine dolore, sine morte.

Observemus igitur hunc locum, quem Moses voluit exstare, tanquam historiam primi mundi maxime memorabilem. Quid enim potuit insignius fieri, quam quod homo corruptibilis, peccator, natus de carne et sanguine, peccato imbuto et corrupto, ita mortem vincit, ut tamen non moriatur? Christus homo est et justus, sed peccata nostra faciunt, ut acerbissimae morti subjiciatur, ex qua tertio die liberatur, et ipse se excitat ad aeternam vitam. In Henoch igitur hoc singulare est, quod non moritur, sed rapitur, morte non interveniente, ad spiritualem vitam.

Rabini dignissimi odio sunt: quicquid enim Scriptura habet maxime insigne, hoc foedissime depravant. Sic de Henoch hoc in loco garriunt, fuisse quidem eum bonum et justum, sed valde inclinatum ad cupiditates carnales; Deum igitur ejus misertum, et antevertisse eum morte, ne peccaret et damnaretur.

Quaeso te, an non hoc est egregie hunc textum depravare? Quid enim opus est de solo Henoch dicere, quod habuerit malas inclinationes, quasi vero eas non habuerunt, et senserunt quoque reliqui Patriarchae? Deinde cur non observant, quod Moses bis dicit, ambulasse eum cum Deo? Hoc profecto testimonium est, quod non indulserit tentationibus, sed eas fide fortiter vicerit. Iudaei autem cum de malis inclinationibus loquuntur, intelligunt libidi-

nem, avaritiam et similes motus. Sed Henoch sine dubio vixit in gravioribus tentationibus, et cum Paulo sensit palum illum: in dies cum antiquo serpente luctatus est: tandem bene vexatus et attritus omni genere tentationum, jussus est a Domino ex hac vita decedere, et transire in aliam.

Qualis autem ea vita sit, quam vivit, nos, qui adhuc caro et sanguis sumus, non possumus scire. Satis autem nobis est, quod scimus, eum etiam corpore raptum esse, id quod Patriarchae sine dubio intellexerunt ex revelatione, quibus morituris hac consolatione opus fuit. Tantum nos quoque scimus. Quid autem faciat, ubi sit, et quomodo vivat Henoch, nescimus: vivere eum scimus, sed certe non hac animali vita; est enim apud Deum, sicut textus clare dicit.

Memorabilis itaque haec est historia, per quam Deus voluit primo et originali mundo commendare spem melioris vitae post hanc vitam.

Postea in secundo mundo, qui habuit legem, dedit Deus exemplum Eliae, qui etiam, inspectante servo Heliseo, a Domino raptus est.

Nos in novo testamento sumus, tanquam in tertio mundo; habemus autem illustrius exemplum, ipsum Christum, liberatorem nostrum, adscendentem ad coelos, cum aliis multis sanctis. Voluit enim Deus omnibus seculis exstare testimonia resurrectionis mortuorum, ut ab hac vita foetida ac multis modis calamitosa abduceret animos nostros, in qua tamen Deo, quam diu ipsi visum est, servimus, obeundis politicis et civilibus officiis, ac inprimis instituendis aliis ad pietatem et notitiam Dei. Sed hic manentem locum non habemus. Ebrae. 13, (v. 14.). Abiit enim

Christus ad Patrem, ut nobis pararet mansiones aeternas. Ioann. 14, (v. 3.).

Sicut autem apud nos invenias, quibus haec ridicula, et non satis digna fide judicentur, ita non dubium est, tum quoque a majori parte pro ridiculo hanc historiam esse habitam. Mundus enim semper sui similis est. Sunt itaque haec divina auctoritate commendata literis, et scripta sanctis ac fidelibus, ut ea legerent, intelligerent, crederent et sequerentur. Ostendunt enim manifestam victoriam mortis et peccati, ostendunt certam consolationem victae legis, irae et judicii divini de Henoch. Quare piis his historiis nihil potuit esse jucundius aut gratius.

Sed in novo testamento vere exundat misericordia Dei; etsi enim hujusmodi historias non abjicimus, tamen habemus longe majores, nempe ipsum Filium Dei adscendentem ad coelos, et sedentem ad dextram Dei. In eo videmus caput serpentis plane contritum esse, et vitam iterum restitutam, quam in Paradiso amisimus. Hoc longe plus est, quam quod Henoch et Elias translati sunt, et tamen voluit Deus hoc modo originalem mundum et sequentem, qui legem habuit, consolari.

Haec igitur principalis doctrina est, in his quinque capitibus proposita, quod homines sunt mortui, et revixerunt. Per Adam enim omnes sunt mortui. Qui autem crediderunt, hi per semen promissum revixerunt, sicut testatur historia Habelis et Henoch. In Adam, Seth et aliis mors est designata; sic enim scribitur: Et mortuus est. Sed in Habele et Henoch ostensa est resurrectio mortuorum, et vita immortalis.

Omnia autem eo pertinent, ne desperemus in morte, sed ut certo statuamus, quod, qui credunt

in semen promissum, vivent et rapientur ad Deum, sive ex aqua, sive igni, sive ex patibulo, sive ex sepulcro. Volumus igitur et debemus vivere, ac quidem aeternam vitam, quae post hanc vitam restat, per semen promissum.

Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium, vocavitque nomen ejus Noah, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.

Obiter incidit Moses in hanc historiam de nomine Noah, quae tamen meretur, ut eam introspiciamus diligentius. Lamech vixit, cum auferretur Henoch ex hac vita ad aliam immortalem vitam. Postquam igitur Deus ostendit tantam gloriam et tam insigne miraculum, ut Henoch, hominem similem nobis, ex isto humili genere vitae (nam maritus et paterfamilias fuit, qui habuit filios, filias, familiam, agros, pecudes) transferret ad aeternam vitam, ibi animati et incensi gaudio sancti Patres in eam opinionem venerunt, ut existimarent, nunc in propinquo esse illum laetum diem promissionis implendae. Singularis enim significatio divinae misericordiae fuit, quod Henoch vivus ad Dominum est raptus.

Sicut itaque Adam et Heva post promissionem factam, in eam spem venerant, ut Cain putarent esse illud semen, prae nimia laetitia, quod videbant hominem sibi similem, ita quoque pio errore judico Lamech hoc nomen indidisse nato Noah, et dixisse: „Ille consolabitur nos, et liberabit ab aerumnis hujus vitae“. Cessabit jam peccatum originale et poena

peccati originalis. Restituemur in integrum, desinet maledictio, quam terra propter peccatum Adae tulit, desinent aliae miseriae, propter peccatum inflictae generi humano. Ad hunc modum, postquam Lamech avum suum sine dolore, sine morbo, sine morte raptum in Paradisum vidit, putat futurum, ut statim sequatur tota Paradisus. Iudicat, Noah esse promissum semen, ac reparaturum esse orbem terrarum. Diserte enim urget, maledictionem tollendam esse. Atqui maledictio seu poena peccati non potest tolli, nisi prius tollatur ipsum peccatum originis.

Rabini igitur, pestilentes depravatores Scripturae, digni odio sunt. Hi enim hunc locum sic depravant: Quiescere nos faciet ab operibus et laboribus manuum nostrarum, hoc est, ostendet faciliorem rationem colendae terrae, ut scilicet junctis tauris vomere proscindatur terra, non fodiatur hominum manibus, sicut hactenus solitum fuit.

Miror autem, Lyrae quoque placere hanc sententiam, et sequi. Nosse enim debebat illum usitatum depravandae Scripturae morem, quo Iudaei ubique utuntur, dum ea, quae spiritualia sunt, transferunt tantum ad corporalia, ut habeant gloriam apud homines. Quid enim indignius potest sancto Patriarchae dici, quam quod hujus compendii causa, quod ventris proprie fuit, tam exsultaret nato filio Noah?

Major cura auxit *) animum ejus, nempe ira Dei, et mors cum omnibus aliis calamitatibus hujus vitae. His sperabat Noah impositurum finem. Ideo exsultabat gaudio, bene ominabatur, et in hanc spem etiam alios vocabat. Non de aratro, non de jumentis, non de aliis levioribus rebus, ad hanc vitam pertinen-

*) Fortasse anxit.

tibus, erat sollicitus, sicut caeci Iudaei delirant: sperabat, filium suum Noah semen illud futurum, quod restitueret priorem illum statum Paradisi, ubi maledictio nulla fuit. Nunc autem, inquit, sentimus maledictionem in ipsis laboribus manuum nostrarum, quod etiam summo studio culta terra tamen sentes et tribulos producit. Sed nunc surget novum et beatum seculum, cessabit maledictio terrae nobis propter peccatum inflicta, quia peccatum cessabit. Haec vera hujus loci sententia est.

Sed pius pater decipitur. Nam illa gloria reparationis non debebatur filio hominis, sed Dei Filio. Inepti itaque Rabini sunt; etsi enim manibus non fodiatur terra, sed jumenta adhibeantur, tamen nondum cessavit labor manuum. Et raptus Henoch non ostendebat aliquam corporalem consolationem, ventri gratam, sed liberationem a peccato et morte. Ideo Lamech quoque sperat per Noah restitutionem prioris status; videbat enim, initium esse factum hujus mutationis in avo Henoch, ac certus erat, jam in foribus esse liberationem seu restitutionem omnium.

Sicut Heva, cum peperisset primogenitum, dicebat: Possedi virum a Domino, qui scilicet inflictas peccati poenas tollat, et nos restituat. Sicut autem Heva fallitur, ita quoque nimio desiderio restitutionis mundi fallitur etiam bonus Lamech.

Ostendunt autem haec, quam ardenter sancti Patriarchae illam restitutionem optarint, sperarint et suspiraverint. Etsi enim erraverunt, sicut Heva errat et fallitur in Cain: tamen hoc ipsum desiderium liberationis est ex Spiritu sancto, et arguit veram ac constantem fidem in semen promissum. Et quod Heva filium suum Cain, Lamech filium suum Noah ap-

pellat, hae sunt voces, sicut Paulus ad Romanos 8, (v. 22.) appellat, parturientis creaturae, et suspirantis, ac putantis, instare resurrectionem mortuorum, liberationem a peccato, et restitutionem omnium.

Simplicissima igitur et vera sententia est, quod, postquam Lamech nepos videt avum Henoch sublatum ex istis miseriis, afflictionibus et laboribus peccati originalis cum certa significatione futurae vitae, eique nascitur filius, appellat eum נֹחַ, hoc est, quietem, quia sperat futurum, ut per eum liberatio a maledictionibus peccati et ipso peccato contingat. Haec interpretatio est analoga fidei, et confirmat spem resurrectionis et vitae aeternae.

Apparet itaque hic illa horribilis ingratitudo nostri seculi, quod isti sanctissimi viri, quorum calceos ut purgemus, indigni sumus, tantum desiderium futurae vitae ubique ostendant. Quantum autem *differt* habere rem et desiderare? Fuerunt illi Patriarchae homines sanctissimi, et summis donis ornati, tanquam heroes totius mundi. In his videmus summum desiderium futuri seminis, id apud eos in summo pretio est, ita sitiunt, esuriunt, ardent, ita inhiant in Christum venturum. Nos autem, qui habemus Christum praesentem, exhibitum, donatum, glorificatum, sedentem ad dextram Dei et interpellantem pro nobis, contemnimus eum, et multo habemus vilius, quam ullam aliam creaturam. O miseriam, o peccatum!

Videmus igitur, quae sit seculorum differentia. Mundus originalis est optimus et sanctissimus, sunt in eo nobilissimae gemmae totius generis humani. Post diluvium etiam aliquot insignes et magni viri sunt Patriarchae, reges, prophetae, qui etsi Patriar-

chis ante diluvium non sunt similes, tamen in eis quoque elucet insigne desiderium Christi. Sicut ipse Christus dicit Lucae 10, (v. 24.): „Multi reges et prophetae voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt". Nostrum seculum, quod est novi testamenti, cui exhibitus est Christus, est velut putamen et faex mundi; nihil enim habet vilius Christo, quo prior mundus nihil habuit pretiosius.

Hujus gravissimi mali quae est causa? Nimirum sancta nostra caro, mundus et Diabolus. Fastidimus praesentia ultra modum; nam verum est, quod dicitur: Omne rarum carum, vilescit quotidianum. Item illud Poëtae: Minuit praesentia famam. Sumus ditiores Patriarchis, quod ad ipsam revelationem attinet, sed ipsi majore in pretio etiam minorem revelationem habuerunt, et fuerunt tanquam amatores sponsi. Nos autem sumus ille impinguatus, incrassatus et dilatatus servus, quia abundamus verbo, eoque nimis opulenter obruimur.

Igitur sicut mundus primus optimus et sanctissimus fuit, ita finalis mundus est pessimus et sceleratissimus. Quia autem Deus primo et originali mundo non pepercit, quia etiam secundum mundum subvertit, una monarchia post aliam, uno regno post aliud exciso, quid putamus futurum de hoc finali mundo, securissime contemnente Christum, illum desiderabilem, sicut Hagg. 2, (v. 8.) appellatur, ingerentem se nobis usque ad fastidium, per verbum et per Sacramenta?

Noah vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Ham et Iapheth.

Est hic quoque magna brevitas, sed Moses suo

more res maximas paucissimis verbis complectitur, quas lector ignavus non observat. Quid igitur, inquies, est, quod Noah quingentesimo anno primum generat? Aut singularis et gravissima tentatio fuit, si tam diu habuit sterile conjugium, aut summa castitas, si tam diu a conjugio abstinuit: id quod mihi verisimilius videtur. Nihil hic dico de Papistarum foeda castitate, nihil de nostra. Prophetas et Apostolos, reliquos etiam Patriarchas inspice, qui sine dubio casti et sancti fuerunt. Sed quid ad hunc Noah, qui masculus est, et tamen sine conjugio quingentis annis caste vixit?

Inter mille nostro seculo vix unum reperias, qui in trigesimum annum a mulierum consuetudine abstineat. Noah autem cum per tot annos vixisset caelebs, tandem uxorem ducit et generat. Id autem certum argumentum est, fuisse eum aptum *conjugio* ante id tempus, sed certa causa abstinuisse.

Primum itaque necesse est singulare *castitatis* donum in eo fuisse, et naturam paene Angelicam. Non enim videtur in hominem posse cadere, ut quingentos annos sine uxore vivat.

Deinde ostendit hoc ipsum singularem *displicentiam*, quam Noah habuit in mundo. Cur enim putabimus eum abstinuisse a conjugio, nisi quod vidit patrueles et fratrueles omnes degenerare in gigantes seu tyrannos, et replere mundum injuriis? Cogitavit itaque, se potius liberis carere velle, quam tales habere. Existimo itaque, nunquam fuisse ducturum uxorem, nisi admonitus et jussus esset aut a Patriarchis, aut ab Angelo aliquo. Nam qui in quingentesimum usque annum abstinet, is etiam, quod reliquum est vitae, a conjugio abstinebit.

Sic

Sic brevibus quidem verbis maximas res Moses ostendit, et quod imperitus lector non animadvertet, cum de castitate nihil videtur loqui, celebrat castitatem Noah supra omnium castitatem, qui fuerunt in primo et originali mundo, ut sit exemplum Angelicae castitatis.

Iudaei suo more nugantur, et fingunt, Noah ideo abstinuisse a conjugio, quod norat Deum diluvio perditurum mundum. Si itaque reliquorum Patriarcharum more mature uxorem duxisset, utpote anno centesimo, aut infra, solus fere intra quadringentos annos replevisset orbem terrarum, ac tum coactus esset Deus ipsum cum tota generatione delere. Affingunt postea hoc, Sem ideo vocari primogenitum, quia primus sit circumcisus.

In summa Iudaei depravant omnia, et inflectunt in suos carnales affectus et glorias. Cur enim non, si haec causa fuit, cur Noah a conjugio abstineret, etiam reliqui Patriarchae a generatione et conjugio abstinuerunt? Frivola itaque et nihili commenta sunt. Cur non hoc potius urgent, fuisse singulare donum in Noah, quod, cum esset masculus, tamen tot annos abstinuit a conjugio? Nullum igitur tantae continentiae exemplum exstat in tota serie omnium temporum.

Papistas offendit, quod Genesis toties meminit de Patribus, quod genuerint filios et filias. Dicunt itaque esse librum, in quo nihil sit, quam quod Patriarchae nimis amantes fuerunt suarum uxorum, ac putant, obscoenitatem esse, quod de talibus rebus Moses tam studiose meminit.

Sed impura corda etiam summam castitatem probris incessunt. Si enim praestantissima castitatis

exempla vis intueri, Mosen lege, commemorantem de Patriarchis, quod non nisi provecta aetate ad nuptias accesserint. Et inter hos tanquam insignis stella lucet Noah, qui in quingentesimum usque annum continet. Hujus summae castitatis nulla exempla in Papatu invenies. Etsi enim quidam corporibus non peccant, tamen quanta animorum foeditas est et obscoenitas? Ac ista poena est conjugii neglecti, quod Deus voluit esse remedium corruptae naturae.

Alia autem causa fuit, quod Noah abstinuit: non damnavit conjugium, non judicavit, profanum genus vitae esse. Vidit superiorum Patriarcharum posteros degenerasse in impiam Cainitarum generationem, tales filios non potuit ferre, sed exspectavit in timore Dei finem mundi. Quod autem postea ad nuptias accessit, et generavit, hoc haud dubie fecit singulari mandato Dei admonitus et jussus.

Sed hic quaestio nascitur de ordine filiorum Noah. Operae pretium autem est hoc quaerere, ut ratio annorum mundi certius constet. Communis autem opinio est, Sem fuisse primogenitum, quod ejus prima fiat mentio. Sed Scriptura cogit, quod Iapheth est primogenitus, Sem medius, et Ham ultimus.

Probatur autem hoc sic: Biennio post diluvium genuit Sem filium Arphachsad. Fuit autem tum Sem annorum centum, Gen. 11, (v. 10.). Ergo in diluvio fuit Sem annorum XCVIII, Noah autem, nato Sem, fuit annorum CCCCXCVIII. Iapheth autem fuit major natu Sem, Gen. 10, (v. 2.). Sequitur autem, quod solus Ham, junior frater, sit natus anno D. Noah.

Praeponitur autem Sem ipsi Iapheth, non quod primus circumcisus sit, sicut Iudaei mentiuntur, qui venantur glorias carnales, sed quod per eum venturus erat Christus, semen promissum. Sic Abraham minimus natu infra praeponitur eadem ratione fratribus, Haran et Nahor.

Sed quomodo, inquies, convenit hoc cum textu, qui dicit Noah, cum quingentorum annorum esset, generasse Sem, Ham et Iaphet? Sic convenit, si mutes praeteritum in plusquamperfectum, et dicas: Noah, cum quingentorum esset annorum, genuerat. Non enim Moses dicit, quo anno singuli sint nati, sed simpliciter unum annum ponit, quo dicit illos tres fuisse natos ipsi Noah. Hoc modo rectissime concordatur Scriptura.

Concludit igitur Moses hoc quintum caput pulcherrimo et maxime memorabili exemplo castitatis, quod Noah jam quingentarius incipit fieri maritus, hactenus sanctus et castus, qui ideo a conjugio abstinuit, quod offensus est licentia juventutis, degenerantis in Cainicam improbitatem. Paret tamen Deo vocanti ad conjugium, quanquam posset sine uxore caelebs et castus vivere.

Ad hunc modum Moses describit primum et originalem mundum his quinque capitibus breviter quidem, sed ut tamen facile appareat, initio fuisse sanctissimum et vere illud aureum seculum, de quo etiam poëtae meminerunt sine dubio ex traditione et sermonibus Patrum.

Invalescentibus autem peccatis non pepercit Deus primo mundo, sed diluvio eum perdidit, sicut nec secundo mundo, qui sub lege fuit, pepercit. Nam propter idolatriam et impium cultum non solum

una monarchia post aliam eversa est, sed etiam ipse populus Dei variis incommodis et captivitatibus agitatus, tandem a Romanis penitus vastatus est.

Noster tertius mundus, qui tamen est mundus gratiae, ita blasphemiis et abominationibus abundat, ut non possibile sit eas aut oratione complecti, aut corde apprehendere. Ideo non poterit puniri corporalibus poenis, sed aeterna morte et igni aeterno punietur, seu, ut ita dicam, diluvio ignis. Nam idem vaticinantur colores iridis. Primus aqueus est, quod primus mundus diluvio propter injurias et libidinem sit punitus: medius est flavus; nam idolatriam et impietatem medii seculi Deus variis calamitatibus ultus est: tertius et supremus color est ignis, qui tandem mundum cum omnibus iniquitatibus et peccatis absumet.

Quare orandum est, ut Deus corda timore suo regat, et nos fiducia misericordiae suae impleat, ut cum gaudio liberationem nostram et impii mundi poenas possimus exspectare, Amen, Amen.

SEXTUM CAPUT GENESIS.

Descripsit Moses in quinque primis capitibus generationem humanam, qualis fuit in originali mundo, ac posuit nobis ob oculos illam admirabilem sanctorum Patriarcharum magnificentiam, qui primum mundum rexerunt. Atque ita his quinque capitibus, velut primo libro, concludit historiam istius felicissimae partis totius generis humani et mundi originalis ante diluvium. Hic nunc ordiemur secun-

dum librum Genesis, qui continet historiam diluvii, quae ostendit posteritatem Cain totam deletam, sed justorum generationem manere in secula seculorum. Nam cum diluvio omnia interirent, conservatur tamen generatio justorum, tanquam aeternus mundus.

Est autem horribilissimum, deleri totum genus humanum usque ad octo animas, cum tamen id vere aureum seculum fuerit. Nam sequentes generationes neutiquam respondent dignitati, magnitudini et majestati illius originalis mundi, et tamen Deus illud, quod optimum condiderat, et in humano genere praestantissimum, ita delevit, ut merito expavescamus.

Servavit tamen Deus etiam in hac poena suum morem. Nam quae praestantissima sunt, ea Deus maxime dejicere et humiliare solet. Non igitur frustra Petrus 2. Petr. 2, (v. 5.) Deum primo mundo non pepercisse dicit. Vult enim ostendere, quod fuerit comparatione sequentis tanquam Paradisus quaedam. Sic praestantissimae naturae, ipsis Angelis, non pepercit, non regibus in suo populo, non primogenitis omnium temporum: sed quanto homines majoribus donis ornati fuerunt, tanto in eos gravius animadvertit, cum donis coeperunt abuti.

Sic in secundo Psalmo (v. 9.) dicit Spiritus de regibus: „Reges eos in virga ferrea, et sicut vas figuli confringes eos“. An non autem ipse Dominus est, qui reges constituit, qui eos coli, eis parere vult omnes? Sic sapientiam sapientum, justitiam justorum damnat et reprobat. Proprium enim hoc et perpetuum Dei opus est, ut praestantissima damnet, potentissima dejiciat, fortissima convellat, cum tamen sint ejus creaturae. Facit autem hoc ideo, ut multa

et horribilia exempla irae exstent ad terrendos impios et nos excitandos, ut discamus de nobis ipsis desperare, et tantum fidere gratia.

Ergo aut vivendum est sub umbra alarum Dei, et fiducia misericordiae ejus, aut pereundum. Iam autem post lapsum sic hominum comparatae res sunt, ut, quanto pluribus donis quisque ornatus est, tanto etiam magis superbiat. Hoc Angelorum, qui lapsi sunt, peccatum fuit; hoc primi et originalis mundi peccatum fuit, in quo excellentissima pars generis humani vixit. Quia autem de sapientia sua et aliis donis praesumserunt, perierunt. Hoc peccatum fuit summorum regum, hoc peccatum fuit primogenitorum fere omnium; quid multis? hoc est peccatum originale, quod non novimus, nec possumus recte uti magnis et excellentibus donis Dei.

Quod igitur summi homines atrocissima exempla fiunt, non accidit culpa donorum aut rerum, sed culpa possessorum. Deus autem talis dialecticus est, ut arguat a conjugatis, et simul possessorem cum re seu dono possesso destruat.

Utile autem est diligenter observare et notare exempla talia ad terrendos superbos, et nos humiliandos, ut discamus, nos, vitam et omnia nostra pendere ex nutu Dei, qui humilibus vult dare gratiam, superbos autem disperdere. Hoc quia mundus non novit, nec facit, ideo cadunt reges, potentes, justi, perpetuo casu, unus post alium, et fit, ut sint omnia plena exemplis irae et judicii Dei. Sicut beata Virgo quoque canit (Luc. 1, 51 seq.): „Dispergit superbos mente cordis sui, deponit potentes de sede, divites dimittit inanes“.

Omnia tempora, omnes aulae, omnes respubli-

-sae plenae sunt talium exemplorum, et tamen nos de gratia sancti Diaboli, principis mundi, habemus tam dura corda, ut his omnibus nihil moveamur, sed fortiter contemnamus, etiamsi sentiamus et videamus, nobis quoque pereundum esse. Beati igitur, qui animadvertunt talia, et exemplis irae admoniti, humiliantur et vivunt in timore Dei.

Cogitemus igitur de mundo isto originali, qui in diluvio periit, fuisse praestantissimum, qui habuit in speciem optimos, sanctissimos, nobilissimos viros, ad quos nos collati, sumus ceu faex mundi. Non enim Scriptura dicit, fuisse injustos et malos inter se, sed coram Deo. Deus, inquit, vidit esse eos malos. Longe autem aliter vident et judicant oculi Dei, quam hominum. „Viae meae, inquit, apud Esai. 55, (v. 8. 9.) non sunt, sicut viae vestrae. Sed sicut exaltatur coelum a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris".

Sunt igitur tyranni et Gigantes isti inter sese habiti et visi sapientissimi et justissimi homines, sicut hodie nostri reges, principes, Pontifices, Episcopi, theologi, medici, jurisperiti, nobiles summo loco sunt, et habentur in pretio, tanquam gemmae et lumina generis humani. Tales non opinione, sed virtute et donis longe excellentiores fuerunt filii Dei in primo mundo. Quia autem cum his donis miscuerunt superbiam et contemtum Dei, abjecit et perdidit eos Deus una cum donis suis, ac si essent faex et stercus hominum.

Atque hoc commune naturae nostrae est vitium: non potest se continere, quin infletur donis a Deo datis, nisi per Spiritum sanctum cohibeatur. Saepe igi-

tur dixi, hominem non habere perniciosiorem hostem, quam se ipsum. Hoc enim disco mea experientia, quod non habeo tam magnam causam timendi extra me, quam intra me. Dona enim, quae habemus intra nos, inflant nostram naturam.

Sicut autem Deus natura optimus non potest omittere, quin nos variis donis ornet et cumulet, sicut sunt incolume et integrum corpus, opes, sapientia, industria, cognitio Scripturae etc., ita nos non possumus omittere, quin in his donis superbiamus et insolescamus. Miserrima igitur vita nostra est, si carendum sit donis Dei; sed duplo miserior est, cum habemus; nos enim duplo deteriores reddimur. Tanta est malitia peccati originalis, quod tamen omnes homines, exceptis fidelibus, aut ignorant, aut tanquam rem leviculam negligunt.

Videmus autem hanc malitiam non solum singuli in nobis, sed etiam in aliis. Opes, quae inter reliqua dona infimum locum habent, quam inflant? Itaque sive nobiles, sive cives, sive rustici divites, alios omnes pro muscis habent. Longe autem major est abusus reliquorum, superiorum donorum, sapientiae et justitiae. Haec cum inter homines sint dona, utrunque fit, ut et Deus superbiam hanc non possit ferre, et nos eam non possimus omittere.

Hoc fuit peccatum illius originalis mundi. Fuerunt inter posteros Cain homines optimi et sapientissimi, coram Deo autem fuerunt pessimi, quia superbiebant donis, et Deum donorum auctorem contemnebant. Hanc malitiam mundus non intelligit, nec judicat, sed solus Deus judicat.

Stantibus autem et vigentibus istis vitiis spiritualibus, postea proclivis lapsus est etiam in carnalia.

„Initium enim peccati apostatare a Deo“, sicut Sirach dicit cap. 10, (v. 14). Sic primus lapsus Diaboli est e coelo in infernum, hoc est ex prima tabula in secundam. Postquam enim homines incipiunt impii fieri, hoc est, non timent Deum, non credunt Deo, sed contemnunt Deum, verbum et ministros ejus, fit, ut a vera doctrina labantur in haereticas opiniones, eas doceant, defendant, ornent. Haec autem sunt ejusmodi peccata, ut mundus ea judicet esse summam pietatem, ac auctores talium soli reportant laudem religionis, pietatis, justitiae, ecclesiae et filiorum Dei. Non enim possunt homines judicare de peccatis primae tabulae. Postea illi contemtores Dei irruunt in horribilia adulteria, furta, caedes et alia, quae sunt secundae tabulae.

Haec eo recito, ut intelligamus, originalem mundum non tantum illis secundae tabulae peccatis obnoxium fuisse, sed peccasse maxime in primam tabulam, hoc est, habuisse sapientiam, pietatem, cultum, religionem in speciem optimam, sed fucosam et falsam. Fervente igitur impietate contra primam tabulam, secuta est corruptio, de qua Moses in hoc capite loquetur, quod primum se polluerunt libidinibus, deinde orbem terrarum repleverunt tyrannide, sanguine et injuriis.

Cum itaque ad hunc modum impius mundus utranque tabulam conculcasset, venit Deus judicaturus, qui est ignis consumens et zelotes. Itaque sic punit impietatem, ut simpliciter omnia in vastitatem abeant, et neque rex nec subditus maneat. Igitur imaginemur, quanto lapsui Adae propior fuit, tanto fuisse meliorem. Degenerasse autem de die in diem

usque ad nostra tempora, quibus faex et ultimum quasi stercus humani generis vivit.

Si autem Deus illi mundo tot et tantis donis ornato non pepercit, quid nos σκύβαλα speremus, longe pluribus calamitatibus et malis oppressi? salvis tamen, si Deo placet, Pontifice Romano et sanctis ejus Episcopis, qui haec non credunt. Sed nunc ad textum venio.

Cumque coepissent homines multiplicari super terram, et filias sibi procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

Brevissima narratio, sed valde multa complectitur. Non autem sic intelligenda est, quod quingentesimo anno Noah primum coeperit multiplicari mundus, sed complectitur etiam superiores Patriarchas, id, quod inde probatur; nam Noah nullas habuit filias; quia autem filiarum meminit, profecto referenda narratio est ad superiora quoque tempora Lamech, Methusalah, Henoch etc. Fuit itaque mundus corruptus et malus etiam ante natum Noah, ac praesertim mortuo primo Patriarcha Adam, multi coeperunt licentius vivere, qui auctoritatem primi parentis veriti erant.

Sicut autem supra diximus, Noah esse virginem super omnes virgines, ita hic quoque videmus, eum fuisse martyrem super omnes martyres. Nam nostrorum martyrum, quos sic appellamus, optima conditio est; firmati enim per Spiritum sanctum una hora mortem vincunt, et defunguntur omnibus periculis et tentationibus. Noah autem inter impios totos sex-

centos annos vixit, non sine multis et gravissimis tentationibus et periculis, sicut Lot in Sodomis.

Atque haec quoque causa fortasse fuit, cur nato Noah pater Lamech hoc nomen indiderit. Videns enim sanctus pater invalescentem mundi malitiam, concepit spem de filio, futurum, ut consolaretur pios, hoc est, ut peccato et Satanae, ejus auctori, se opponeret, et restitueret amissam justitiam. Sed malitia, quae tum coepit, non solum sub Noah non desiit, sed etiam magis grassata est. Est itaque Noah martyr super omnes martyres. Quanto enim levius est una horà defungi omnibus periculis, quam esse spectatorem tot seculis tot et tantarum malitiarum mundi?

Sicut autem supra dixi, in ea opinione sum, Noah ideo abstinuisse tam diu a conjugio, ne in suis cogeretur eadem videre et pati, quae videbat in aliorum sanctorum posteris. Ista igitur consideratio malitiae humanae fuit summa crux, sicut Petrus de Lot in Sodomis dicit, 2. Petr. 2, (v. 8.): „Iusti anima, cum apud eos habitaret, in dies cruciabatur videndo et audiendo horum iniqua opera".

Multiplicatio igitur hominum, de qua Moses loquitur, non tantum pertinet ad tempora Noah, sed etiam ad superiorum Patriarcharum aetatem. Ibi enim coepit violatio primae tabulae, contemtus Dei et verbi. Quem postea secuta sunt illa crassa peccata, injuriae, tyrannis, libidines, quarum Moses hic diserte meminit, et ab iis, tanquam a causa mali, incipit. Nam consule omnes historias, vide tragoedias Graecas, res barbaras et Latinas omnium temporum, et invenies ex libidinibus omnis generis incommoda esse enata. Non autem fieri potest, quin,

ubi verbum non est, aut negligitur, homines in libidines ruant.

Trahunt autem libidines secum alia infinita mala, superbiam, injurias, perjuria etc. His peccatis non potest alia ratione occurri, quam per primam tabulam, ut homines incipiant timere Deum, et ei confidere. Tunc enim fiet, ut verbum sequantur, tanquam lucernam praeeuntem in tenebris, et scandalis istis non indulgeant, sed ea caveant. Sublata autem prima tabula, impossibile est, quin omnis generis flagitia et peccata invalescant.

Sed mirum videri potest, quod Moses inter peccata videtur numerare procreationem filiarum, quam tamen supra in Patribus laudavit, et est benedictio Dei etiam in impiis; cur igitur inter peccata numerat?

Respondeo: Non damnat simpliciter procreationem, sed abusum, qui est ex peccato originali. Nam regia majestas, sapientia, divitiae, vires corporis sunt res bonae, quas habere etiam bonum est; nam divinitus conceduntur hominibus. Sed quod homines cum his donis proruunt extra primam tabulam, et contra primam tabulam hisce donis instructi pugnant, deinde etiam secundam tabulam licentius violant: haec impietas est digna, quae damnetur. Ideo Moses quoque singularibus verbis utitur. „Videbant, inquit, filias hominum filii Dei, quod essent pulchrae, et acceperunt uxores ex omnibus, quas elegerunt", nullo scilicet habito respectu Dei, juris naturalis et positivi.

Ergo post primam tabulam abjectam abjicitur etiam secunda tabula, et tenet ibi primum seu principem locum libido, quae spernit generationem, et

simpliciter fit belluina, cum Deus conjugia et in subsidium infirmae naturae, et ad generationem potissimum instituerit. Cum autem ad hunc modum libido vicit, postea convulsa ruunt praecedentia et sequentia praecepta, non parcitur honori parentum, non abstinetur a caedibus, occupantur aliena, dicuntur falsa testimonia etc.

Vocabulum יִרְאוּ, viderunt, non est simpliciter intueri, sed cum voluptate et delectatione inspicere, ut saepe in Psalmis: „Oculus meus despexit inimicos meos", hoc est, cum voluptate vidi vindictam inimicorum meorum.

Significat itaque hoc loco, quod aversis oculis a Deo et verbo ejus, verterunt eos ad oculum libidinis in filias hominum. Sic perpetua consequentia sequitur: ex violatione primae tabulae ruere homines etiam ad violationem secundae tabulae. Contemto Deo, etiam leges naturae contemserunt, et duxerunt pro arbitrio uxores, quas vellent. Haec sane dura verba sunt, et tamen existimo, constitisse libidinem adhuc intra suos limites, quod neque cum matribus incestum commiserunt, sicut in sequenti mundo apud Cananaeos est factum, neque Sodomorum turpitudine se polluerunt. Nam Moses hoc solum accusat, quod leges Patrum abjecerint, et nullam certam conjugiorum legem sint secuti, sed simpliciter libidinem, et quam amaverint, eam contra parentum voluntatem rapuerint.

Videntur autem Patres singulari severitate interdixisse, ne cum Cainitis contraherent, sicut postea lex exstitit, ne Iudaei cum Cananaeis miscerentur. Etsi autem non desint, qui scribant, incestuosas nuptias ante diluvium fuisse, nulla reverentia sanguinis

habite, tamen, quia Petrus primum mundum laudat, puto, illa incestuum monstra nondum fuisse, sed peccatum primi mundi fuisse, quod contemta patrum auctoritate, ex Cainitis duxerunt, quot et quas voluerunt, dominante scilicet illis libidine. Durum autem verbum est, quod dicit: „Quas elegerunt".

Supra autem aliquoties ostendi, istas duas generationes seu ecclesias fuisse separatas, Adae et Cain. Expulit enim, sicut Moses clare testatur, Adam homicidam e suo consortio. Sine dubio igitur posteros quoque suos hortatus est Adam, ut malignantium ecclesiam caverent, et non miscerentur cum maledicta generatione Cain. Ac paruerunt huic consilio seu mandato posteri aliquandiu.

Cum autem Adam mortuus est, et reliquorum Patriarcharum auctoritas vilesceret, etiam impiae generationis nuptias et affinitatem filii Dei, (hoc est, illi, qui habebant promissionem seminis benedicti, et pertinebant ad benedictum semen) appetiverunt. Simpliciter enim filios Dei vocat Patriarcharum filios, quibus data erat promissio seminis benedicti, et erant vera ecclesia. Hi scandalis Cainicae ecclesiae cedentes, indulgebant ipsi quoque carni, et accipiebant uxores ex generatione Cainica, item pellices, quot et quas volebant. Haec cum dolore Lamech et Noah viderunt; ideo fortasse tardius accesserunt ad conjugium.

Iudaei hic quoque varie ineptiunt. Exponunt filios Dei daemones incubos, ex quibus nata sit illa impia generatio, ac dicunt, vocari filios Dei propter spiritualem naturam. Sed has ineptias moderatiores refutant, et exponunt filios Dei filios potentum. Id quoque Lyra non inerudite refellit; fuit enim poena

haec diluvii non tantum potentum poena, sed omnis carnis, sicut etiam erit poena novissimi diei.

Quod autem ad incubos et succubos daemones attinet, non nego, sed credo, posse fieri, ut daemon sit vel succubus, vel incubus: audivi enim multos recitantes sua ipsorum exempla. Ac Augustinus quoque dicit, idem se audivisse a fide dignis hominibus, quibus coactus sit credere. Gratum enim Satanae est, si ludificari nos in hunc modum sumta specie vel juvenis, vel mulierculae possit. Sed quod ex Diabolo et homine possit aliquid generari, hoc simpliciter falsum est. Quod igitur de monstrosis partubus daemonum simillimis dicitur, quorum aliquos ego vidi, eos aut a Diabolo deformatos, non autem a Diabolo generatos esse sentio, aut sunt veri Diaboli, habentes carnem vel fictam, vel aliunde furatam. Si enim, Deo permittente, Diabolus totum hominem potest possidere, et mentem mutare, quid mirum est, si etiam deformet corpus? si vel caecos, vel claudos nasci faciat?

Potest igitur ludificari homines profanos, et sine timore Dei viventes, ut, cum daemon in lecto sit, existimet adolescens, se habere puellam, aut puella adolescentem; sed quod ex illo concubitu aliquid possit generari, hoc non credo. Nam multae veneficae passim igni subjectae et crematae sunt, quod cum daemone consuetudinem habuerunt. Si enim potest ludificari oculos et aures, ut putes, te videre et audire aliquid, quod tamen non est, quanto facilius ei est ludificari sensum tactus, quem haec natura habet crassissimum? Sed desino; nam ad praesentem locum nihil faciunt, et Iudaeorum futilitate in hunc sermonem lapsi sumus.

Vera igitur sententia est, quod filios Dei Moses vocat homines, qui pertinebant ad promissionem seminis benedicti. Est enim phrasis novi testamenti, et significat credentes, qui Deum vocant patrem, et quos Deus vicissim vocat filios. Non enim ideo diluvium venit, quod Cainica generatio esset corrupta, sed quod justorum generatio, qui crediderant Deo, paruerant verbo, veros cultus habuerant, in idolatriam, inobedientiam parentum, voluptates, tyrannidem prolapsi sunt. Sicut etiam novissimam diem properabit, non hoc, quod gentes, Turcae, Iudaei sunt impii, sed quod per Papam et fanaticos spiritus ipsa ecclesia erroribus repleta est, quod voluptates, libidines, tyrannidem etiam illi exercent, qui in ecclesia primum locum habent.

Pertinet autem hoc in terrorem omnium nostrum, quod etiam illi insolescere coeperunt, et discedere a verbo, qui ex optimis Patriarchis sunt nati. De sua sapientia et justitia gloriati sunt, sicut Iudaei de circumcisione et de patre Abraham: item, sicut Pontifices de titulo ecclesiae, omissa cognitione Dei, verbo et cultu coeperunt transferre gloriam suam spiritualem in luxuriam carnalem. Fuit ecclesia Romana vere sancta, et praestantissimis martyribus ornata; sed hodie videmus, quo delapsa sit.

Nemo igitur de donis, quantumvis magnis, glorietur; summum donum est, esse membrum verae ecclesiae. Sed cave, ne ideo superbias; potes enim labi, sicut Lucifer de coelo est lapsus, et sicut hic audimus filios Dei esse lapsos in carnales voluptates. Itaque non amplius sunt filii Dei, sed filii Diaboli, lapsi simul de prima et secunda tabula. Sicut olim Pontifices et Episcopi fuerunt boni et sancti,

hodie

hodie sunt omnium hominum deterrimi, et quasi faex omnium ordinum.

In hac igitur hominum colluvie degenerantium a majorum suorum pietate et virtutibus sanctus Noah vixit in summo contemtu et odio omnium. Quo modo enim potuit hanc degenerantis posteritatis libidinem probare? At ipsi impatientissimi fuere reprehensionum.

Fulgente itaque et lucente exemplo ejus, replente sanctitate ejus orbem terrarum, mundus de die in diem fit deterior, et quo major sanctimonia et castitas Noah est, tanto mundus magis furit libidine. Sed haec sunt initia, quae semper vastitatem praecedunt. Quando enim Deus suscitat sanctos homines, plenos Spiritu Dei, ut erudiant et arguant mundum, mundus impatiens sanae doctrinae majore studio incumbit in peccata, et ea urget pertinacius. Hoc ab initio mundi sic factum est, et experimur nunc in fine mundi idem fieri.

Dixitque Dominus: Non judicabit Spiritus meus in homine perpetuo, quia caro est; erit eis adhuc tempus centum viginti anni.

Hic incipit Moses ipsum Noah describere, tanquam summum Pontificem et sacerdotem, seu, ut Petrus eum vocat, praeconem justitiae. Est autem hic textus varie laceratus; non enim potest fieri, ut animalis homo intelligat spiritualia illa. Cum igitur interpretes illotis pedibus et manibus irruerent in sacram scripturam, afferentes humanos affectus et rationem, ut ipsi loquuntur, dictantem, necessario in varias et erroneas opiniones inciderunt. Ac fere ac-

sancta lingua, ubi theologicae et spirituales res tractantur, omissa rerum proprietate, sententias ex regulis grammaticis colligere? Atqui hoc Rabini et eorum discipuli fere ubique faciunt. Possunt multa tum nomina, tum verba declinari, quorum nullus in lingua usus esse cernitur. Haec dum sequuntur, et etymologiam ubique sollicite venantur, incidunt in mirabiles phantasias.

Sic cum hoc loco verbum possit deduci a nomine נָדָן, prodigiosam sententiam inde conficiunt: Spiritus meus, dicunt, non detentus erit tanquam in vagina. Intelligunt autem spiritum hominis, qui in corpore tanquam in vagina continetur. Eum, inquiunt, non relinquam in vagina, sed eximam et vaginam perdam. Haec absurditas ex praerancidis regulis grammaticorum enata est, cum potius usus loquendi considerandus sit; is enim est, qui grammaticum erudit.

Recito autem haec eo prolixius, ut moneam vos, ne cum in tam ineptos interpretes incideritis, eos sequamini, et admiremini tanquam singularem sapientiam. Nam etiam magni viri hisce Rabinorum stultitiis delectantur, non dissimiles Sacramentariis, qui verba Christi non negant: Hoc est corpus meum, sed sic exponunt: Panis est panis, et tamen corpus Christi, id est, creatura ejus. Hic est sanguis meus, id est, est vinum meum. Hanc libidinem depravandarum sententiarum nemo sanus ferret in fabulis Terentii, aut Virgilii eclogis, et scilicet nos eam feremus in ecclesia?

Ad scripturae sententiam intelligendam requiritur Spiritus Christi. Scimus autem, esse eundem Spiritum usque ad finem mundi, qui fuit ante om-

nia. Hunc Spiritum, Dei beneficio, gloriamur nos habere, et per eum habemus etiam fidem, intelligentiam scripturarum mediocrem, et reliquarum rerum cognitionem, quae ad pietatem sunt necessariae. Non igitur fingimus novam sententiam; analogiam tum scripturae sacrae, tum etiam fidei sequimur.

Per totam igitur scripturam sacram verbum judicandi, דִּין *), fere significat publicum officium in ecclesia, seu praedicationem, qua arguimur, reprehendimur, docemur, discernimus bona a malis etc. Sicut Psalm. 110, (v. 6.) יָדִין בַּגּוֹיִם, judicabit in nationibus, hoc est, praedicabit inter gentes. Est enim plane idem verbum, quod hoc in loco. Ac in novo testamento haec phrasis ex Ebraeo sumta usitatissima est, praesertim apud Paulum, qui plus caeteris ebraisat.

Sic igitur hunc locum intelligo, quod haec verba sint dicta vel ab ipso Lamech, vel a Noah, tanquam nova concio proposita orbi terrarum. Fuit enim publica concio, seu sententia in publica synodo proposita. Postquam enim viderunt Methusalah, Lamech, Noah, mundum per peccata recta ad interitum festinare, concluserunt in hanc sententiam: Spiritus meus non judicabit amplius inter homines, hoc est, frustra docemus, frustra monemus; mundus non vult emendari. Ac si quis in tanta praesentium temporum perversitate dicat: Nos quidem docemus et satagimus, ut revocetur mundus ad sobrietatem et pietatem; sed ridemur, persequutionem patimur, occidimur, denique omnes excaecatis oculis et auribus ruunt ad interitum: cogimur itaque desinere. Sic

---

*) In edit. princ. Don.

sunt haec animi deliberantis, quid sit faciendum, et anxii, tanquam in extremo discrimine totius generis humani, quod tamen vident non posse sanari."

Haec sententia habet analogiam fidei et scripturae sanctae. Videmus enim, cum verbum revelatur de coelo, aliquos converti, qui liberantur a damnatione. Reliqua turba contemnit, secure indulget avaritiae, libidini et aliis vitiis, sicut Ierem. (51, 9.) de Babylone dicit: „Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus igitur eam, et eat unusquisque in terram suam".

Sic Moses et Aaron quanto hortabantur et docebant diligentius, tanto Pharaö obstinatior reddebatur. Iudaei ipsa Christi et Apostolorum praedicatione non emendabantur. Nobis hodie docentibus idem accidit. Quid igitur faciemus? Deplorare hominum caecitatem et obstinaciam possumus, emendare non possumus. Quis enim gaudeat de aeterna damnatione Pontificum, et qui eos sequuntur? Quis non mallet, ut amplecterentur verbum, et resipiscerent?

Similem obstinaciam suorum temporum viderunt Methusalah, Lamech, Noah. Erumpit igitur eis illa desperationis vox: Spiritus meus, hoc est, doctrina sana non amplius judicabit inter homines. Quia enim verbum non vultis amplecti, non vultis acquiescere in sana doctrina, pereatis.

Sic sunt haec verba anxii cordis, et, ut Scriptura loquitur: Deus anxius est, hoc est, cor Noah, Lamech, Methusalah et aliorum sanctorum hominum, qui pleni sunt caritate erga omnes; hi postquam istam hominum malitiam vident, anguntur et dolent.

Haec tristitia est tristitia proprie Spiritus sancti, sicut Paulus Ephes. 4, (v. 30.) loquitur: „Ne

contristetis Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis ad diem redemtionis". Significat enim Spiritum sanctum contristari, quando nos miseri homines conturbamur, et torquemur malitia mundi, contemnentis verbum, quod in Spiritu sancto praedicamus. Sicut Lot turbatus est in Sodomis, pii Iudaei in Babylone sub impio rege Belsazer; Ieremias, cum praedicaret impiis Iudaeis, et clamaret (15, 10.): „Vae mihi, quia mater mea me peperit"; Michas, cap. 7, (v. 1.): „Vae mihi: factus sum, sicut qui in vinea uvam quaerit, et non invenit".

Porro haec ira Dei maxime horribilis est, cum verbum revocat. Quis enim non malit pestem, famem, gladium, (sunt enim corporum incommoda) quam verbi famem, quae semper cum damnatione aeterna conjuncta est? Exemplo sunt gentes verbo destitutae, in quam horribiles tenebras Satan possit hominem inducere, tacente Deo, et non loquente eis? Quis non horreat, quod Romani, homines sapientia praestantes, et disciplinae gravitate prae caeteris gentibus illustres, in more habuerunt, ut honestae matronae Priapum, turpissimum idolum, colerent, et coronarent, ut virgines sponsae ad id adducerentur? Quid ridiculum magis, quam quod Aegyptii vitulum Apin adorarunt, tanquam supremum numen.

Testatur tripartita historia, quod primum per Constantinum Magnum in Phoenicia et aliis vicinis partibus abolitus fuerit foedissimus mos prostituendarum virginum ante nuptias. Haec monstra, imo probra pro religione et pro justitia apud gentes habita sunt; nihil enim jam est ridiculum, stultum, obscoenum, alienum ab omni honestate, quod non pro

cultu summo hominibus, verbo Dei destitutis, possit obtrudi.

Summa igitur haec poena est, quam hoc loco Dominus per os sanctorum Patriarcharum minatur, quod non sit judicaturus amplius per Spiritum suum homines, hoc est, quod, cum frustra sit omnis doctrina, nolit posthac verbum suum hominibus dare.

Hanc poenam etiam nostra tempora Germaniae adducent. Videmus enim, quam festinet Satan, quam sit inquietus, et omnia tentet, quibus verbum Dei potest impedire. Quantum sectarum excitavit, nobis viventibus, et omni studio in id incumbentibus, ut puritas doctrinae retineatur? Quid futurum est nobis mortuis? Profecto tota agmina Sacramentariorum, Anabaptistarum, Antinomorum, Servetianorum, Campanistarum et aliorum Haereticorum producet, qui nunc victi puritate verbi et assiduitate piorum doctorum latent, in omnes occasiones stabiliendorum suorum dogmatum intenti.

Ergo, qui verbum purum habent, discant id amplecti, et pro eo agere Domino gratias, et quaerant Dominum, dum potest inveniri. Ablato enim spiritu doctrinae, etiam spiritus precum auferetur, sicut Zacharias (12, 10.) appellat. Nam spiritus precum cum spiritu gratiae conjunctus est. Est autem spiritus gratiae, qui arguit peccata, et docet de remissione peccatorum, qui damnat idolatriam, et docet de vero Dei cultu, qui damnat avaritiam, libidines, tyrannidem, et docet castitatem, patientiam, beneficentiam. Hunc spiritum hoc in loco minatur Dominus non amplius judicaturum, quia nolint audire, et sint incorrigibiles. Ablato autem hoc spiritu, etiam precum

spiritus ablatus est. Impossibile enim est, orare eum, qui verbum non habet. Ad hunc modum duplex est officium sacerdotis, primum, ut vertat se ad Deum, et oret pro se et pro suo populo, secundum, ut vertat se a Deo ad homines per doctrinam et verbum. Sic Samuel dicit, 1. Regg. 12. (1. Sam. 12, 23.): „Absit a me, ut pro vobis non orem, et vos non dirigam ad viam bonam et rectam". Agnoscit enim, hoc esse proprium sui officii.

Recte igitur ministerium praedicatur et habetur summi beneficii loco. Nam hoc cum ablatum aut vitiatum est, non solum non potest orari, sed homines simpliciter sunt in potestate Diaboli, et nihil aliud faciunt, quam ut omnibus suis factis contristent Spiritum sanctum, et sic incidant in peccatum ad mortem, pro quo non licet orare. Ergo alii lapsus, quales sunt hominum, leves sunt; patet enim reditus, et spes veniae relicta est. Sed cum contristatur Spiritus sanctus, et homines nolunt a Spiritu sancto judicari et argui, haec desperata et insanabilis plaga est.

Sed quam commune hoc peccatum est hodie in omnibus ordinibus! Non principes, non nobiles, imo non cives, non rustici volunt argui; potius arguunt ipsi Spiritum sanctum, et judicant in ministris. Metiuntur enim ministerium ex personae vilitate. Sic cogitant: Iste minister est pauper et contemtus, cur igitur me argueret, qui sum princeps, nobilis, magistratus?*) Potius igitur, quam hoc ferant, ministros cum ipso ministerio et verbo conculcant. An non igitur metuenda similis Dei sententia est, qualem hic proponit primo mundo?

*) Edit. princ. mistigratus.

Sunt igitur haec verba patris exhaereditantis filium, seu praeceptoris inclementis et cum ira dimittentis discipulum, quod simpliciter constituit annos centum et viginti, si intra hoc spatium velint poenitere. Si non, minatur spiritum suum non amplius arguiturum, non rixaturum amplius.

Pertinet igitur vocabulum hoc proprie ad ministerium, et id quodam modo pingit. Omnis enim praedicator seu verbi minister est vir rixarum et judicii; ac cogitur ex officio reprehendere, quicquid vitiosum est, non habita ratione vel personae, vel officii in auditoribus. Hoc cum Ieremias sedulo facit, non solum odium, sed etiam pericula gravissima sustinet. Movetur igitur ipse quoque ad impatientiam, ut optet, se nunquam esse natum (Ier. 20, 7.).

Ego quoque, si non singulariter confirmatus essem a Deo, jamdudum defatigatus et fractus essem ista pertinacia impoenitentis mundi. Ita enim contristant impii Spiritum sanctum in nobis, ut cum Ieremia optemus non nunquam, nihil a nobis esse coeptum. Saepe igitur Deum oro, ut generationem nostram sinat nobiscum mori, propterea quod, nobis sublatis, periculosissima tempora sequentur.

Hanc ob causam Elias quoque ab impio rege Ahab vocatur conturbator Israel, quia videlicet arguebat idolatriam, tyrannidem, libidines suorum temporum.

Nos quoque hodie habemur pro conturbatoribus Germaniae. Sed bonum signum est, cum homines nos damnant, et vocant rixarum auctores. Talis enim Spiritus Dei est, qui rixatur cum hominibus, eos arguit et damnat. Homines autem tales sunt, ut velint doceri sibi placentia, sicut apud Michae cap. 2,

(v. 6. 7.) libere dicunt: „Non stillabis super nos; non enim comprehendet nos confusio, inquit domus Iacob". Hoc posterius est vice rationis; quia enim vident, se esse domum Iacob et populum Dei, ideo nolunt castigari, nolunt ad se pertinere poenas et minas. Sicut hodie Pontifex et sui complices uno eo nituntur, quod sint ecclesia, et statuunt, ecclesiam non posse errare. Sed hunc textum vide, et apparebit, quam frivola haec sit ratio.

Nonne enim hi, quibus minatur Deus, quod non velit eos amplius judicare Spiritu suo, etiam sunt filii Dei? Hoc nomine quid potest esse splendidius? Sine dubio autem hoc nomine gloriati sunt, et comminantibus Patribus se opposuerunt, aut saltem contemserunt eorum praedicationem. Non enim videtur Deus propter pauca peccata in universum genus humanum saeviturus esse. Sed magnificus titulus non juvit eos, non profuit, quod potentes et infiniti essent numero.

Ex Aegypto sexcenties mille egressi sunt, et duo tantum ingressi in terram Canaan, reliqui omnes propter peccata morte praeventi sunt.

Plane ad hunc modum non curabit Deus magnificos titulos ecclesiae, Pontificum, Episcoporum. Alio testimonio opus erit, si volent effugere iram Dei, quam quod se ecclesiam esse jactant. Sic enim scriptum est, Matth. 7, (v. 20.): „Ex fructibus eorum cognoscetis eos". Item (v. 21.): „Non omnis, qui mihi dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum".

Si aliquando futurum concilium est, quod tamen vix credo, nemo adversariis nostris hunc ecclesiae

titulum poterit detrahere, atque hoc uno suffulti damnabunt et opprimen nos. Sed aliud erit judicium, cum apparebit Filius hominis in gloria. Ibi patefient *) vera et sancta sanctae ecclesiae membra fuisse sanctum Dei martyrem Ioannem Hus, et Hieronymum de Praga: Pontificem autem, Cardinales, Episcopos, doctores, Monachos, sacrificulos omnes fuisse ecclesiam malignantium in cathedra pestilentiae, et vera Satanae mancipia, praebentia patri suo operam ad mendacia et caedes.

Tale judicium Dei hic quoque videmus. Non negat, generationem sanctorum esse filios Dei; hunc magnificum titulum, quo inflabantur et secure peccabant, relinquit eis Deus: et tamen his ipsis Dei filiis, qui filias hominum ducebant, minatur, quod non solum verbum ex ipsorum animis et cordibus velit auferre, sed quod etiam ex oculis atque auribus velit auferre Spiritum officiantem, qui praedicat, orat, arguit, docet, gemit in sanctis ministris, idque ideo, quia hi filii Dei nolunt castigari, nolunt argui, sed, quia filios Dei se esse norunt, ideo contemnunt verbum et doctores. Sed poenam non effugiunt propter hunc titulum. Idem Papistis accidet et omnibus verbi adversariis.

Ad hunc modum existimo hoc in loco affectum piorum hominum referri ad ipsum Deum usitato more scripturae sacrae, sicut Malachiae 3, (v. 8.) dicit Dominus, se configi, seu, ut in Ebraeo est, sibi vim fieri, cum populus primitias et decimas infideliter offerret sacerdotibus.

Sed quid, inquies, opus est Deo tali querela? An non subito totum mundum, cum vult, potest

---

*) Scribe: patefiet.

perdere? Profecto potest, sed non facit libenter, sicut dicit (Ezech. 15, 12.): „Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat“. Probat itaque hic affectus, Deum esse paratum ad ignoscentiam, tolerantiam et remissionem peccatorum, si modo homines vellent resipiscere: sed quia obstinati pergunt, et remedia omnia abjiciunt, discruciatur quasi, ista hominum malitia.

Refero igitur verbum: „Dixit Deus“, ad sanctos Patres, qui publico decreto testati sunt, Deum cogi ad vindictam; nam divina auctoritate docuerunt. Cum igitur Noah et majores ejus ad mille ferme annos praedicassent, et tamen mundus quotidie magis ac magis degeneraret, proponunt sententiam Dei ingrato mundo, cogitantis: Quid, si in infinitum usque praedicarem, et sinerem, meos concionatores perpetuo frustra clamare? quanto enim plures mitto, quo longius iram differo, eo fiunt deteriores. Oportet igitur, ut praedicationem finiam, et plagam adducam. Non sinam, ut Spiritus meus, hoc est, verbum meum in perpetuum judicet et praedicet, tolerans malitiam hominum: cogor, ut puniam peccata. „Quia homo caro est“, hoc est, homo est mihi contrarius. Est animalis, ego sum spiritus. Pergit homo in sua carnalitate, ridet verbum, persequitur, odit Spiritum meum in Patriarchis, surdis narratur fabula. Oportet igitur, ut cessem, et sinam hominem sic perversum ire suas vias. Hanc antithesin voluit ostendere, cum dicit: „Quia caro est“.

Nam Noah, Lamech, Methusalah fuerunt homines sanctissimi, pleni Spiritu Dei. Itaque fecerunt officium suum docendo, hortando, urgendo, instando opportune, importune, sicut Paulus dicit 2. Tim. 4,

Gen. 2. Sed arguebant carnem, et sumebant vanum laborem; non enim caro acquiescebat sanae doctrinae. Num igitur perpetuo, inquit, hunc verbi contemtum feram?

Continet igitur haec sententia publicam querimoniam, factam ex Spiritu sancto, per sanctos Patriarchas, Noah, Lamech, Methusalah et alios, quos Deus ante diluvium rapuit, ne essent spectatores tam late grassantis irae. Hi omnes communi voce et uno ore hortati sunt gigantes et tyrannos ad poenitentiam, et addiderunt hanc comminationem, Deum hunc contemtum sui verbi non in perpetuum toleraturum esse. Sed caro suo more facit: pias admonitiones fiducia et securitate carnali contemserunt, et sanctos Patriarchas pro deliris senibus et fatuis habuerunt, quod minarentur, Deum etiam saeviturum in ecclesiam suam, hoc est, in posteritatem, quae habebat promissionem futuri seminis.

Particulam, quae additur: „Et erunt dies ejus centum et viginti anni", etiam Hieronymus negat intelligendam de annis vitae humanae, seu de singulorum hominum aetate; constat enim, post diluvium multos ducentesimum annum egressos. Quodsi ad singulorum annos privatos referas, promissio erit, futurum, ut singuli tot annos absolvant; sed id quoque falsum est. Loquitur igitur de tempore, quod concessum est mundo ad poenitentiam, antequam diluvium veniret.

Atque haec sententia cum praecedentibus convenit. Ostendit enim Deus, sibi istam hominum perversitatem displicere. Anxius itaque est, et libenter parceret; invitus quasi sinit grassari diluvium. Itaque certum tempus et longum satis poenitentiae consti-

tuit, ut resipiscant et poenam effugiant. Eo toto tempore Noah ad poenitentiam homines hortatus est: non futurum, ut istam impietatem longius ferat Deus, et tamen sic esse benignum, ut satis longum tempus concedat poenitentiae etc.

Sic pulchre cohaerent verba et sententiae. Sententia praecedens minatur: Non possum longius ferre contemtum verbi mei; praedicatores et sacerdotes mei infinito suo labore nihil proficiunt, quam ut rideantur. Sicut igitur pater aut judex bonus libenter parceret filio, sed malitia filii eum cogit durum esse, ita (inquit hic Dominus) non libenter perdo totum humanum genus. Concedam igitur eis annos centum et viginti, quibus resipiscant, et ego eorum miserear etc.

Horribilis igitur plaga fuit, quod neque fratres, nec sorores Noah servati sunt. Ideo necesse fuit, ut praecederet gravissima comminatio, si forte possent revocari ad poenitentiam. Ninivitis Ionas interitum praedicit intra dies quadraginta, ac poenitent illi, et servantur.

Apparet igitur, primi mundi extremam fuisse securitatem, qui, cum centum et viginti annos haberet, tamen obstinatus in libidinibus suis permansit, etiam ridens Pontificem suum, justitiae praeconem, Noah.

Hodie, cum instet dies Domini, fere eadem fiunt; hortamur ad poenitentiam Papistas, hortamur nostros nobiles, cives et rusticos, monemus, ne pergant contemnere verbum; nam Deus id inultum non relinquet. Sed consumimus fortitudinem nostram frustra, sicut scriptura dicit; pauci fideles aedificantur, hi paulatim colliguntur a facie malitiae, et „nemo est, qui intelligat", sicut Esa. 57, (v. 1.) dicitur. Sed

postquam ad hunc modum triticum excussit Dominus, et collegit grana in suum locum, quid putas de paleis futurum esse? Nimirum comburentur igni inextinguibili, Matth. 13, (v. 42.). Haec mundi erit fortuna.

Sed non intelligit jam hoc agi, ut per evangelii doctrinam separetur triticum a palea, et congregetur in horreum, ut postea paleae, hoc est, incredulorum turba, in tenebris et idolatria posita, tradantur igni. Sicut scriptum est: „In die salutis adjuvi te, et servavi te“, Esaiae 49, (v. 8.). Hunc diem salutis qui praetermittunt, hi Deum habebunt ultorem; non enim vult sumere inanem operam in triturandis inanibus paleis.

Sed mundus est caro, non obsequitur, imo quanto propior et vicinior est calamitati, tanto est securior, tanto contemnit liberius omnes pias admonitiones. Hoc scandalum etsi pios movet, tamen statuere debemus, Deum non frustra per Spiritum suum arguere mundum, nec frustra contristari Spiritum sanctum in piis. Ac utitur hoc ipso exemplo Christus, cum nostri seculi impietatem et securitatem praedicit: „Erunt, inquit, sicut tempore Noah et Lot“, Matth. 24, (v. 37.).

Observandum autem hic est illud, in quo etiam D. Hieronymus laborat, quod scilicet diluvium venit centesimo anno post natum Sem, Cham et Iapheth, hic autem diluvii tempus dicuntur anni centum et viginti.

Sed hic locus ostendit, Noah coepisse praedicationem suam de futura diluvii poena, antequam duxisset uxorem, cum adhuc esset in caelibe vita. Hic igitur cogita, quos ludos praebuerit impio et

secu-

securo mundo? Praedicit vastationem per diluvium toti mundo, et ipse uxorem ducit. Cur? Num non satis est, ut solus pereat, etiam adsciscit sibi sociam calamitatis? O stultum senem, certe si crederet, mundum diluvio periturum, solus potius periret, quam ut uxorem duceret, et daret operam procreandis liberis. Sin autem servabitur ipse, servabimur nos quoque.

Ad hunc modum propter nuptias Noah coeperunt certius contemnere praedicationem de diluvio ignari consiliorum Dei, sic agentis, ut mundus prorsus non intelligat. Quam absurdum est, quod Abrahae promittit posteritatem per Isaac, et tamen jubet Isaac immolari?

Divus Hieronymus igitur in eam sententiam respondet, Deum quidem praefinivisse diluvio centum et viginti annos, sed cum invalesceret malitia, coactum, ut tempus illud abbreviaret.

Sed nos non faciemus Deum mendacem; potius hoc statuemus, Noah adhuc coelibem praedicasse, mundum per diluvium vastandum esse, ac jussu divino postea puellam, tanquam ramusculum ex toto genere femineo, accepisse, et generasse tres filios. Scriptum enim infra est, invenisse eum gratiam coram Deo; alioqui, qui tam diu abstinuerat, etiam porro a nuptiis poterat abstinere. Sed voluit Deus relinquere seminarium generis humani, ut aliquis modus irae esset: itaque jubet, ut uxorem ducat. Id impii existimant, signum esse futurum, ut mundus non pereat: vivunt itaque securi, et contemnunt praedicatorem Noah. Sed Dei consilium aliud est, ut scilicet totum mundum perdat, et per hunc Noah justum seminarium futuro mundo relinquat.

Fuit igitur Noah summus propheta, cujus similem mundus non habuit. Nam primum longissimo tempore docet: deinde docet de poena universali totius mundi, ac quidem annum definit, quo ventura sit. Christus quoque vaticinatur de extremo judicio, quo universa caro peribit. „Sed de hora illa, dicit (Marc. 13, 32.), nemo scit, praeter Patrem, qui hoc sibi reservavit". Ionas praedicit quadraginta dies Ninivitis, Ieremias septuaginta annos captivitatis, Daniel hebdomadas septuaginta usque ad futurum Christum. Sunt hae insignes prophetiae, quibus certum tempus, locus, personae describuntur.

Sed haec Noah vaticinatio vincit omnes, quod per Spiritum sanctum praedicit tam certum numerum annorum, quo totum genus humanum periturum sit, dignus, qui vocetur alter Adam, et princeps generis humani, per cujus os Deus loquitur, et totum mundum vocat ad poenitentiam.

Horribile est autem, quod ejus praedicatio sic secure contemta est, ut non solum ex Cainitis nemo, sed ne ex Adae quidem posteris emendaretur. Coactus igitur Noah est videre interitum fratrum, sororum, propinquorum, affinium sine numero, qui omnes pium senem et praedicationem ejus riserunt, tanquam anilem fabulam.

Proponitur autem horribile hoc exemplum ideo, ne nos perseveremus in peccatis. Si enim Deus originali mundo, qui optimus et ipse flos mundi seu adolescentia fuit, in quo tot sancti viri vixerunt, non pepercit, sed, sicut in Psalm. (81, 13.) est, „dimisit eos secundum desideria cordis sui", et abjecit, tanquam non pertinerent ad promissionem ecclesiae

factam, quanto minus nobis parcet, qui tales praerogativas non habemus?

Ergo sententia, quae hoc in loco fertur, quod Deus centum et viginti annos velit hominibus concedere ad poenitentiam, dicta et promulgata est, antequam Noah generasset.

De generatione Cainitarum, quos Patriarchas habuerint tempore diluvii, nihil scribitur; non enim dignos judicat Moses, quos nominet. Supra generationem eorum ad Lamech usque deduxit: sive autem ejus filii, sive nepotes vixerint tempore Noah, incertum est. Hoc certum est, posteritatem Cain tum adhuc fuisse, et quidem sic praevaluisse, ut in scandalum etiam inducerent filios Dei, si quidem etiam sanctorum Patriarcharum posteritas in diluvio periit.

Ante hoc tempus igitur sancti Patriarchae, tanquam verae ecclesiae gubernatores, monuerunt suos, ut caverent a generatione maledicta. At Cainitae aegre passi, quod damnarentur, omni genere calamitatum pios evertere conati sunt; nam ecclesia Satanae perpetuo belligeratur contra ecclesiam Dei.

Labentibus itaque paullatim piis, et invalescente impietate, Deus Noah suscitat, ut hortetur ad poenitentiam, et ut sit posteritati suae aeternum exemplum, cujus fidem ac in docendo diligentiam et assiduitatem admirentur et sequantur posteri. Magnum enim miraculum, et insignis fides fuit, quod Noah, audita hac sententia per Methusalah et Lamech, quod post annos centum et viginti mundus diluvio sit periturus, non dubitat, eam esse veram, et tamen transactis annis paene viginti, uxorem ducit, et generat liberos. Debebat potius ita cogitare: Si peribit genus humanum, cur uxorem ducam? cur ge-

nerabo filios? Si tot annis abstinui, etiam posthac abstinebo. Sed non facit hoc Noah; quin post latam sententiam de interitu mundi paret Deo, vocanti ad conjugium, et credit Deo, futurum, ut, etiam si totus mundus pereat, tamen ipse servetur cum suis liberis. Haec est insignis fides, et digna, quam consideremus.

Primum enim fuit in eo illa generalis fides de semine contrituro caput serpentis, quam fidem etiam alii Patriarchae habuerunt. Fuit autem singularis virtus, in tanta scandalorum multitudine hanc fiduciam retinere, et non discedere a Deo. Ad hanc fidem accessit deinde alia specialis fides, quod Deo credidit, et minanti reliquo toti mundo interitum, et promittenti salutem ipsi Noah et filiis. Ac sine dubio avus Methusalah et pater Lamech eum ad hanc fidem serio cohortati sunt. Tam enim difficile hoc fuit creditu, quam difficile fuit virgini Mariae credere, quod sola sit futura mater filii Dei.

Haec fides docuit eum contemnere securitatem mundi, a quo tanquam delirus senex derisus est. Haec fides hortata eum est, ut sedulo pergeret in aedificanda arca, quod aedificium sine dubio illi gigantes riserunt, tanquam extremam stultitiam. Haec fides ipsum Noah sic confirmavit, ut solus staret contra tot exempla mundi, et omnium judicia fortissime contemneret.

Est igitur ineffabilis paene et miraculosa fides haec novis articulis, et quidem gravissimis onerata, quam Spiritus sanctus in historia obiter ostendit, non autem explicat, ut scilicet nos diligentius cogitemus de omnibus circumstantiis. Primum enim vide seculum corruptissimum. Sicut autem ante hoc

tempus ecclesia habuit plurimos et sanctissimos Patriarchas, ita nunc talibus gubernatoribus destituta est; Adam, Seth, Enos, Kenan, Mahalaleel, Iared, Henoch, omnes sunt mortui, et ad tres numerus ille redactus est, ad Methusalah, Lamech et Noah. Hi enim soli superstites sunt, cum sententia illa de mundo per diluvium perdendo lata est. Hi tres vident, et coguntur ferre incredibilem malitiam hominum, idolatriam, blasphemias, violentas injurias, obscoenas libidines, doneo tandem etiam Methusalah et Lamech ex hac vita evocantur. Ibi solus Noah se ruenti in interitum mundo opposuit, si justitiam conservare, et injustitiam posset reprimere. Sed tam nihil profecit, ut videret, etiam Dei filios degenerare ad impietatem.

Haec ecclesiae ruina et vastatio afflixit animam justi, et paene fregit, sicut Petrus (2. Petr. 2, 8.) de Lot in Sodomis dicit. Quodsi Lot iniquis operibus in una civitate sic discruciatus et divexatus est, quid de Noah sentiemus, in quem non solum Cainica generatio saeviit, sed opposuerunt se ei etiam degenerans Patriarcharum generatio, deinde etiam propria ipsius domus, fratres, sorores, patrueles, consobrini etc.? Omnes enim corrupti et abducti sunt a fide per filias hominum, sicut textus dicit: „Videbant filias hominum".

Quaeso autem, cur non etiam queritur de masculis? aut cur non etiam queritur de filiabus Dei? Tantum dicit: „Videbant filias hominum". Ideo scilicet, quia generatio sancta Seth habuit peculiare mandatum, quoniam Cainitae a vera ecclesia exclusi erant, ut etiam affinitatem eorum caverent, ut neque politice per conjugia, neque ecclesiastice per cultus

miscerentur. Debent enim pii cavere omnes occasiones scandalorum.

Ac piorum Patrum praecipue ea cura fuit, dum prohibuerunt nuptias cum Cainitis, ut servarent suam generationem puram. Nam filiae afferunt in domos maritorum opiniones paternas et consuetudines etiam. Sic Salomon in regum historia per mulierem alienigenam legitur seductus; sic Iesabel invexit impietatem Syrorum in regnum Israel.

Idem viderunt sancti Patres futurum in sua generatione; ideo, postquam divino mandato segregatio Cainitarum facta erat, statuerunt, ne filii generationis sanctae ducerent filias hominum; nam filiae in generatione sancta facilius potuerunt prohiberi a conjugiis Cainitarum; filii autem liberiores et ferociores sunt.

Ad hunc modum Moses voluit ostendere, initium omnis mali inde ortum, quod filii Dei junxerunt se cum filiabus hominum, quas videbant formosas esse. Nam filii hominum, quia superbi et potentes erant, et sectabantur studiose voluptates, sine dubio despexerunt miseras puellas generationis sanctae, quas sancti Patriarchae non delicate, sed simpliciter et pudice in paupere cultu educarant. Non igitur necesse fuit, ut puellis talis lex ferretur, quae alioqui a nobilibus Cainitis negligebantur.

Si historias gentium consideres, etiam maxima regna occasione mulierum eversa sunt. Nota est Helenes infamia. Sacrae autem literae ostendunt, occasione mulieris totum genus humanum concidisse.

Haec tamen sine sexus contumelia commemoranda sunt; nam habemus mandatum: „Honora patrem et matrem tuam". (Ex. 20, 12.). Item: (Col. 3,

19.): „Vos viri, diligite uxores vestras". Nam quod Heva prima decerpsit pomum, verum est: prius tamen, quam id faceret, peccavit idolatria, et defecit a fide, quae fides, quam diu in corde est, regit et gubernat corpus; cum autem ex corde excessit, corpus servit peccato. Non igitur culpa in sexu est, sed in vitio, quod tum feminae, tum viro commune est.

Ad hunc modum Moses hoc in loco commemorat injurias et libidines. Sed hoc lectori relinquit considerandum, quod, antequam in secundam tabulam peccarent, peccarint in primam, et contemserint verbum Dei. Alioqui paruissent filii Dei voluntati piorum parentum, prohibentium nuptias cum iis, qui erant extra ecclesiam.

Concludit igitur Moses, quod posteri Patriarcharum prius deseruerunt cultum et verbum Dei, et discesserunt a praeceptis parentum, deinde in voluptates et libidines prolapsi sunt, et duxerunt uxores, quas vellent, item facti sunt tyranni, invaserunt bona aliorum etc. Nam mundus aliter non potest; postquam discessit a Deo, adorat Diabolum; postquam verbum contemsit, et in idolatrias lapsus est, proruit in omnia vitia concupiscentiarum, quibus irritatur potentia irascibilis post potentiam concupiscibilem, ut ita in omnibus appetitionibus sit extrema ἀταξία. Hanc cum pii arguunt, sequuntur injuriae et tyrannis in pios.

Sic peccatum diluvii complectitur hoc totum, quod peccatum dici potest, tum in prima, tum in secunda tabula, quod homines impii primum per infidelitatem a Deo discedunt, et verbum contemnunt: deinde discedunt etiam ab obedientia parentum, fiunt homicidae, adulteri etc.

Hoc eo commemoro, ne putes, sexum, aut conjugium per se accusari. Transgressio praeceptorum Dei et inobedientia erga parentes praecipue damnatur, quod, cum Cainitae nullam participationem haberent cum vera ecclesia, pii parentes etiam civiliter suam posteritatem voluerunt separatam a Cainitis, ne consuetudine impiarum conjugum depravarentur. Sed neglecto mandato Dei, et parentum auctoritate contemta, posteri lapsi sunt in peccatum appetitus concupiscibilis et irascibilis. Ad hunc modum salvatur honor sexus et dignitas conjugii, et arguitur tantum impietas, quae primum a Deo discedit, deinde etiam in sanctos injuria est.

Atque hoc volunt verba ipsa: „Filii Dei videntes filias hominum, quod essent pulchrae". Cur non viderunt etiam filias Dei, et concupiverunt eas, quae erant in ecclesia, et habebant promissionem seminis? Nonne convincuntur, quod contemnunt sexum suae generationis, hoc est, ecclesiae verae, et commiscent se cum carnali et impia generatione Cainitarum? Contemnunt simplicitatem et gravitatem suarum, et malunt ex Cainica generatione blandas, cultas, lascivas; has expetunt et colunt, illas aut negligunt plane, aut indignis modis tractant.

Sicut enim Heva jamjam peccatura intuebatur poma, talibus oculis filii Dei intuentur filias hominum. Viderat Heva etiam ante id tempus arborem prohibitam, sed oculis fidei, respicientis in mandatum Dei; ideo non appetebat, sed potius fugiebat eam. Sed cum oculi fidei excaecati essent, et simpliciter oculis carnis in arborem intueretur, cum voluptate extendebat manum, et etiam invitabat Adam maritum.

Ad hunc modum posteri Patriarcharum viderant ante id tempus, Cainitarum filias forma, cultu, morum elegantia praestantes esse. Sed non ideo se cum eis conjunxerunt; nam oculus fidei respiciebat in mandatum Dei, et promissionem de semine ex piorum generatione nascituro. Sed his fidei oculis amissis, non amplius neque mandatum, nec promissionem Dei vident, sed simpliciter sequuntur desiderium carnis, suae generationis puellas simplices, bonas, honestas contemnunt, Cainicas ducunt, quas vident comtas, blandas, facetas.

Non igitur peccatum est, quod uxores ducunt; non damnatur simpliciter sexus. Hoc damnatur, quod contemto mandato Dei, ducunt, quas non debebant, quod a vero cultu patiuntur se per uxores abducere ad impios cultus falsae ecclesiae, quod Cainitarum more parentum auctoritatem negligunt, violenti sunt, tyrannisant etc.

Hoc peccatum Moses clare ostendit, cum dicit: „Acceperunt uxores, quascunque elegerunt": quasi dicat: Uxorem accipere non malum, sed bonum est, si legitime fiat. Sed illi in hoc peccabant, quod sine ratione, et contra patrum voluntatem ac sententiam ducebant, quas et quot ipsi volebant, sine discrimine tam maritatas, quam solutas.

Durum hoc verbum est, quo Moses grandia peccata significat, quod sine discrimine duas aut plures uxores acceperunt, quod uxores mutarunt, aut vi aliis eripuerunt, sicut Herodes fratris Philippi uxorem possidet. Hanc libidinum licentiam infinitam Moses ostendit et damnat.

Berosus scribit, etiam incestas fuisse nuptias inter eos, ut suas sorores et matres ducerent. Sed du-

bito, an tam mali fuerint, et hoc ipsum satis grave peccatum est, quod in ducendis uxoribus non ratione, non parentum auctoritate, non denique verbo Dei usi sunt, sed simpliciter secuti sunt libidinem et concupiscentiam. Rapuerunt, quas voluerunt ac potuerunt, atque ita tum oeconomiam, tum politiam, addo etiam ecclesiam perturbarunt per illam furiosam libidinem.

Ergo peccatum istius originalis mundi fuit perturbatio omnium ordinum, quod ecclesia dissipata est per idolatrias et impios cultus. Item per tyrannos, qui pios doctores et sanctos homines crudeliter sunt persecuti. Politia est destructa per tyrannidem et injurias violentas: oeconomia autem per licentiosissimas libidines. Hanc ruinam pietatis et honestatis necessario secuta est universalis perditio; non solum enim mali, sed plane incorrigibiles fuerunt homines.

Erant autem gigantes super terram in diebus illis.

Perseverat Moses in descriptione peccati et meriti, propter quod diluvium venit. Primum fuit, quod filii Dei apostatarunt a religione et verbo Dei, ac toti facti sunt carnales, ita ut non solum ecclesiam, sed etiam politiam et oeconomiam perverterent.

Nunc addit, malitiam etiam in eo crevisse, ut gigantes essent super terram. Ac diserte dicit, ex illo concubitu filiorum Dei cum filiabus hominum non prognatos filios Dei, sed gigantes, hoc est, homines arrogantes, qui simul et regnum et sacerdotium sibi vendicarent: sicut Papa, qui simul et gladium spiritualem

et corporalem sibi vendicat. Non autem esset in hoc caput mali, si modo potentiam istam, quam usurpat, conferret in conservationem politiae et ecclesiae. Sed id maximum peccatum est, quod abutitur potestate ista ad stabiliendam idolatriam, ad impugnandam sanam doctrinam, et ad tyrannidem etiam in politia. Cum verbo Dei arguuntur Papistae, argui nolunt; dicunt enim, se esse ecclesiam, et errare non posse, ac grassantur in pios cyclopica immanitate. Tale hominum genus Moses gigantes appellat, vendicantes sibi utranque potestatem, politicam et ecclesiasticam, et liberrime peccantes.

Tales in libro Sapientiae (2, 11.) pinguntur, qui dicunt: „Sit injustitia lex nostra". Et in Psalmo 12, (v. 5.): „Lingua nostra magnificabitur. Nostrum est loqui: quis est Dominus noster?" Et Psalmo 73, (v. 3.): „Secure superbiunt, et quando aliis vim inferunt, gloriantur" etc. Tales fuerunt isti gigantes, qui restiterunt in faciem Spiritui sancto monenti, obsecranti, docenti, arguenti, per Lamech, Noah, et filios Noah.

De vocabulo disputant, quid sit, et deducunt id a נָפַל, quod cadere significat. Fere autem passive accipiunt, quod homines alii, vasta corpora, et inusitatam magnitudinem videntes, prae metu corruerint. Id an verum sit, Rabini viderint; ridiculum enim est appellare eos נְפִילִים*), quod alii caderent. Itaque alii hanc etymologiam afferunt, sic dictos, quod a communi hominum statura ceciderint, et allegant locum Numeri 13, (v. 34.) ex quo apparet, נְפִילִים, seu gigantes grandioribus fuisse corporibus, sicut עֲנָקִים et רְפָאִים. Sed utri rectius sen-

*) In edit. princ. ubique Niphlim.

tiant, non judico, praesertim cum constet, non posse omnium vocabulorum rationes reddi, neque origines ostendi.

Sed hic alia quaestio incidit, cur illi soli discesserint a communi hominum statura, qui ex filiis Dei et filiabus hominum prognati sunt? Nihil autem habeo, quod ad eam respondeam, quam quod textus nihil de statura dicit hoc in loco. In capite 13, (v. 34.) Numerorum dicitur: „Vidimus gigantes, filios עֲנָק de gigantibus, et fuimus in oculis nostris quasi locustae". Ibi ostenditur vastitas corporum, hic autem non; igitur possunt gigantes dici ob aliam causam, quam a corporum mole.

Ut autem meam sententiam quoque de vocabulo ostendam, non neutraliter, neque passive, sed active puto exponendum esse, sicut verbum נָפַל, etsi non sit tertiae conjugationis, quae transitivorum paene propria est, saepe active usurpatur. Sicut Iosuae 11, (v. 7.): „Venit Iosua et cunctus populus bellicosus cum eo adversus illos juxta aquas Meroen, וַיִּפְּלוּ בָּהֶם, et irruerunt in eos". Si neutraliter exponas verbum יִפְּלוּ, quasi ceciderint Iosua et sui coram hostibus, reclamabit historia; significat enim, irruisse in eos, atque subito oppressisse.

Hic igitur locus, et si qui sunt similes, movet me, ut intelligam, נְפִילִים non dictos a magnitudine corporum, sicut Rabini putant, sed a tyrannide et oppressione, quod vi grassati sint, nulla habita ratione legum, aut honestatis, sed simpliciter indulgentes suis voluptatibus et cupiditatibus. Nam qui jure regunt, hos scriptura pastores et principes appellat. Qui autem per injuriam et violentiam reg-

nant, hi recte נְפִילִים vocantur, quod obruant et opprimant infra se positos.

Sicut Psalmo 10, (v. 10.): „Comprimit, humiliat, וְנָפַל בַּעֲצוּמָיו חֵלְכָּאִים, et irruit cum fortibus suis in coetum pauperum". Loquitur ibi Spiritus sanctus de regno Antichristi, quem sic grassaturum dicit, ut, quae potest, comminuat, quod si comminuere non potest, ut saltem incurvet, et incurvata postea omni vi opprimat. Indifferens enim est, sive בַּעֲצוּמָיו exponas, cum potentia sua, seu cum potentibus suis. Hac vi, inquit, utitur tantum in eos, qui חֵלְכָּאִים, hoc est, pauperes, et antea afflicti sunt. Alios, qui pollent viribus, eos adorat, ut trahat in suas partes.

Ad hunc modum expono hoc in loco gigantes seu נְפִילִים, non homines vasta mole corporum, sicut in Numeri loco (13, 34.), sed violentos et injurios, quales poëtae pingunt Cyclopes, qui neque Deum, nec homines timent, sed tantum sequuntur cupiditates suas, freti potentia et viribus suis. Sedent enim in majestate, tenent imperia et regna, imo etiam spiritualem potestatem sibi vendicant; utuntur autem illa potentia contra ecclesiam, contra verbum Dei, pro sua libidine etc.

Notandum autem hic est mirabile Dei consilium, qui nobis praecipit colere magistratum, ei parere, servire, honorem deferre etc. Et tamen, quicquid comminationum et horribilium increpationum est, hoc paene totum videmus contra potentes, contra reges et principes directum esse, quasi Deus peculiari odio prosequatur eos. Iubet scriptura, ut nos honoremus magistratum, ipsa autem non honorat, sed destruit gravissimarum poenarum comminatione,

Scriptura jubet, ut magistratum colámus, ipsa autem contemnere magistratus videtur, dum non blanditur, sed comminatur.

Maria an non graviter concionatur in suo cantico contra principes (Luc. 1, 51 seq.): „Dispergit superbos mente cordis sui, potentes dejicit de sede, divites dimittit inanes". Haec si vera esse credimus, quis optaret inter tales inveniri, quibus tam certa pernicies parata est, et incumbit? Quis non potius optet humili loco esse, et esurire? Sic Psalmus secundus gravissimi criminis accusat magistratus, cum dicit, eos conjunctis viribus et studiis se opponere Domino et Christo ejus, ac regnum ejus opprimere. Sic Esaias (25, 2.): „Civitatem potentum dedit in ruinam". Hujusmodi sententiis tota Biblia referta sunt. Itaque non honorat magistratus scriptura, sed minatur pericula, et tanquam in manifestum contemtum adducit, et tamen summa diligentia nobis praecipit, ut eos revereamur, colamus, omni officiorum genere eos prosequamur. Cur hoc?

Nimirum, quod ipse Dominus solus vult eos punire, et sibi reservavit vindictam, non dedit eam subditis eorum. Ieremias disputat cap. 12, (v. 1.), qui fiat, cum dominus sit justus, ut tamen impiorum via prosperetur? Concludit autem postea: „Tu Domine saginas eos, et praeparas ad victimam".

Ad hunc modum dixeris, magistratus impios esse ceu porcos Dei, saginat eos, dat eis opes, potentiam, glorias, subditorum obedientiam. Non itaque premuntur, sed ipsi potius premunt et opprimunt alios; non ferunt injurias, sed aliis inferunt: non dant, sed rapiunt ab aliis, donec hora veniat, qua tanquam porci diu saginati mactentur. Hinc prover-

bium Germanicum: Principem raram esse avem in regno coelorum, Fursten sind Wildbrett im Himel.

Ad hunc modum, quos Moses hic נְפִילִים, odioso et tetro nomine appellat, hi fuerunt haud dubie in legitima administratione ecclesiae et politiae. Sed quia officio non utuntur, ut debebant, detestabili vocabulo eos Deus notat ac traducit. Sicut enim nos in hac naturae corruptione ne quidem levissimo dono sine superbia uti possumus, ita Deus impatientissimus est superbiae, et potius dejicit potentes de sede, divites dimittit inanes etc.

Ad hunc modum vocabulum נְפִילִים active accipio pro tyrannis, oppressoribus, grassatoribus. Credo autem (sicut fit etiam in aliis linguis), Mosen hoc vocabulum transtulisse ex usu suorum temporum ad tempora ante diluvium, mutata aliquantulum significatione, quod, sicut illi Enakim fuere tyranni, freti viribus corporum, ita hi degeneres nepotes filiorum Dei abusi *) sunt potentia et dignitate sua ad oppressionem bonorum, sicut Moses ipse se explicabit jam.

Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuissent, isti sunt potentes coram mundo, viri famosi.

Hieronymus vertit: Isti sunt potentes a seculo. Sed nomen seculi hic non significat durationem temporis, nec est in praedicamento quantitatis. Non enim fuerunt hi gigantes a principio mundi, sed tum primum nati sunt, cum degenerassent filii Dei.

---

*) Edit. princ. abusu.

Sed seculum significat secundum praedicamentum substantiae, ut explicet Moses, qualis fuerit potentia, qua confisi sunt, nempe secularis seu mundana. Ministerium verbi contemserunt, tanquam vilem administrationem; arripuerunt itaque aliam administrationem secularem. Sicut etiam Papistae nostri fecerunt. His magis placuit amplos reditus et regna mundi tenere, quam propter evangelium in odio esse omnium hominum.

Nam quod ad Mosen attinet, vocabulum עֹלָם significat ipsum mundum, et seculum seu tempus. Diligenter itaque observandum est, quando seculum vel durationem temporis, vel mundum significet in scriptura. Hic autem necessario significat mundum; non enim fuerunt hi a seculo.

Pertinet igitur particula haec ad descriptionem potentiae, quam non ab ecclesia, neque a Spiritu sancto acceperunt, sed a Diabolo et mundo. Ut sit quasi antithesis ejus, quod Christus coram Pilato dicit (Ioh. 18, 36.): „Regnum meum non est de hoc mundo". Ministri verbi luctantur cum fame, laborant odio omnium ordinum. Itaque non est, ut tyrannidem exerceant; sed qui tenent regna, qui gubernant respublicas, qui habent arces et pagos, hi sunt ad tyrannidem instructi.

Pertinet etiam haec particula ad descriptionem ecclesiolae cum pauculis animabus. Hi enim sunt cruciferi, sine dignitate, sine opibus; verbum habent. Hae unicae eorum opes sunt, sed quas mundus et contemnit et persequitur. Contra נְפִילִים isti seu gigantes et ecclesiae splendidum nomen usurpant, tanquam ex Patriarcharum posteritate descendentes, et regna tenent. Hi dominantur, et miseram

ram ecclesiam potentia sua premunt. Vocat igitur eos Moses מֵעֹלָם כְּמִילִים, potentes mundi, seu in mundo, seu mundani et seculariter potentes.

Quod Hieronymus fecit: Viri famosi, in Ebraeo est: Viri hominis, hoc est, in mundo celebres et clari. Tangit autem hic quoque peccatum istorum Cyclopum Moses, quod, cum haberent omnia, quae sunt in mundo, etiam nomen clarum habuerunt, et fuerunt per totum mundum celebres, idque sic, ut contra veri filii Dei, nempe Noah cum suis liberis, in summa ignominia essent, et haberentur pro haereticis, pro filiis Diaboli, pro iis, qui tum ecclesiasticae, tum politicae dignitati detraherent. Sicut nunc nobiscum fit. Nam ipse Christus Matth. 24, (v. 37.) testatur, similitudinem fore inter postrema tempora et tempora Noah.

Iam antea testatus est Moses, Spiritum sanctum ab impiis sublatum, et eos dimissos in viis desideriorum suorum. Fuerunt igitur tales nebulones, quales hodie sunt Papa cum suis Cardinalibus et Episcopis, qui non solum salutantur principes, et regna tenent, sed etiam ecclesiae nomen sic sibi usurpant, ut nos tanquam haereticos anathemati subjiciant, et securissime damnent. Non tyrannos, non impios, non sacrilegos se dici ferunt: clementissimi, sanctissimi, reverendissimi volunt dici.

Non igitur ea sententia est, quam Lyra sequitur, cum exponit famosos pro infamibus. Sicut enim mundus Pontificem non vocat Antichristum, sed tribuit ei nomen sanctissimi, admiratur eum, tanquam qui cum suis carnalibus creaturis totus plenus sit Spiritu sancto, nec errare possit; ideo humiliter adorat, quicquid jubet et praecipit: ad hunc modum

isti gigantes habuerunt nobile nomen, fuerunt in singulari admiratione totius mundi. Contra Noah cum suis damnatus est, tanquam seditiosus, haereticus, obtrectator majestatis politicae et ecclesiasticae. Sicut hodie nos habemur a Pontificibus et Episcopis, qui profitemur evangelium.

Habet itaque hic locus descriptionem peccatorum, quibus tempus illud gravatum fuit, quod scilicet fuerint homines aversi a verbo, et traditi in suas cupiditates et reprobum sensum, peccantes contra Spiritum sanctum finali impoenitentia, defensione impietatum et impugnatione agnitae veritatis: et tamen in istis omnibus blasphemiis retinuisse nomen et gloriam, non solum politiae, sed etiam ecclesiae, tanquam a Deo ad Angelos usque evectos. Stantibus autem sic rebus, cum frustra Noah et Lamech cum proavo Methusalah docerent, reliquit eos Deus in desideriis cordium suorum, (Psalm. 81, 13), et tacuit, dum diluvium, quod credere nolebant, experirentur.

Hoc est apostatare a Deo et ecclesia, et ducere prohibitas uxores, quia unum peccatum, si non statim corrigitur, trahit in aliud peccatum, et inde iterum in aliud, usque in infinitum, donec perveniatur ad eum gradum, quem Salomo describit in Proverbiis, cap. 18, (v. 3.). „Impius cum pervenerit in profundum peccatorum, contemnit". Tales enim, etiamsi postea moneas, nihil curant, putant, se nullo doctore opus habere, ac judicant, se justas habere causas; non credunt vitam post hanc vitam, aut salutem etiam in manifestis peccatis sperant; sed opprimit tandem eos ignominia et opprobrium. Haec finalis impoenitentia et verbi extremus contemtus

Deum coëgerunt ad universale diluvium omnis carnis.

Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra, et omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum esset malum omni tempore, poenituit eum, quod fecisset hominem in terra.

Hic est locus, quo nos sumus usi contra liberum arbitrium; de quo Augustinus scribit, quod sine gratia, seu Spiritu sancto ad nihil valeat, quam ad peccandum. Premuntur autem non solum perspicuitate hujus loci, sed etiam Augustini auctoritate scholastici, liberi arbitrii patroni, et sudant. De Augustino dicunt, hyperbolice eum loqui, et, sicut Basilius scribit, quendam in refutatione adversariae partis longius provectum, fecisse agricolarum more, qui, cum curvas frondes, ut recte crescant, conantur extendere, plusculum inflectunt eas in contrariam partem, ita Augustinum in retundendis Pelagianis, dum pro gratia dicit, durius contra liberum arbitrium dixisse ferunt, quam merebatur.

Quod autem ad hunc locum attinet, sic eum cavillantur, quod textus tantum loquatur de ista mala generatione ante diluvium: nam homines nunc esse meliores, saltem aliquos, qui libero arbitrio bene utuntur. Non vident miseri homines, loqui eum in genere de corde hominis, et diserte addi particulam, רק tantum. Tertio hoc quoque non vident, quod post diluvium infra capite octavo iisdem paene verbis eadem sententia repetitur. Dicit enim Deus (Gen. 8, 21.): „Figmentum cordis humani esse malum ab adolescentia". Ubi profecto non de iis solum agit,

qui fuerunt ante diluvium, de iis loquitur, quibus promittit, diluvium aquae posthac universale non venturum esse, hoc est, de tota posteritate Noah. Sunt enim universalia verba: „Figmentum cordis humani malum est".

Concludimus ergo universaliter, quod homo sine Spiritu sancto et sine gratia nihil potest facere, quam peccare, et ita progreditur in infinitum, de peccato in peccatum. Quando autem etiam illud accedit, ut sanam doctrinam non sustineat, et verbum salutis repellat, ac resistat Spiritui sancto, tunc etiam fit, adjuvante libero arbitrio, hostis Dei, et blasphemat Spiritum sanctum, et simpliciter sequitur mala desideria cordis sui. Sicut testantur exempla Iudaeorum sub Prophetis, Christo et Apostolis, exemplum primi mundi sub Noah doctore, etiam nostrorum adversariorum exemplum hodie, quibus non potest persuaderi ulla ratione, quod peccent, quod errent, quod impios cultus habeant.

Idem probant sententiae aliae sacrae scripturae. Nam Psalmus 14, (v. 2.) an non satis generaliter loquitur, cum inquit: „Dominus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt etc." Et repetit eum Paulus in Romanis. Item Psalmus 116, (v. 11.): „Omnis homo mendax". Et Paulus (Rom. 11, 32.): „Conclusit Deus omnia sub peccatum". Hi omnes loci maxime generales sunt, et fortissime concludunt pro nobis, quod sine Spiritu sancto, cujus largitor solus Christus est, homo aliud non possit, quam errare et peccare. Ideo Christus quoque in evangelio (Ioh. 15, 5.) dicit: „Ego sum vitis, vos palmites; sine me nihil potestis facere". Sed estis si-

ne me tanquam excisus, aridus, mortuus et ad ignem paratus palmes.

Atque haec quoque causa est, cur Spiritus sancti officium sit arguere mundum, ut scilicet revocet mundum ad poenitentiam et agnitionem hujus vitii: sed mundus sui similis manet; etiam cum admonetur per verbum Dei, non audit, putat Deo placere cultus, quos sibi elegit, quanquam sine verbo Dei, nec patitur se ab hac sententia abduci.

Si aliquando futurum est concilium, de hoc ipso loco liberi arbitrii haec finalis sententia et conclusio erit, id sequendum esse, quod Pontifex et Patres constituerint. Quodsi ad ravim usque clamemus, hominem ex se sine Spiritu sancto esse malum, quicquid sine Spiritu sancto facit, seu sine fide, esse coram Deo damnatum; pravum enim esse cor hominis, et etiam cogitationes ejus, nihil proficiemus. Obfirmandus itaque est animus, et haec doctrina firmiter retinenda, quae proponit nobis peccatum et damnationem nostri. Haec enim peccati cognitio est initium salutis, ut simpliciter de nobis desperemus, et demus soli Deo gloriam justitiae. Cur enim alioqui Paulus queritur Rom. 7, (v. 18.) et confitetur libere, nihil in se esse boni? Ideo autem diserte dicit: „In carne mea", ut intelligamus, solo Dei Spiritui vitium nostrum sanari. Hoc cum in corde fixum est, magna pars fundamenti salutis nostrae est jacta, quia postea clara testimonia sunt, Deum non abjicere peccatores, hoc est, agnoscentes peccatum et cupientes resipiscere, ac sitientes justitiam seu remissionem peccatorum per Christum.

Curandum itaque est summo studio, ne invenia-

Lege Spiritu.

mur inter Cyclopes istos, repugnantes verbo Dei, et praedicantes suum liberum arbitrium et vires suas. Etsi enim erramus saepe, etsi labimur et peccamus, tamen si Spiritui arguenti cedimus humili confessione nostrae malitiae, ipse Spiritus sanctus aderit, et non solum non imputabit peccata agnita, sed gratia Christi ea teget, et cumulabit nos aliis donis, tum ad hanc, tum ad futuram vitam necessariis.

Sed ipsa verba Mosi quoque diligentius sunt consideranda. Usus enim hic est singulari phrasi certo consilio, quod non simpliciter dicit, cogitationes hominis esse malas, sed ipsum figmentum cogitationum. Sic vocat hoc, quod homo potest in suis cogitationibus, seu cum ratione et libero arbitrio, etiam in summo gradu. Ideo enim figmentum vocat, quod homo summo studio excogitat, deligit, facit, sicut figulus, et putat pulcherrimum esse.

Sed id, inquit, est malum, neque id semel, sed continue et omni tempore. Nam ratio sine Spiritu sancto est simpliciter sine cognitione Dei: porro sine cognitione Dei esse, simpliciter est impium esse, est in tenebris agere, et ea judicare optima, quae sunt pessima. Loquor autem de theologice bonis; nam hic distinguenda est politia a theologia. Approbat enim Deus regna impiorum, ornat et remunerat virtutes, etiam in impiis, sed quoad hanc vitam, non autem quoad futuram, ac ratio civiliter bona intelligit.

Nos autem cum de libero arbitrio disputamus, quid theologice valeat, quaerimus, non quid in civilibus, et rationi subjectis rebus. Statuimus autem, quod homo sine Spiritu sancto simpliciter coram

Deo sit impius, etiamsi omnibus omnium gentilium virtutibus ornatus sit (sicut profecto insignia exempla continentiae, liberalitatis, amoris in patriam, parentes, liberos, fortitudinis, humanitatis etiam in gentilium historiis exstant): statuimus, quod optimae cogitationes de Deo, de cultu Dei, de voluntate Dei sint plus, quam Cimmeriae tenebrae. Nam rationis lumen, quod homini soli concessum est, tantum intelligit commoditates corporales. Is est amor concupiscentiae vitiosus.

Non igitur leviter intelligenda sententia haec est, sicut a Iudaeis intelligitur et a sophistis, qui putant, eam tantum loqui de inferiore parte, quae bestialis est, rationem autem deprecari ad optima. Figmentum itaque cogitationum applicant tantum ad secundam tabulam, sicut Pharisaeus, qui damnat publicanum, et dicit, se non esse sicut caeteros. Is bona verba loquitur. Non enim est malum, Deo gratias agere pro donis suis. Sed etiam hoc ipsum malum et impium esse dicimus, quia proficiscitur ex ipsissima ignorantia Dei, et vere est oratio versa in peccatum, quae neque ad gloriam Dei, nec ad salutem hominis est utilis.

Sic videas, alicubi philosophos non inepte disputare de Deo, de providentia, qua omnia gubernat Deus. Haec quibusdam etiam adeo videntur pie dicta, ut tantum non ex Socrate, Xenophonte, Platone prophetas faciant: sed quia haec sic disputant, ut ignorent, Deum misisse filium suum Christum in salutem peccatorum, hae ipsae praeclarae disputationes sunt summa Dei ignorantia, et merae blasphemiae, secundum hujus loci sententiam, quae simpli-

citer pronuntiat, omnem fictionem, studium omne humani cordis tantum esse malum.

Non igitur de peccatis tantum ante diluvium loquitur: de tota natura, de corde, de ratione, de intellectu hominis loquitur, etiam tum, cum homo simulat justitias, et vult sanctissimus esse, sicut, cum Anabaptistae hodie eas cogitationes animo instituunt, se sic victuros, ut nihil unquam peccent, cum de pulcherrimis in speciem virtutibus effingendis cogitant. Ratio est: corda, cum sunt sine Spiritu sancto, non solum ignorant Deum, sed naturaliter etiam oderunt. Quomodo autem aliud, quam malum esse potest, quod ex ignorantia Dei et odio Dei enascitur?

Sed hic etiam haec quaestio agitatur. Moses sic dicit: „Videns Deus, quod omnes cogitationes hominis essent malae". Item: „Et poenituit eum, quod fecisset hominem": Si igitur Deus omnia praevidet, quomodo nunc primum dicit, eum videre? Si Deus est sapiens, quomodo potest incidere in eum poenitentia facti? cur non a principio mundi hoc peccatum, seu hanc hominum depravatam naturam vidit? cur scriptura tribuit ad hunc modum Deo temporales voluntates, visiones, consilia? An non consilia Dei aeterna sunt, et ἀμεταμέλητα, quorum eum poenitere non potest? Similia in Prophetis quoque sunt, ubi minatur Deus poenas, sicut Ninivitis, et tamen ignoscit poenitentibus.

Ad hanc quaestionem sophistae aliud non habent, quod dicant, quam quod scriptura loquatur more hominum: tribui itaque talia Deo per quandam sermonum figuram. Itaque disputant de duplici voluntate Dei, de voluntate signi et beneplaciti. Vo-

luntatem beneplaciti dicunt esse constantem et immutabilem, sed voluntatem signi dicunt esse mutabilem. Mutat enim signa, cum vult. Sic circumcisionem abolevit, Baptismum instituit etc., manente tamen eadem voluntate beneplaciti ab aeterno destinata.

Non damno hanc sententiam, sed mihi simplicius esse videtur, quod scilicet scriptura sancta loquitur secundum cogitationem eorum hominum, qui sunt in ministerio. Quod igitur Moses dicit, Deum videre et poenitere, haec vere fiunt in cordibus eorum, qui ministerium verbi habent. Sicut supra dixit: „Spiritus meus non judicabit inter homines", non simpliciter loquitur de Spiritu sancto in sua natura propria subsistente, seu de divina majestate, sed de Spiritu sancto in corde Noah, Methusalah, Lamech, hoc est, de Spiritu Dei officiante, et administrante verbum per sanctos.

Ad hunc modum vidit Deus malitiam hominum, et poenituit, hoc est, Noah, qui habuit Spiritum sanctum, et fuit minister verbi, is vidit malitiam hominum, et per Spiritum sanctum ad dolorem concitatus est, talia videns, sicut Paulus quoque (Ephes. 4; 30.) dicit, Spiritum sanctum contristari in piis impietate et malitia impiorum. Quia enim Noah fidelis verbi minister est, et organum Spiritus sancti, recte dicitur Spiritus sanctus dolere, cum Noah dolet, ac optat potius, hominem non esse, quam sic malum esse.

Non igitur ea sententia est, quasi Deus ab aeterno illa non viderit: vidit ab aeterno omnia; sed sicut haec malitia hominum nunc cum maxima vi se

aperit, ita nunc primum revelat Deus hanc malitiam in cordibus suorum ministrorum seu Prophetarum.

Est igitur Deus ab aeterno firmus in suo consilio et constans, videt et scit omnia. Sed haec non nisi suo certo tempore revelat Deus piis, ut ipsi quoque ea videant. Haec mihi videtur simplicissima esse hujus loci sententia: neque ab ea longe discedit Augustinus.

Sequor autem ego hanc perpetuam regulam, ut, quantum potest, tales quaestiones vitem, quae nos protrahunt ad solium summae majestatis. Melius autem et tutius est consistere ad praesepe Christi hominis; plurimum enim periculi in eo est, si in illos labyrinthos divinitatis te involvas.

Pertinent autem ad hunc locum alii similes, in quibus pingitur Deus, quasi habeat oculos, aures, os, nares, manus, pedes, sicut Esaias, Daniel et alii Prophetae eum in visionibus vident. Loquitur enim in talibus locis scriptura de Deo non aliter, quam de homine. Unde Anthropomorphitae haereseos damnati sunt, quod divinae substantiae tribuerent formam hominis.

Quodsi tam crassa fuit Anthropomorphitarum imaginatio, recte damnati sunt. Nam manifestus error in ea est. Spiritus enim, sicut Christus (Luc. 24, 39.) dicit, carnem et ossa non habet. Sed ego magis in eo sum, ut putem, Anthropomorphitas cogitasse de forma aliqua doctrinae tradenda simplicibus. Nam Deus in sua substantia plane est incognoscibilis, nec potest definiri, aut dici, quid sit, etiamsi rumpamur.

Ideo ipse Deus se demittit ad captum infirmitatis nostrae, et sub similitudinibus ceu involucris pue-

rili simplicitate se nobis offert, ut aliquo modo a nobis cognosci possit. Sic Spiritus sanctus in specie columbae apparuit, non, quod sit columba; et tamen in ista rudi specie agnosci, suscipi et adorari voluit; vere enim fuit Spiritus sanctus. Sic eodem in loco, etsi nemo dicet, Deum Patrem esse vocem sonantem de coelo, tamen in ista rudi imagine, quae fuit vox humana de coelo, recipiendus et adorandus fuit.

Quod autem ad hunc modum scriptura Deo tribuit formam hominis, vocem, actiones, affectiones etc., non eo tantum valet, ut rudes et infirmi foveantur, sed etiam nos magni et eruditi, qui judicium in scripturis habemus, tenemur istas rudes similitudines apprehendere, quia Deus eas nobis proposuit, et per eas se nobis revelavit. Sicut etiam Angeli humana forma apparent, cum tamen constet, simpliciter esse spiritus, sed spiritus nos agnoscere non possumus, cum ut spiritus offeruntur: imagines autem agnoscimus.

Haec simplicissima ratio est tractandi tales locos; nam quid Deus in natura sit, definire non possumus. Hoc bene possumus definire, quid non sit, nempe, quod non sit vox, non columba, non aqua, non panis, non vinum. Et tamen hisce visibilibus formis se nobis offert, nobiscum agit, has formas proponit nobis, ne degeneremus in erraticos et vagos spiritus, de Deo quidem disputantes, sed eum penitus ignorantes, tanquam qui in nuda sua majestate non potest apprehendi. Hanc viam cognoscendi Dei videt Deus nobis esse impossibilem. Habitat enim, sicut scriptura (1. Tim. 6, 16.) dicit, lucem inaccessibilem, et proposuit, quae possumus apprehendere et intelligere. In his qui resistunt, Deum

vere apprehendunt, cum illi, qui visiones, revelationes, illuminationes jactant et sequuntur, aut opprimuntur a majestate, aut in densissima Dei ignoratione versantur.

Sic habuerunt Iudaei quoque suas imagines, quibus se Deus eis ostendit, propitiatorium, arcam, tabernaculum, columnas nubis et ignis etc. „Non videbit me homo, et vivet", inquit in Exodo (33, 20.); ergo imaginem sui proponit, quia se nobis ita ostendit, ut apprehendere eum possimus. Nos in novo testamento habemus Baptismum, Coenam Domini, absolutionem et ministerium verbi.

Haec sunt, ut scholastici vocarunt, voluntas signi, in quae intuendum est, cum Dei voluntatem scire volumus. Alia est voluntas beneplaciti, substantialis voluntas Dei, seu nuda majestas, quae est Deus ipse. Ab hac removendi oculi sunt. Non enim potest apprehendi; in Deo enim nihil est nisi divinitas, et substantia Dei est ejus immensa sapientia ac omnipotens potentia. Haec rationi simpliciter sunt inaccessibilia: quicquid hac voluntate beneplaciti Deus voluit, ab aeterno vidit.

De hac voluntate substantiali et divina nihil scrutandum, sed simpliciter abstinendum est, sicut a majestate divina; est enim inscrutabilis, nec voluit eam Deus proponere in hac vita. Quibusdam involucris voluit eam ostendere, Baptismo, verbo, sacramento Coenae: haec sunt divina simulacra et voluntas signi, per quae pro nostro captu nobiscum agit. Igitur in haec tantum intuendum est. Voluntas beneplaciti simpliciter dimittenda est, nisi sis vel Moses, vel David, vel aliquis similis perfectus vir, quanquam hi quoque in voluntatem beneplaciti

sic intuiti sunt, ut a voluntate signi nusquam averterent oculos.

Vocatur autem voluntas signi effectus Dei, quando ipse foras procedit ad nos, nobiscum agens per aliquod involucrum et externas res, quas possumus apprehendere, sicut sunt verbum Dei, et caeremoniae ab ipso institutae. Hanc voluntatem non dicunt esse omnipotentem; etsi enim Deus per decem praecepta mandat, quid velit fieri, tamen non fit. Sic instituit Coenam Domini Christus, ut fiducia misericordiae confirmetur in nobis, et tamen multi eam sumunt in judicium, hoc est, sine fide.

Sed redeo ad Mosen. Is dicit, Deum videre malitiam hominum, et poenitere. Hoc exponunt scholastici: Videt et poenitet, scilicet voluntate signi, non beneplaciti, seu substantiali voluntate. Nos dicimus, moveri cor Noah per Spiritum sanctum, ut intelligat, Deum irasci homini, et velle eum delere. Atque haec sententia intelligi potest, nec rapit nos in illas disputationes potentiae absolutae, seu majestatis Dei, quae periculosissimae sunt, sicut in multis vidi. Inflantur primum tales spiritus a Diabolo, ut putent, se Spiritum sanctum habere, negligunt verbum, imo etiam blasphemant, et nihil, quam Spiritum, et visiones jactant.

Hic primus gradus erroris est, cum homines derelicto Deo involuto et incarnato, sectantur nudum Deum. Postea cum hora judicii venit, et sentiunt iram Dei, judicante Deo ipsorum corda et examinante, tum desinit Diabolus eos inflare; desperant igitur et moriuntur. Ambulant enim in nudo sole, et deserunt umbraculum, quod liberat ab aestu, Esa. 4, (v. 6.).

Nemo igitur de divinitate nuda cogitet, sed has cogitationes fugiat, tanquam infernum et ipsissimas Satanae tentationes. Sed hoc curemus singuli, ut maneamus in symbolis istis, quibus se ipse Deus nobis revelavit, in filio nato ex virgine Maria, jacente inter jumenta in praesepi, in verbo, in Baptismo, in Coena Domini et absolutione. Nam in his imaginibus videmus et invenimus Deum, quem sustinere possumus, qui nos consolatur, in spem erigit, salvat. Aliae cogitationes de voluntate beneplaciti, seu substantiali et aeterna occidunt et damnant.

Quanquam improprie vocant hanc voluntatem beneplaciti. Nam voluntas beneplaciti debet ea vocari, quam ostendit evangelium, de qua Paulus dicit, Rom. 12, (v. 2.): „Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona". Et Christus (Ioh. 6, 40.): „Haec est voluntas Dei, ut, qui videt Filium, habeat vitam aeternam". Item (Matth. 12, 50.): „Frater meus est, qui fecerit voluntatem Patris mei". Item (Matth. 3, 17.): „Hic est filius meus, in quo mihi complacuit".

Haec voluntas gratiae recte et proprie vocatur voluntas beneplaciti, et est unicum remedium et salus contra illam sive signi, sive beneplaciti voluntatem, de qua in diluvio et Sodomorum interitu scholastici disputant. Horribilis utrinque ira cernitur, contra quam animi se non possunt tueri, nisi illa voluntate gratiae, ut cogitent Dei filium missum in carnem, ut liberaret nos a peccato, morte et tyrannide Satanae.

Haec voluntas beneplaciti divini ab aeterno disposita est, et in Christo revelata et exhibita. Haec est vivificans, suavis et amabilis voluntas, quare sola merebatur dici voluntas beneplaciti. Sed boni Patres

promissiones fere praetereunt, nec eas urgent, cum tamen proprie possint dici voluntas beneplaciti.

Quod igitur jubent intueri in voluntatem signi, bene quidem faciunt, sed id nondum satis est. Nam cum decem praecepta intuemur, nonne terremur conspectu peccatorum nostrorum? Ad haec si accedant illa horribilia irae exempla, quae etiam sunt voluntas signi, impossibile est, ut se animus erigat, nisi in hanc voluntatem beneplaciti respiciat, quam nos sic appellamus, hoc est, in Filium Dei, qui nobis pingit animum et voluntatem Patris sui, quod non irasci peccatoribus, sed iis per Filium velit misereri, sicut dicit (Joh. 14, 9.): „Philippe, qui me videt, videt Patrem meum".

Dei Filius igitur incarnatus est illud involucrum, in quo divina majestas cum omnibus suis donis sic se nobis offert, ut nullus tam miser peccator sit, quin ad eum accedere ausit cum certa fiducia consequendae veniae. Hic unicus divinitatis conspectus in hac vita facilis et possibilis est. Mortui autem in hac fide virtute superna ita in novissimo die illuminabuntur, ut etiam majestatem ipsam visuri sint. Interim oportet nos ingredi in illa via ad Patrem, quae est Christus ipse; hic tuto nos ducet, nec fallemur.

Quod in textu additum est: „Poenituit Dominum, quod hominem fecisset in terra", puto per antithesin esse dictum, quod Deus cogitet non de homine in terra, qui peccato et morti sit subjectus, sed de homine coelesti, qui sit Dominus peccati et mortis. Hunc hominem ostendit se diligere: illum terrenum odit, et cogitat perdere.

Et doluit in corde.

Sic poenituit Deus, ut discruciaretur in suo corde. Est enim verbum עָצַב, quo supra usus est, cum dixit (3, 16.): „In dolore tuo paries"; item in Psalmo 127, (v. 2.): „Panis doloris". Est autem intelligenda haec phrasis secundum scripturae consuetudinem. Non est cogitandum, quod Deus habeat cor, aut dolere possit. Sed cum spiritus Noah, Lamech et Methusalah contristatur, ipse Deus contristari dicitur: ut intelligamus tristitiam hanc de effectu, non de substantia divina. Noah enim cum patre et avo, Spiritu sancto revelante, sentiunt in corde suo, quod Deus propter peccata oderit mundum, et velit eum perdere; contristantur itaque ista impoenitentia.

Haec sententia simplex et vera est. Nam si referas ista ad voluntatem substantiae divinae, quod Deus ab aeterno hoc statuerit, periculosa ea disputatio est, nec nisi a spiritualibus et bene tentationibus exercitatis potest tractari, qualis Paulus fuit, qui hanc disputationem de praedestinatione tractare est ausus. Nos in humiliore loco consistemus, qui minus periculi habet, quod scilicet Noah et alii Patres summo dolore affecti sunt, cum eis hanc iram revelavit Spiritus. Hi gemitus inenarrabiles optimorum hominum tribuuntur ideo ipsi Deo, quia proficiscuntur ex ejus Spiritu.

Horum gemituum infra videbimus exemplum in Abraham, qui se tanquam murum interponit pro salute Sodomorum, nec prius deserit causam, quam ad quinque justos ventum est. Hic sine dubio Spiritus sanctus pectus Abrahae variis et infinitis gemitibus

tibus replevit, si afferre salutem miseris posset. Sic Samuel quid non facit pro Saule? eo usque clamat et plorat, ut Deus eum reprimere cogatur: „Usque quo luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel?“ (1. Sam. 16, 1.). Sic Christus intuens Hierosolymam propter peccatum intra paucos annos vastandam, vehementissime commovetur et discruciatur animo.

Tales affectus in piorum animis excitat Spiritus precum. Is enim ubicunque est, afficitur calamitatibus aliorum, docet, erudit, nulli parcit labori, orat, querulatur, gemit etc. Sic Moses et Paulus cupiunt esse anathema pro populo suo.

Ad hunc modum sanctissimus vir Noah cum patre et avo consumitur doloribus, cum videt istam horribilem Dei iram. Non delectatur illa totius generis humani clade, sed angitur, et gravissime dolet, ipsis interim filiis hominum viventibus in summa securitate, ridentibus, exsultantibus et insultantibus etiam. Sic Psalm. 109, (v. 4.): „Pro eo, quod dilexi eos, adversantur multi, ego autem oro“. Sic Paulus Philipp. 3, (v. 18.): „Flens dico“. Quid enim sancti homines possunt aliud facere, cum mundus nulla ratione se emendari patitur?

Haec verae ecclesiae est perpetua facies, ut non solum patiatur, humilietur et conculcetur, sed etiam oret pro tribulantibus, et serio ipsorum periculis commoveatur, ubi contra impii, quo damnationi propiores sunt, tanto securius ludunt et gaudent. Cum igitur hora judicii advenit, Deus vicissim ita obturat aures suas, ut nec suos dilectos filios audiat, orantes et deprecantes pro impiis, sicut Ezechiel conqueritur, neminem inveniri, qui se opponat mu-

rum pro Israel, ac dicit, pertinere id munus proprie ad Prophetas, cap. 13, (v. 5.).

Sed impiis impossibile est, ut orent: itaque nemo speret ab adversariis nostris Papistis, quod orent. Nos oramus pro eis, et nos tanquam murum opponimus irae Dei, et sine dubio nostris lacrimis et gemitibus servantur ipsi, si forte poenitentiam agant.

Horribile autem exemplum est, quod Deus primo mundo non pepercit, ubi se Noah, Lamech et Methusalah tanquam murum opposuerunt. Quid enim ibi putabimus futurum, ubi tales muri non sunt, hoc est, ubi nulla plane ecclesia est? Nam ecclesia semper est murus contra iram Dei: ea dolet, discruciatur animo, orat, deprecatur, instituit, docet, exhortatur, dum hora judicii nondum adest, sed imminet. Haec officia cum frustra esse videt, quid aliud potest, quam vehementer de interitu impoenitentium hominum dolere? Auxit autem piis Patribus dolorem, quod magnum numerum cognatorum et agnatorum viderunt simul periturum.

Hunc dolorem Moses non potuit melius nec evidentius describere, quam cum dicit, Dominum poenitere, quod fecerit hominem. Nam supra, cum hominis conditionem describeret, factam ad imaginem Dei, dicit, Deum considerasse cuncta, quae fecerat, et fuisse valde bona. Delectatur itaque Dominus, et gaudet in suis creaturis. Hic simpliciter mutat sententiam, et contrarium dicit, quod scilicet doleat et poeniteat fecisse hominem.

Hic sensus fuit in Noah et aliis Patribus ex Spiritu sancto revelante; alioqui acquievissent in cogitationibus illis gaudii, et judicassent secundum promissionem illam priorem, quod Deus delectetur in

omnibus operibus suis. Neutiquam cogitassent, tantam Dei iram esse, ut non solum humanum genus omne, sed etiam omnia animantia coeli et terrae perditurus sit, quae tamen constat nihil peccasse: imo terram quoque; haec enim propter hominum peccata neutiquam post diluvium retinuit pristinam bonitatem. Unde, sicut Lyra meminit, quidam scriptum reliquerunt, per diluvium superficiem terrae ad tres palmas esse abrasam. Profecto Paradisus per diluvium tota disiecta et corrupta est. Itaque nos hodie possidemus terram plane maledictam prae illa, ut fuit ante diluvium et post peccatum Adae, quae tamen ipsa nihil fuit ad illam bonitatem primae conditionis ante peccatum.

Has igitur calamitates viderunt sancti Patres, revelante Spiritu sancto, ante annos centum et viginti. Sed tanta fuit malitia mundi, ut coëgerint Spiritum sanctum tacere. Nec ausus est Noah sine metu gravissimorum periculorum has comminationes revelare: cum patre, avo, liberis et uxore de tanta Dei ira disputavit. Non enim minus tolerabile fuit filiis hominum audire haec, quam Papistis hodie est, cum audiunt pronuntiari, quod sint ecclesia Satanae, non Christi. Nam et majores suos jactarunt, et promissionem seminis opposuerunt concionibus Noah; putaverunt, impossibile esse, ut Deus ad hunc modum omnes homines perderet.

Sic Iudaei ideo Prophetis, et ipsi Christo vocanti ad poenitentiam non credebant, quod statuebant, se esse populum Dei, quia templum et cultum habebant. Turci hodie inflantur victoriis, quas putant esse praemium fidei et religionis, quod credunt in unum Deum: nos autem habent pro gentibus, tan-

quam credamus tres Deos. Non daret Deus tot nobis victorias et regna, inquiunt, si Deus nobis non propitius esset, et nostram religionem non probaret. Haec ipsa cogitatio etiam Papistas excaecat. Vident, se in summo loco positos; ergo statuunt, se esse ecclesiam, et ideo nullas minas divini iudicii metuunt. Diabolicum igitur argumentum hoc est, quando homines peccatis suis patrocinium quaerunt per nomen Domini.

Sed si Deus primo mundo non pepercit, generationi sanctorum Patriarcharum, quorum promissio de semine propria erat, si minimas reliquias tantum servavit: frustra gloriabuntur de nomine Dei Turci, Iudaei, Papistae. Nam secundum Micham (2, 7.) verba Dei bona promittunt integre ambulantibus. Qui igitur non integre ambulant, his mala sunt, his minatur, hos perdit Deus, non considerato titulo ecclesiae, non habita ratione multitudinis: reliquias potius servat integre ambulantes. Sed hoc mundo nunquam persuadebis.

Sine dubio hoc argumentum de dignitate ecclesiae Patriarcharum posteri, qui in diluvio perierunt, gravissime exaggerarunt, damnarunt ipsum Noah blasphemiae et mendacii. Nam dicere, quod Deus totum mundum sit perditurus diluvio, hoc dixerunt, perinde esse, ac si dicas, Deum non misericordem, non patrem, sed tyrannum crudelem esse. Praedicas iram Dei, o Noah. Num igitur Deus talis est, qui non promisit per semen mulieris liberationem a peccato et morte? Non igitur absorbebit ira Dei totum orbem. Sumus Dei populus, habemus insignia Dei dona; haec nunquam nobis largitus esset Deus, si tam hostiliter contra nos statuisset agere. Ad hunc

modum solent impii sibi applicare promissiones, et fiducia earum omnes comminationes negligunt, et rident.

Utile autem est haec diligenter considerari, ut confirmemur contra talia scandala securitatis impiorum. Eadem enim, quae ipsi Noah acciderunt, nobis quoque accidunt. Adversarii nostri tribuunt sibi nomen populi Dei, cultum, gratiam et omnia, contra nobis tribuunt omnia Diabolica. Cum igitur eos blasphemiae arguimus, ac dicimus, Satanae ecclesiam esse, saeviunt in nos omni genere crudelitatis. Ploramus igitur cum Noah, et commendamus causam Domino, sicut etiam Christus in cruce facit, (quid enim aliud faciamus?) et exspectamus, dum Deus judicium faciat in terra, et ostendat, se reliquias timentium se amare, et multitudinem impoenitentium peccatorum odisse, quantumvis jactent, se esse ecclesiam, habere promissiones, habere cultum Dei, sicut perdidit totum originalem mundum, et promissionem de semine exhibuit illis miseris et parvis reliquiis, Noah et filiis ejus.

Noah vero invenit gratiam coram Domino.

Haec sunt verba, quibus Noah iterum erectus et vivificatus est. Nam tanta ira divinae majestatis occidisset eum, nisi Deus addidisset promissionem de ipso servando. Quanquam credibile est, etiam tum laborasse fidem ejus, cum hanc promissionem audivit; incredibile enim est, quantum haec cogitatio irae Dei dejiciat animum.

Porro hic quoque nova phrasis Spiritus sancti est, qua coelestis nuntius Gabriel quoque utitur ad

beatam Virginem (Luc. 1, 30.): „Invenisti gratiam apud Deum". Haec phrasis apertissime excludit meritum, et commendat fidem, qua sola coram Deo justificamur, hoc est, accepti sumus Deo, et placemus ei.

Hae sunt generationes Noah: Noah vir justus atque inculpatus fuit, et cum Deo ambulavit suo seculo, et genuit tres filios, Sem, Ham et Iapheth.

Ab hoc loco Iudaei non solum novum caput, sed etiam lectionem novam incipiunt. Est autem historiola brevissima, sed quae eximiam commendationem habet hujus Patriarchae Noah, quod reliquis Dei filiis degenerantibus, ipse solus perstitit justus et integer.

Cogitabimus autem, multos fuisse excellentissimos viros inter filios Dei, quorum alii ad quingentesimum usque annum cum Noah vixerunt; fuit enim illud seculum ante diluvium vivacissimum, non solum, quod ad filios Dei, sed etiam, quod ad filios hominum attinet. Horum insignis experientia fuit tanto numero annorum collecta; multa enim didicerunt a majoribus, multa viderunt ipsi, et experti sunt.

His omnibus corruptis, stat solus Noah, vir vere miraculosus. Is neque ad sinistram, nec ad dextram deflectit, retinet verum cultum Dei, retinet doctrinam puram, et vivit in timore Dei. Non igitur dubium est, quin generatio prava infensissime eum oderit, et varie exercuerit, insultantes ei: Num tu solus sapis? num solus tu Deo places? num nos reliqui omnes erramus, omnes damnabimur? tu so-

lus non erras? solus non damnaberis? Oportuit itaque justum et sanctum virum hoc apud se constituere, quod omnes alii errent, et damnandi sint, se autem cum sua posteritate solum servatum iri. Hoc etsi vere statuit, tamen difficillimum fuit: itaque varie cum talibus cogitationibus sanctus vir luctatus est.

Miseri Papistae hoc uno argumento hodie nos urgent, quod dicunt: Num putas, Patres omnes errasse? Durum quidem hoc est dicere, praesertim de melioribus, Augustino, Ambrosio, Bernardo et tota illa cohorte optimorum virorum, qui gubernarunt ecclesias verbo, et nomine illo augusto ecclesiae ornati sunt, quorum labores et exosculamur, et admiramur.

Sed profecto non minus difficultatis ipsi Noah objectum est, qui praedicatur solus justus et integer, cum tamen etiam hominum filii affectaverint nomen ecclesiae; et postquam cum eis se conjunxerunt Patrum filii, ibi demum putaverunt, Noah cum suis insanire, quod doctrinam aliam et cultus alios sequeretur.

Est hodie nostra vita brevissima, et tamen quousque ingenia progrediantur; satis apparet. Quid putabimus fuisse in illa longissima vita, ubi etiam ingeniorum major fuit acrimonia et vigor? Nam natura hodie multo hebetior et stupidior est, et tamen tot donis ornati homines caeci ruunt in impietatem, sicut post dicitur: „Omnis caro corruperat viam suam; solus autem Noah justus et integer est“.

Haec duo vocabula, si vis, ita distingue, ut intelligas, justum dici propter primam tabulam, et integrum propter secundam tabulam. Iustus enim dici-

tur per fidem erga Deum, quod credidit primum generali promissioni de semine mulieris, postea etiam illi particulari de mundo per diluvium perdendo, et servanda sua posteritate. Integer autem dicitur, quod ambulavit in timore Dei, cavens studiose homicidia et alia peccata, quibus impii se contra conscientiam contaminabant, nihil motus tot scandalis illustrissimorum, sapientissimorum et in speciem sanctissimorum virorum.

Haec magna virtus fuit. Nobis enim hodie impossibile esse videtur, ut unus se opponat toti orbi terrarum, reliquos omnes damnet tanquam malos, qui tamen ecclesiam, verbum et cultum Dei jactant, se autem solum statuat Dei filium, et Deo acceptum esse. Est igitur Noah vere vir miraculosus, et commendat hanc ipsam animi magnitudinem Moses, cum diserte addit: „In suis generationibus", seu suo seculo, quasi dicat, quod tamen pessimum et corruptissimum fuit.

Supra in historia Henoch diximus, quid sit cum Deo ambulare, nempe agere causam Dei in publico. Nam justum et integrum esse, sunt privatae virtutis testimonia. Sed cum Deo ambulare est publicum, nempe agere causam Dei coram mundo, tractare verbum ejus, docere cultum ejus. Itaque Noah non tantum pro sua persona justus et sanctus fuit, sed etiam fuit confessor, docuit alios de promissionibus et comminationibus Dei, egit et passus est omnia, quae publica persona debet, in illo pessimo et corruptissimo seculo.

Ego si vidissem, tantos viros in generatione impiorum mihi resistere, profecto desperatione quadam abjecissem ministerium. Nemo enim credit,

quam difficile sit, se unum opponere consensui omnium aliarum ecclesiarum, et judiciis optimorum ac amicissimorum virorum repugnare, damnare eos, contra eos docere, vivere et agere omnia. Id quod Noah fecit admirabili animi constantia praeditus, qui coram hominibus innocens non solum non omisit, sed magno animo ursit causam Dei inter pessimos homines, donec diceretur ei: „Non disceptabit Spiritus meus amplius in homine". Ac verbum disceptandi pulchre repraesentat, quo animo Noah docentem audiverint impii.

Ac Petrus (2. Petr. 2, 5.) pulchre exponit, quid sit ambulare cum Deo, cum vocat ipsum Noah praeconem justitiae non humanae, sed Dei, hoc est, fidei in promissum semen. Quale autem praemium hujus praeconii ab impiis tulerit, Moses non ostendit; satis ei est dixisse, quod praedicaverit justitiam, et docuerit verum Dei cultum contra totum orbem terrarum, hoc est, contra optimos, religiosissimos, sapientissimos viros. Opus igitur fuit non uno miraculo, ne ab impiis circumventus occideretur. Videmus et experimur hodie, unus sermo ad populum quantum irarum, odii, invidiae pariat. Quid igitur putabimus Noah passum, qui non centum, non ducentis, sed pluribus annis docuit? usque ad ultimum centenarium, quo Deus noluit amplius doceri impios, si quidem magis irritabantur, et deteriores fiebant.

Igitur ex conditione et natura ipsius mundi et Diaboli, ex Apostolorum, Prophetarum et etiam ex nostris experientiis conjicere licet, quantum patientiae et omnium virtutum exemplum Noah fuerit, qui justus et inculpatus fuit in illa generatione impia, et coram Deo ambulavit, hoc est, gubernavit eccle-

sine verbo, et postquam centum et viginti anni essent constituti, quibus completis mundus diluvio periturus erat, uxorem duxit, et liberos generavit post illam horribilem comminationem.

Verisimile autem est, pervagatum eum totum orbem terrarum, ubique docuisse, ubique admonuisse de vero Dei cultu, ac laboribus maximis impeditum, abstinuisse a conjugio prae nimia tribulatione, quod exspectavit melius et religiosius seculum. Sed hanc spem cum vidit falsam, et divina voce admoneretur de certo tempore, quo periturus esset mundus, tum primum, movente Spiritu sancto, adjecit animum ad conjugium, ut saltem ex se relinqueretur semen novo seculo. Sicque conservavit genus humanum sanctus vir, non tantum spiritualiter in vero verbo et cultu, sed etiam carnali generatione.

Sicut igitur ante diluvium in Paradiso incipit nova ecclesia per Adam et Hevam, credentes promissioni, ita hic quoque novus mundus et nova ecclesia oritur ex conjugio Noah, quod est tanquam seminarium ejus mundi, qui duraturus est usque ad extremum mundum.

Dixi autem supra, impiis magno scandalo has nuptias fuisse, et mirabiles ludos ex iis fecisse. Quomodo enim convenit, quod mundus ita brevi periturus sit, et tamen Noah quingentesimum jam annum agens generat? Certum argumentum hoc judicaverunt, mundum diluvio non periturum. Coeperunt igitur ipsi quoque liberius vivere, et in summa securitate contemnere omnes comminationes. Sicut Christus (Matth. 24, 38.) dicit: „In diebus Noah bibebant, comessabantur etc.“ Nam mundus consilia Dei non intelligit.

De ordine filiorum Noah supra dixi: Iapheth primogenitus fuit, Sem natus est biennio post, quam Noah aedificare coepit arcam, Ham biennio post. Haec non quidem satis explicata, et tamen diligenter a Mose indicata sunt.

Et corrupta est terra coram Deo, et repleta injuriis.

Lyra forte ex Rabinorum sententia disputat hoc in loco, etiam aves et reliqua bruta discessisse a natura, et commiscuisse se cum diversis speciebus. Sed ego hoc non credo. Nam in bestiis manet creatio, seu natura, sicut condita est. Non lapsae sunt per peccatum, sicut homo, imo sunt conditae tantum ad corporalem hanc vitam. Ideo neque audiunt verbum, nec verbum ad eas pertinet, sunt simpliciter sine lege primae et secundae tabulae. Referenda itaque haec particula simpliciter ad hominem est.

Quod autem poenam peccati etiam bestiae tulerunt, et simul cum homine per diluvium sunt perditae, ideo factum est, quia Deus voluit hominem simpliciter perdere, non solum corpore et anima, sed etiam cum possessionibus et dominio, cum quo erat conditus. Sicut exstant exempla similium poenarum in veteri testamento. Danielis sexto, inimici Danielis conjiciuntur in lacum leonum, cum uxoribus, liberis et familia tota. Idem accidit Num. 16., cum Core, Dathan et Abyram perirent. Simile est quoque, quod in evangelio (Matth. 18, 25.) Christus dicit de rege, qui jubet vendi servum cum uxore, liberis et omni substantia.

Ad hunc plane modum per diluvium non solum homines, sed etiam facultates eorum omnes sunt

perditae, ut scilicet esset plena et perfecta poena peccati. Nam homini bestiae, agri et volucres coeli sunt conditae; hae sunt opes et facultates hominum. Perierunt itaque animalia, non quod peccarint, sed quia Deus voluit perire hominem in et cum omnibus illis, quae erant, et quae habebat in terra.

Diserte autem hic quoque addit Moses particulam: „Coram Deo corrupta erat terra", ut ostendat, ipsum Noah in oculis sui seculi habitum et aestimatum esse tanquam stultum et nihili hominem. Contra mundus sibi est visus sanctissimus et justissimus, et putavit, se dignas habere causas, cur persequeretur ipsum Noah, praesertim quod attinet ad primam tabulam et cultum Dei. Habet quidem secunda quoque tabula suum fucum et hypocrisin; sed nulla ea est comparatio ad primam. Adulter, fur, homicida potest latere aliquandiu, sed non semper. At peccata primae tabulae fere manent occulta specie sanctitatis, dum Deus ea revelat. Impietas enim nunquam vult haberi et esse impietas, sed pietatis et religionis laudem aucupatur, et ita pingit cultus suos, ut veri cultus et vera religio prae eis sordeant.

Verbum שחת in scriptura sancta valde frequens et illustre est. Utitur eo Moses quoque in Deuteronomio capite 31, (v. 29.). „Novi, quod post mortem meam corrumpendo corrumpetis viam vestram, et declinabitis ab ea". Et David Psalm. 14, (v. 3.): „Omnes corrupti sunt, et abominabiles facti". Porro uterque locus proprie loquitur de peccatis primae tabulae, hoc est, accusat in speciem sanctissimos de falso cultu Dei et falsa doctrina. Impossibi-

le autem est, quin doctrinam falsam etiam vita impia sequatur.

Quod igitur Moses dicit, corruptam terram coram Deo, ostendit clare anthithesin, quod scilicet hypocritae et tyranni judicaverint, ipsum Noah nihil recte neque docere, nec facere: contra a se doceri et fieri omnia sanctissime. Sed diversum, inquit Moses, verum fuit. Terra, hoc est, totus mundus, seu omnes homines corrupti fuerunt, scilicet, quod ad primam tabulam attinet; non habuerunt verum verbum, non cultum verum. Haec distinctio de prima et secunda tabula mihi valde placet, et sine dubio a Spiritu sancto ostensa est.

Quod autem addit: „Et est terra repleta injuriis", significat, hunc perpetuum esse ordinem, ut, postquam verbum amissum, et fides extincta est, ac loco verorum cultuum vigent traditiones et ἐθελοθρησκεῖαι, sicut eas Paulus (Col. 2, 8.) appellat, etiam sequantur injuriae et flagitiosa vita.

Vocabulum חָמָס significat proprie violentiam, vim, injuriam, sublato jure et aequitate omni, ubi, quod libet, licet; et non jure, sed vi geruntur omnia. Haec si illorum vita fuit, inquies, quomodo potuerunt retinere speciem vel opinionem sanctitatis et justitiae? Quasi vero non habeas exempla similia hodie ante oculos. Quid unquam mundus crudelius vidit Turcis? At hi omnem immanitatem suam ornant titulo Dei et religionis. Sic Pontifices non solum rapuerunt ad se opes orbis terrarum, ecclesiam ipsam impleverunt immensis erroribus et blasphemis dogmatibus. Vivunt in infandis libidinibus, cum volunt, regum animos dissocient, et multam bello et sanguini materiam suppeditant: et tamen in his ip-

sis blasphemiis et flagitiis jure sibi suo vendicant nomen et titulum sanctissimorum, jactant se Christi vicarios, successores Petri, etc.

Sic summae injuriae conjunctae sunt cum titulo sanctitatis ecclesiae, verae religionis etc. Ubi si quis reclamet, statim anathemate feritur, et damnatur tanquam haereticus, Dei et ecclesiae hostis. Post Pontifices Romanos et complices eorum nulla gens est, quae magis superbiat de religione et justitia, quam Turci: Christianos contemnunt tanquam idolatras, se judicant sanctissimos et sapientissimos. Et tamen quid aliud eorum vita et religio est, quam perpetuae caedes, latrocinia, rapinae, et alia horribilia flagitia?

Ostendunt igitur exempla praesentium temporum, quomodo illa duo incompatibilia possint consistere, ut summa religio sit conjuncta cum summis abominationibus, summae injuriae cum specie justitiae. Atque haec quoque est causa, quod homines sic indurantur et securi fiunt, nec exspectant poenam, quam sunt meriti peccatis suis.

Et vidit Deus terram, et ecce corrupta fuit. Nam omnis caro corruperat viam suam super terram.

Quia horribilis est ira Dei, et jam imminet interitus universae carni, exceptis octo animabus, ideo Moses paulo copiosior in hoc loco est, et repetitionibus utitur, quae tamen non otiosae sunt, sed habent suum pondus. Supra dixit, terram fuisse corruptam: nunc quasi ordinario judicii processu, dicit, Deum hoc vidisse, et cogitasse de poena. Hoc modo quasi pingit ordinem, quo Deus solet agere.

Spiritualium hominum verum judicium hodie est de Papa, quod sit Antichristus, et insaniat contra verbum et regnum Christi. Sed hanc impietatem illi ipsi, qui judicant, non possunt emendare. Crescit quotidie impietas, et pietatis contemtus in dies fit major. Hic cogitant: Quid igitur Deus facit? cur non punit hostem suum? num dormit, et prorsus humana non curat? Nam mora judicii discruciat pios. Ipsi afflictae religioni opem afferre *) nullam possunt, et vident, Deum, qui potest, connivere ad furorem Pontificum, secure peccantium in primam et secundam tabulam.

Ad hunc modum Noah quoque videt terram impletam injuriis. Gemit igitur et suspirat ad coelum, ut Deum tanquam e summo excitet ad judicium. Sicut tales voces passim in Psalmis sunt (Psalm. 10, 1.): „Quare stas a longe?" (Ibid. 13, 2.): „Domine, usque quo?" (Ib. 9, 14.): „Respice nos, Domine, et vide afflictionem nostram". (Ib. 7, 7.): „Surge, judica causam meam etc."

Fit igitur tandem, quod Moses hic ostendit, ut Deus quoque ista videat, et audiat clamorem piorum, qui judicare mundum possunt; spiritualis enim omnia judicat (1. Cor. 2, 15.), sed non possunt corrigere. Impietas enim simpliciter incorrigibilis est, cum est ornata specie pietatis, sicut etiam tyrannis, cum est ornata specie justitiae et providentiae. Non enim novum est, ut, qui aliorum uxores, filias, domos, agros, opes rapiunt, tamen velint justi et sancti viri esse, sicut supra de Papatu quoque ostendimus.

Est igitur ille secundus gradus, ut, postquam sancti viderunt et judicarunt impietatem mundi, etiam

*) Edit. princ. afferri.

Deus eam videat, sicut infra de Sodomis dicit (Gen. 19; 13.): „Ascendit ad me clamor Sodomorum“: et supra (4, 10.): „Vox sanguinis fratris tui clamat ad me“. Sed prius, quam Deus videat, semper praecedunt singultus et gemitus piorum, quibus Deus tanquam a somno excitatur.

Hoc Moses per verbum: Vidit, hoc in loco voluit ostendere, quod Deus tandem viderit afflictiones, et audiverit clamores piorum, quibus tandem coelum repletum est, ut Deus, qui hactenus dissimularat omnia, et adjuvare successu impiorum conatus visus erat, tanquam ex somno expergefieret. Vidit quidem omnia multo citius, quam Noah; nam est inspector cordium, nec potest simulatione pietatis decipi, ut nos: sed nunc primum, cum de poena cogitat, Noah sentit, eum videre.

Sic hodie affligimur extrema malitia et inaudita. Nam adversarii veritatem agnitam et confessam damnant ex mera libidine, petunt jugulum nostrum, fundunt sanguinem piorum ex furore Diabolico. Istas blasphemias, haec sacrilegia et parricidia contra regnum et nomen Dei tam manifesta, ut negari non possint, tamen defendunt, tanquam summam justitiam. Dum enim pro sua tyrannide retinenda pugnant, etiam ecclesiae nomen sibi vendicant. Hic quid aliud possumus, quam ut clamemus ad Deum, ut sanctificet nomen suum, et ut regnum suum non aboleri, ut paternam voluntatem suam non impediri sinat?

Sed dormit adhuc Dominus; nondum videt tantam impietatem, quia nondum ostendit, se eam videre. Sed sinit nos cruciari istis acerbissimis spectaculis. Sumus igitur adhuc constituti in primo gradu, et

et dicitur de hoc nostro seculo versus ille, quod corrupta sit universa terra. Sed secundus gradus etiam suo tempore adveniet, ut possimus certa fiducia statuere, non nos solum, sed Deum quoque tantam impietatem videre et odisse. Quanquam enim Deus pro longanimitate sua dissimulat multa et diu, tamen retinebit titulum suum, quod in justitia judicabit orbem terrarum.

Quam autem haec mora acerba et dura sit piis, ostendunt querelae Ieremiae, capite 12. et 20. Ibi enim sanctus vir tantum non ad blasphemias progreditur, donec tandem ei dicitur, regem Babyloniae venturum, et sumturum poenas de incredulis contemtoribus. Ibi videt Ieremias, Deum respicere terram, et in terra esse judicem.

Sententia universalis, quae sequitur, valde horribilis est, quod universa caro super terram corruperit viam suam, et Deus, postquam coepit prospicere in filios hominum, non invenerit, neque adscendendo, nec descendendo a summis patribus usque ad infimos, quos salvare posset ab interitu.

Longe autem horribilius hoc est auditu, si propius consideres primum mundum, et non ex istis miseris reliquiis eum aestimes, quas hodie habemus. Sicut enim omnia terra nascentia tum meliora et praestantiora fuerunt, ita etiam cogitabimus, majestatem et pompam nostrorum principum, speciem sanctitatis et sapientiae Pontificum nihil esse ad illam religionis, justitiae et sapientiae speciem, quae fuit in primo mundo inter illos famosos viros.

Et tamen dicit textus, universam carnem corrupisse viam suam, excepto uno Noah cum posteritate sua, hoc est, fuisse omnes homines impios, vixisse

in idolatria et falsis religionibus, ac verum cultum Dei una cum promissionibus de semine odisse, prosecutos esse Noah, qui per semen remissionem peccatorum annunciavit, ac iis aeternam perditionem minatus est, qui eam non crederent.

Et dixit Deus ad Noah: Finis universae carnis venit coram me; nam repleta est terra injuriis coram eis. Et ecce, ego perdam eos cum ipsa terra.

Postquam Noah et sui diu clamaverunt, accusantes malitiam mundi, ostendit tandem Dominus, se quoque illam malitiam videre et ulcisci velle. Hunc secundum gradum nos quoque hodie exspectamus, nec dubium est, quin erunt aliqui homines, quibus revelabitur ista mundi perditio futura. Nisi fortasse ea perditio erit dies novissimus et extremum judicium, quod sane optarim. Satis enim malorum in his paucis et malis diebus nostris vidimus. Homines impii, sicut temporibus Noah, vitia sua ornant nomine sanctitatis et justitiae. Itaque poenitentia seu resipiscentia nulla sperari potest. Ad eum gradum cum ventum est temporibus Noah, fertur tandem definitiva sententia, quam supra Dominus significavit, cum jussit desistere a disceptatione, et dixit, se poenitere, quod condiderit hominem.

Non potest autem hanc iram ratio credere, et intelligere perfecte. Vide enim, quam haec dissimilia sunt cum prioribus. Supra audivimus (1, 21.), vidisse Deum omnia, quae fecit, ac fuisse valde bona: addidit homini et bestiis benedictionem multiplicationis: subjecit hominis imperio terram, et omnes terrae opes: quod maximum est, addidit etiam

promissionem de semine mulieris et aeternae vitae: instituit non tantum oeconomiam et politiam, sed quoque ecclesiam. Quomodo igitur fit, ut primus mundus, sicut Petrus dicit, per verbum ad hunc modum constitutus, per aquam pereat?

Non igitur dubium est, quin ipsi Noah de futura et universali perditione concionanti filii mundi haec omnia objecerint, et eum palam arguerint mendacii, quod scilicet oeconomia, politia et ecclesia a Deo sint constituta; non igitur Deum constitutionem suam penitus eversurum esse finali perditione: esse hominem conditum ad generandum, et ut in terra dominetur: non igitur aquam ei dominaturam ad interitum.

Sicut Papistae hoc uno argumento nos urgent, Christum affuturum ecclesiae usque ad consummationem mundi (Matth. 28, 20.); portas inferorum non praevalituras adversus eam (Ib. 16, 18.). Haec pleno ore jactant, et putant, impossibile esse, ut pereant. Fluctuari potest cymba Petri, inquiunt, sed non opprimi fluctibus. Non dissimilis securitas et confidentia fuit ante diluvium, et tamen videmus, universam terram periisse. Iactabant quidem, Dei ordinationes esse perpetuas, nec unquam Deum, quod semel condidit, sustulisse aut mutasse penitus. Sed eventum considera, et videbis, eos falsos, Noah autem solum fuisse verum.

Nisi igitur Spiritus sancti illuminatio accedat, impossibile est, hominem hoc argumento non vinci. Nam statuere, quod Deus creaturam suam penitus sit deleturus, an non est Deum facere inconstantem et mutabilem? Et tamen Deus ipsi Noah hoc revelat, quod velit adducere finem non unius partis car-

nis, aut terrae, sed universae carnis et terrae. An non enim satis horribile esset, cum terrae tres partes faciant, uni minari interitum? Sed in totam terram, et in omnes homines desaevire, hoc contra Dei ordinationem, contra Dei sententiam videtur pugnare, qui dixit, omnia esse valde bona. Grandiora igitur haec sunt, quam ut possint ratione humana intelligi aut comprehendi.

Hujus tantae irae quae causa est? Nimirum, quod, sicut hic dicit, terra est repleta injuriis. Mirabilis ratio. Nihil hic dicit de prima tabula; tantum allegat secundam tabulam. Quasi dicat: De me nihil dicam, quod nomen et verbum meum oderunt, blasphemant, persequuntur. Ipsi inter se quam vivunt turpiter? Non oeconomia, non politia recte administratur, vi geruntur omnia: ratione et legibus nihil. Itaque simul et homines et terram perdam.

Sic nostro seculo videmus, Deum dissimulare profanationem missarum, quae horribilis abominatio fuit, et totum orbem terrarum replevit, impia dogmata et reliqua vitia, quae hactenus in religione fuerunt. Sed postquam homines sic vivunt inter se, ut neque politiae, nec oeconomiae ratio habeatur, postquam tanta avaritia, tam varii doli, tam multiplex denique iniquitas invaluit, quis non videt, Deum quasi cogi ad puniendam, imo evertendam Germaniam?

Est autem plenum misericordiae et amoris, quod Deus magis queritur de injuriis, quibus premuntur membra sua, quam de iis, quae sibi afferuntur. De his enim tacere hic eum videmus, cum minatur non homini solum, sed etiam ipsi terrae perditionem.

Utrunque enim per diluvium factum est, et vi-

res hominis imminutae, et opes ejus cum ipsa terra accisae sunt. Neutiquam posteriores arborum fructus similes fuere prioribus ante diluvium. Rapae meliores fuerunt ante diluvium, quam postea melones, citria, sive aurea mala. Pirum praestantius fuit, quam hodie sunt aromata. Sic verisimile est, plus roboris fuisse in digito viri, quam hodie in toto brachio. Ad eundem modum ratio et sapientia longe fuit praestantior. Afflixit autem Deus propter peccatum non tantum hominem, sed etiam opes et dominationem ejus, ut ad posteritatem quoque haec ira documentum esset.

Quis autem modus est perditionis? Nimirum, quod arripit elementum aquae, et universa delet. Nota autem est vis, qua elementum hoc grassari solet. Aër etsi sit pestilens, tamen non semper inficit arbores et radices. Sed aqua non solum evertit omnia, non solum evellit arbores et radices, sed etiam ipsam terrae superficiem tollit, et mutat solum, ut etiam fecundissimi agri per salsuginem terrae et arenas corrumpantur (Psalm. 107, 34.). Hoc igitur primi mundi fuit quasi excidium.

Praesentis autem mundi erit alia poena, sicut color iridis ostendit. Infimus color, cujus finitum spatium est, est aqueus. Sic enim grassata aqua est in diluvio, ut tamen poenae modus statueretur, et abolitis peccatoribus redderetur terra habitanda piis reliquiis. Sed alter exterior circulus iridis, qui est infinitae capacitatis, habet colorem ignis, ejus scilicet elementi, quo totus mundus conflagrabit. Sequetur tamen hanc corruptionem melior mundus, qui in aeternum durabit, et serviet piis. Haec in iride pinxisse videtur Deus.

Fac tibi arcam de lignis pini; mansiunculas in arca facies, et bitumine lines eam, intrinsecus et extrinsecus.

Primum cogitat Dominus de conservandis reliquiis ex isto parvulo semine, ex tribus Noah filiis; nam Noah amplius non generavit. Haec magna significatio est misericordiae Dei erga eos, qui ambulant in viis ejus.

גֹּפֶר alii pinum, alii abietem, alii cedrum faciunt; itaque difficilis est divinatio. Apparet tamen electam propter levitatem, vel etiam propter unctuositatem, ut facilius innataret aquae, et minus penetraret aqua. קִנִּים nidos seu mansiunculas significat, loca divisa pro diversitate bestiarum; non enim uno in loco ursi, oves, cervi, equi habitarunt, sed singula genera suas habuerunt peculiares mansiones.

Quale autem bitumen fuerit, nescio. Apud nos picantur naves, et obstruuntur stuppa. Ac sane pix contra aquam valet; sed incendiis quoque apta est. Bitumen autem apud nos nullum est, quod in aquis duret; itaque non displicet, quod quidam bitumen pro pice accipiunt.

Sed quaeras: Cur Deus omnia ita accurate praecipit? Satis erat mandatum de paranda arca; nam ratio et de spatio, et de ratione aedificandi per se videt, quid facto opus sit, sicut multa egregia opera artificum testantur. Cur igitur Deus ipsum Noah de longitudine, de latitudine, de altitudine, de bitumine obducendo tam diligenter docet? Nimirum, postquam Noah omnia ex praescripto Dei facit (sicut Moses tabernaculum ad archetypum in monte), ut eo majore fiducia credat, se servatum iri et suos, nec

diffidat operi, quod ab ipso Deo instructum, et, quomodo fieret, mandatum erat. Haec causa est, cur nunc tam sollicite omnia praecipiat Deus.

Et hoc modo facies eam; Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo ejus, et triginta cubitorum altitudo ejus.

Hic objicitur pulchrum exercitium geometricum et mathematicum de forma et quantitate arcae. Varia autem scriptorum judicia sunt; alii quadratam, alii acuminatam fuisse dicunt, sicut fere nostra aedificia in Europa sunt. Sed ego credo, quadratam fuisse; nam orientales populi acuminata aedificia nesciverunt, et quadratis usi sunt, sicut patet ex evangelio, quod in tectis obambularint, et fuit similis etiam templi figura.

Postea etiam de mansiuncularum distinctione disputatur, de parte suprema, media et infima (de his enim partibus textus commemorat), quam partem quae animalia possederint. Sed id definiri non potest. Verisimile tamen est, ipsius Noah fuisse supremam partem et avium, mediam mundorum animalium, infimam immundorum, quanquam Rabini dicant, infimam servisse stercoribus abdendis. Sed ego puto, stercora vel per fenestram projecta; nam cum amplius anni spatio tanta bestiarum multitudo in arca fuerit, stercora exportari necesse fuit.

Illud quoque Augustinus ex Philone citat contra Faustum, quod secundum rationem geometricam arca habuit proportionem humani corporis. Si enim homo in terra jaceat, decuplo corpus longius est,

quam altius, sextuplo autem longius, quam latius. Ad hunc modum, trecenti cubiti sunt, sexies quinquaginta et decies triginta.

Haec ad corpus Christi postea accommodantur, hoc est, ad ecclesiam, quae habet ostium, id est, Baptismum, per quod sine discrimine mundi et immundi ingrediuntur. Etsi autem ecclesia est exigua, tamen est rectrix orbis terrarum, et conservatur propter eam mundus, sicut in arca conservantur immunda animalia. Alii accommodarunt etiam ad corpus Christi, quod habuit vulnus in latere, sicut arca fenestram. Sunt allegoriae hae, si non prorsus eruditae, tamen innoxiae, quae nullum errorem secum trahunt, et quibus extra disputationes ornamenti causa uti licet.

Fenestram facies in arca, et ad cubitum consummabis eam superne. Fores vero arcae pones in latere ejus; cum interstitiis inferioribus, mediis, et tertiis facies eam.

Vide, quam diligens architectus sit Deus, quam sollicite curet et disponat omnes aedificii partes. Porro vocabulum צֹהַר, non proprie fenestram significat, sed lucem meridianam.

Quaeritur autem hic, an una tantum fenestra arcae fuerit, an plures? Usitata enim in hac lingua phrasis est, ut singulari utantur pro plurali, seu collectivo pro distributivo, ut: „Disperdam hominem de terra": hic profecto non de uno homine, sed multis loquitur. Sed mihi videtur, unam tantum fuisse fenestram, quae illustravit domicilium hominis.

Latinus interpres mire obscurus est, ut, quid

velit, nescias. Ac omnino puto, eum haesisse in figura navis, quales hodie sunt, ubi homines communiter vehuntur in inferiori parte. Nec de ostio quid dicat, satis intelligi potest, cum certum sit, et fenestram cubitalem fuisse in superiore parte, et ostium in medio latere ceu in umbilico arcae. Sicut etiam Heva ex medio viri condita est. Habuit autem totum aedificium tria interstitia, supremum, medium, et infimum, ac supremum mea sententia fuit illustratum luce diei per fenestram.

Sed inquies: Qualis fenestra illa fuit, aut quomodo potuit consistere in tanta imbrium frequentia et vehementia? Non enim usitato modo tum pluerat, si quidem intra quadraginta dies aqua ita crevit, ut quindecim ulnis superaret omnes montes. Iudaei igitur fenestram crystallo clausam dicunt, quae transmitteret lumen. Sed mihi frustra videtur curiosius haec persequi; non enim in eo pietas aut regnum Christi periclitatur, si quaedam hujus aedificii, cujus architectus Deus fuit, ignoremus.

Quanquam quid obscuritatis haec res habeat, non video, si accipias, fenestram fuisse in superiori interstitio in latere. De ostio certum est, quod fuerit ad tredecim vel quatuordecim cubitis altum a terra. Nam arca ad decem paene cubitos in aquas demersa natavit; magnum enim onus vexit: omnis generis animalia, et victum plus, quam annuum. Haec de rudi idea arcae satis sint; nam praeter altitudinem et longitudinem Moses nihil indicat, quam quod habuerit tria interstitia, ostium et fenestram.

Infinitas alias quaestiones amputabimus. Quali aëre in arca sint usi? nam, ista aquarum moles, praesertim cum decrevit, ingentem foetorem et pe-

stillatem excitavit. Unde hauserint aquam, qua poti sunt? nam aqua non potest servari integra per totum annum. Ideo navigantes saepe dulcis aquae hauriendae causa vicinos portus inquirunt. Item: Quomodo potuerit sentina exhauriri, quae graviter olet?

Haec et alia accidentia, quae navigantium usus ostendit, praecidamus (alioqui nullus quaestionum finis erit), contenti ista rudi narratione, quod in infima parte verisimile est asservatos ursos, leones, tigrides et alia immitia animantia, in media, quae mitia sunt et tractabilia, una cum victualibus, quae non possunt asservari in locis omni aëre carentibus, in superiore ipsos homines cum domesticis animantibus et avibus; haec nobis sufficiant.

Et ecce ego, ego adducam diluvium aquarum super terram, ut perdam universam carnem, in qua est spiritus vitae sub coelo, et omne, quod est in terra, peribit.

Supra in genere minatus est generi humano interitum, hic modum ostendit, quod novo genere supplicii velit uti, ac diluvio omnia perdere. Talem poenam mundus usque ad eum diem non norat. Usitatae poenae sunt, sicut ex Prophetis apparet, pestis, fames, gladius, rabies ferarum. Peste pereunt homines et bestiae, bello etiam terra corrumpitur; destituitur enim colonis: famis incommoda, etsi minus crudelitatis habere videntur, tamen longe miserrima sunt. Quartum genus poenarum nostrae regiones fere ignorant. Etsi autem singula ad affligendum genus humanum satis sint, tamen Deus voluit novo genere poenae contra primum mundum uti, quo universa caro, in qua spiritus est, deleretur.

Itaque, quia inaudita prioribus seculis haec poena fuit, minus ab impiis credita est. Sic enim cogitarunt: Si Deus omnino irascitur, nonne gladio, nonne peste inobedientes potest corrigere? Diluvium etiam reliquam creaturam aboleret, cujus tamen nullum peccatum est; profecto tale nihil cogitabit Deus de mundo.

Sed ut hanc incredulitatem eximeret ex animo Noah et piorum, repetit emphatice pronomen „Ego, ego adducam". Deinde diserte addit, se deleturum carnem, quae sub coelo et in terra est; hic enim excludit pisces, quorum imperium per aquas augetur.

Pertinet igitur haec particula eo, ut ostendatur magnitudo irae Dei, qua homines non solum corpora et vitam amittunt, sed etiam universum dominium per orbem terrarum.

Et statuam pactum meum tecum, veniesque in arcam tu et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum.

Hanc consolationem supra indicavit Moses, cum dixit, Noah invenisse gratiam. Opus autem ea fuit, non solum, ne Noah in tam horribili ira desperaret, sed ut etiam confirmaretur fides ejus de poena grassatura. Non enim facile creditu fuit, universum genus humanum periturum esse. Itaque mundus stolidissimum judicavit Noah, qui talia crederet, et risit eum, ac aedificium ejus sine dubio exagitavit. In tantis scandalis ut confirmaretur animus ejus, ideo toties cum eo loquitur Deus, et nunc etiam de pacto meminit.

Quaeritur autem apud interpretes, quale illud pactum fuerit? Ac Lyra explicat de promissione,

quod eum ab impiis hominibus defendere velit, qui minati erant ei mortem. Burgensis dicit, pactum illud potius referendum ad pericula in aquis depellenda. Alii putant significari pactum iridis, quod postea cum Noah Dominus icit.

Sed mea sententia loquitur de pacto spirituali, seu de promissione seminis contrituri caput serpentis. Illud pactum habuerunt gigantes; sed cum eo abuterentur ad superbiam et impietatem, exciderunt ab eo, sicut postea Iudaei, dum de Deo, lege, cultu, templo carnaliter praesumunt, ea dona amittunt, et pereunt. Ipsi autem Noah hoc pactum confirmat Deus, ut certo statuat, Christum ex sua posteritate nasciturum, et Deum in tanta irā relicturum esse seminarium ecclesiae. Hoc pactum igitur non solum includit defensionem corporalem, de qua Lyra et Burgensis rixantur, sed aeternam quoque vitam.

Sententia itaque est: Isti insolentes contemtores minarum et promissionum dabunt poenas mihi; praesidium enim et fiduciam, quam habent de pacto meo, principio ab eis auferam, ut pereant sine omni pacto, et sine misericordia. Transferam autem illud pactum ad te, ut non solum serveris ab illa aquarum vi, sed etiam a morte et damnatione aeterna.

Diserte autem dicit: „Tecum": non filios, non uxores nominat, quos tamen etiam erat servaturus, sed solum Noah nominat, a quo promissio haec in filium Sem derivata est. Est igitur haec secunda promissio de Christo, quae omnibus aliis Adae posteris eripitur, et uni Noah assignatur.

Postea haec promissio subinde clarior facta est. Processit enim quasi de genere ad speciem, et deinde a specie ad individuum. A toto enim Abraham

in solum Davidem propagata est, a Davide in Nathan, a Nathan usque ad unam virginem (quae tanquam emortuus truncus, seu radix Iesse fuit), Mariam, in qua promissio seu pactum hoc finitum et impletum est.

Haec pacti sanctio maxime fuit necessaria, impendente incredibili et inaestimabili ira Dei.

Observabis autem hoc quoque loco peculiarem vocationem, cum dicit: „Veniesque in arcam, tu et filii tui etc." Si enim absque hac vocatione peculiari fuisset, non esset ausus in arcam ingredi.

Quam autem horribile est, de universo genere humano tantum eligi octo personas, quae serventur, et tamen inter istas postea reprobari Ham, tertium filium Noah? Hic enim nominatur ore Dei inter electos et sanctos, imo cum eis defenditur et servatur, nec potest a patre Noah discerni. Nisi enim eadem credidisset et orasset, nisi timuisset Deum, neutiquam esset servatus in arca, et tamen postea reprobatur.

Hic sophistae de electione disputant, quae fit secundum propositum Dei. Sed saepe monui, abstinendum esse a speculationibus nudae majestatis. Hae enim, sicut est impossibile, ut verae sint, ita etiam minime sunt salutares. Sic potius de Deo cogitemus, sicut nobis se offert in verbo et sacramentis. Nec referamus hujusmodi exempla ad electionem occultam, qua Deus omnia secum disposuit ab aeterno. Hanc enim animo complecti non possumus, et videmus, eam pugnare cum voluntate Dei revelata.

Quid igitur, inquies, de his exemplis statuemus? Nihil aliud, quam quod proposita nobis sunt ad instillandum nobis timorem Dei, ne putemus, post se-

nisi acceptam gratiam nos non posse iterum a gratia excidere, sicut Paulus (1. Cor. 10, 12.) quoque monet: „Qui stat, videat, ne cadat". Ad humiliationem igitur nostri referenda haec sunt, ne superbiamus donis, aut resistamus ignavi in iis, quae accepimus, sed ut contendamus ad anteriora, sicut Paulus Philipp. 3, (v. 13.) dicit, ne putemus nos plene apprehendisse omnia. Nam hostis noster malignus et acerrimus est; nos autem sumus infirmi, gestantes hunc tantum thesaurum in vasis fictilibus 2. Cor. 4, (v. 7.). Ideo non gloriari tanquam securi, sed gemere ad Deum, tanquam in praesentissimis periculis constituti debemus, postquam videmus, tam sanctos homines ab accepta et diu possessa gratia per securitatem excidisse.

Ita cum fructu de talibus exemplis disputatur. Qui autem haec negligunt, et illa sublimia de electione secundum Dei propositum persequuntur, hi animos, ultro ad desperationem proclives, impellunt et evertunt.

Ex omni quoque animanti et ex omni carne bina de singulis duces in arcam, ut vivant tecum, masculum et femellam, de volucribus juxta genus suum, et de jumentis juxta genus suum, et ex omni reptili terrae juxta genus suum; bina de omnibus ingredientur tecum, ut conserves ea.

Hic iterum disputatio oritur, ut fit, cum in historiis itur ad usum et accidentia. Videtur enim pugnare textus, quod hic de binis et binis, infra autem in initio capitis septimi, de septenis et septenis

dicitur. Deinde rixatur Lyra cum quodam Andrea, qui putavit, quatuordecim individua in arcam conclusa, quia scribitur: „De mundis autem septena et septena". Sed Lyrae sententiam probo, qui dicit, septem singularum specierum individua conclusa in arcam, tres masculos et tres femellas, deinde septimum etiam masculum, quo uteretur ad sacrificia Noah.

Quod igitur hoc in loco dicit, bina de singulis in arcam ducta, id cogit, septimum caput ut intelligatur tantum de immundis. Nam mundorum major fuerit numerus; ea singularum specierum septena in arcam conclusa sunt.

Necesse autem est, ut hoc loco disputemus de differentia illa, quae inter istas appellationes est: Omnis anima, bestiae, pecora. Confunduntur quidem saepe, et tamen alicubi cum differentia iis utitur scriptura, ut, cum dicit (Gen. 1, 24.): „Producat terra animam". (Ib. v. 20.): „Producant aquae animam„; ibi nomen generis est omnium, quae vivunt in terra et in aquis. Hujus generis species sunt, quae hic nominantur, חַיָּה, רֶמֶשׂ, בְּהֵמָה, quanquam non nunquam confunduntur.

Vocat hic בְּהֵמוֹת jumenta, cum tamen apud Ezechielem in primo capite (v. 5.) illa quatuor animalia communi nomine vocentur, חַיּוֹת, quo vocabulo proprie significantur, quas nos vel bestias, vel feras dicimus, quae non foenum, nec alia terra nascentia comedunt, sed carnes, sicut leo, ursus, lupus, vulpes.

בְּהֵמוֹת jumenta sunt, seu pecora, quae foeno et herbis terra nascentibus vivunt, sicut oves, boves, cervi, capreae.

רֶמֶשׂ est reptile; derivatur autem nomen a verbo רָמַשׂ, quod calcare significat. Ac si nos conferimus cum volucribus, nos quoque sumus רֹמְשִׂים; reptamus enim, et terram calcamus pedibus sicut canes, et aliae bestiae. Sed proprie significat ea animalia, quae non erecto vultu incedunt; nam quae repunt, sicut nos reptilia vocamus, habent speciale nomen, et appellantur שְׁרָצִים, ut ex Levitico apparet, a verbo שָׁרַץ, quod movere significat, quod infra capite septimo ponitur. Vocabulum עוֹף notum est; significat volucrem.

Haec differentia harum appellationum est, quanquam, ut dixi, alicubi non observatur. Non autem debet referri, nisi ad tempus post diluvium; alioqui sequeretur, tales feroces bestias etiam in Paradiso fuisse. Atqui ante peccatum, quia homini imperium fuit in universas terrae bestias, quis dubitat, concordiam futuram non solum inter homines, sed etiam inter animalia bruta cum homine?

Etsi igitur primum caput aperte probat, illas feroces bestias cum reliquis esse conditas, tamen propter peccatum hominis naturae earum mutatae sunt, ut, quae mansuetissimae et innocuae futurae erant, nunc post lapsum ferae et noxiae sint. Haec mea sententia est, quanquam, postquam statum istius innocentis vitae amisimus, opinari verius, quam definire de illa vita possumus.

Sed, inquies, si propter peccatum naturae animantium sic sunt mutatae, quomodo potuerunt praesertim feroces et immanes istae cogi a Noah? Certe leo cogi non potest; ita nec tigrides, neque pardi, et si qua similia sunt.

Hic

Hic respondent, miraculose tales feras ingressas in arcam. Ac mihi quoque verisimile est; nisi enim mandato Domini coactae essent ingredi, etsi Noah aliquam industriam adhibere necesse fuit, tamen non tanta ejus, ut hominis, fuisset virtus, ut cogere tam feroces posset feras. Ac utrunque textus ostendit; nam primum dicit: „Tu eas duces in arcam". Deinde addit: „Bina ex omnibus venient ad te". Nisi igitur miraculose hoc factum esset, plures accurrissent, quam binae aut septenae.

Quod igitur bina et septena sponte accedunt, miraculum est, et signum, quod praesenserint iram Dei, et horribilem illam calamitatem futuram. Sicut etiam brutae naturae praesensiones quasi et praesagia imminentium malorum habent, et saepe quasi sensu aliquo misericordiae motae ingemiscunt pro homine in manifesto periculo constituto, sicut apparet in canibus et equis, qui dominorum pericula intelligunt, et eorum sensu se affici ostendunt, dum canes querulantur, equi tremunt, et largum sudorem emittunt. Quin etiam ferae bestiae non raro in periculis ad hominem confugiunt.

Hic igitur sensus cum alioqui in brutis naturis sit, quid mirum est, si hic quoque tali modo divinitus ad imminens periculum excitatae, volentes se cum Noah conjunxerint? Nam textus ostendit, volentes accessisse. Sicut et historiae testantur, et comprobat experientia, quod, cum aut pestilitas ingens, aut magna clades imminet, lupi, ferocissimum animal, non in pagos solum, sed etiam in ipsa oppida non nunquam irruunt, habentes refugium ad homines, et quasi humiliantes se eorum opem requirunt.

Et tu sume tecum ex omni cibo, qui comeditur, et repone eum, ut sit tibi et illis in escam.

Quia diluvium integro anno duraturum erat, ideo necesse fuit, admoneri Noah de cibo, ex herbis et arborum fructibus colligendo, tum ad hominis, tum caeterorum animalium vitam conservandam. Etsi autem ingens ira fuit, quod omnia terra nata intereunt, tamen in tam horribili calamitate lucet Dei bonitas, prospicientis homini et caeteris animalibus, ut conserventur, et per ipsorum conservationem etiam conservetur species. Sicut autem animalia electa, ut in arca conservarentur, integris corporibus et sana fuerunt, ita etiam victum habuerunt ex providentia Dei, convenientem ipsorum naturae.

Ac de homine constat, nondum carnibus in cibo usum esse, sed tantum terra natis. Fuerunt autem ea ante diluvium longe meliora, quam nunc sunt post illam salsuginem aquarum, quae terram mirabiliter corrupit.

Cernitur igitur hoc in loco Dei providentia, cujus consilio puniuntur mali, boni autem servantur. Fit autem mirabiliter, ut, dum punit Deus impios, non tamen totam naturam destruat, sed benigne prospiciat futurae posteritati.

Etsi autem facile fuit Deo, etiam sine cibo servare Noah et animalia per integrum annum, sicut Mosen, Eliam et Christum quadraginta dies sine omni cibo servavit, imo, sicut omnia fecit ex nihilo (id enim majus et mirabilius est), tamen, sicut Augustinus erudite dicit, Deus res conditas sic administrat, ut eas propriis motibus agere sinat, hoc est, (ut Augustini sententiam ad praesens negotium ac-

commodemus), Deus utitur mediis certis, et sua miracula sic temperat, ut tamen ministerio naturae et mediis naturalibus utatur.

Et exigit id a nobis quoque, ne organa naturae abjiciamus (id enim esset tentare Deum), sed ut mediis paratis, et a Deo oblatis cum gratiarum actione utamur. Peccaret enim, qui, cum esuriret, cibum e coelo exspectare, et non potius eum aliunde comparare vel rogare vellet. Sicut Christus jubet, ut Apostoli edant, quod eis apponitur (Luc. 10, 7.). Sic Noah habet mandatum hoc in loco, ut utatur ordinato medio colligendi cibi; non jubetur in arca exspectare miraculosam rationem praebendi victus de coelo.

Monachorum vita tota nihil est, nisi tentatio Dei. Non possunt continere, et tamen a conjugio abstinent: sicut etiam a certis cibis abstinent, quos tamen Deus condidit, ut sumerentur cum gratiarum actione a fidelibus, et cognoscentibus veritatem, quod omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum sit, quod cum gratiarum actione sumitur, 1. Tim. 4, (v. 3. 4.). Sic medicinae usus licitus est, imo necessarius: est enim conditum medium ad conservandam valetudinem. Sic artium et linguarum studia colenda sunt, et, ut Paulus ait, 1. Tim. 4, (v. 4.): „Nihil rejiciendum est, quod sumitur cum gratiarum actione, seu per orationem sanctificatur".

Poterat Deus ipsum Noah in mediis aquis servare, sicut de S. Clemente fingunt, habuisse eum cellulam in medio mari: imo, sicut populus Israel in medio mari rubro, Jonas in ventre coeti servatus est. Sed id noluit; voluit potius, ut uteretur Noah beneficio ligni seu arborum, ut industria

humana haberet hoc quasi curriculum, in quo exerceretur.

Ubi igitur haec mediorum, seu creaturarum copia vel deest, vel cessat, ibi aut patere, aut exspecta auxilium a Domino. Sicut Iudaei faciebant, quos ad mare constitutos, et ab hoste a tergo cinctos, nulla amplius industria sublevare poterat. Quare aut miraculosa liberatio speranda, aut certa mors subeunda erat.

Fecit igitur Noah omnia, quae praeceperat illi Deus.

Haec phrasis in scriptura admodum est frequens. Est autem hic primus locus, in quo sub ista forma verborum commendatur obedientia erga Deum. Infra autem repetitur saepius: Faciebat Moses, populus secundum omnia, quae praeceperat eis Dominus etc.

Commendatur autem Noah in exemplum nobis, quod non habuerit mortuam fidem, quae revera fides non est; sed vivam et efficacem fidem. Paret enim Deo praecipienti, et quia tum promittenti, tum comminanti Deo credit, ideo, quae de arca, de colligendis bestiis et cibo mandaverat Deus, studiose exsequitur.

Est autem haec singularis commendatio fidei Noah, quod manet in regia via, et nihil addit, nihil mutat, nihil demit de mandato Dei, sed simpliciter manet in eo, quod sibi audit praecipi.

Est enim haec vulgatissima et simul pestilentissima pestis in ecclesia, quod fere aut mutatur, quod Deus jussit, aut superordinatur aliquid super id, quod Deus jussit. Sicut enim una regia via est, quam insistere debemus, ita, qui declinant nimium

ad sinistram, dum ea non praestant, aut negligunt, quae Deus jussit, peccant. Qui nimium declinant ad dextram, plus facientes, quam jussit Deus, sicut Saul, dum parcit Amalechitis, etiam peccant, ac quidem gravius, quam illi ad sinistram. Accedit enim praesumtio pietatis; ubi enim illi ad sinistram excusare errorem non possunt, hi etiam praeclare se meritos esse judicant.

Atque hic lapsus vulgatissimus est. Nam Deus solet communia, vilia, ridicula, scandalosa quoque non nunquam praecipere. Ratio autem delectatur splendidis, et communia illa aut fastidit, aut cum indignatione suscipit. Sicut oeconomica officia fastidierunt Monachi, et delegerunt sibi alia in speciem splendidiora. Et vulgus hodie, quia audit, in evangelio communia officia praedicari, contemnit evangelium, tanquam vulgarem doctrinam, quae nihil eximium habeat. Quid enim magni videtur docere, qui docet, ut servi pareant dominis, liberi parentibus? Haec tanquam omnibus nota, et jam antea ab aliis tradita, eruditi Papistae non negligunt solum, sed rident etiam. Singularia autem exquirunt, quae aut opinione sapientiae, aut specie magnae difficultatis insignia sunt. Tantus humanae sapientiae est furor.

Sicut autem usitatum praeceptum est: Spectandum, non quis, sed quid dicat, propterea quod saepe doctorum certa exstent vitia: ita, cum de Dei praeceptis et vera obedientia agimus, invertenda haec sententia est. Hic enim non, quid dicatur, aut praecipiatur, spectandum est, sed quis dicat. Si enim in praeceptis divinis spectes, quid dicatur, et non, quis dicat, facile impinges; sicut Hevae exemplum ostendit; haec enim, cum non de praecipiente cogi-

tat, sed tantum in praeceptum intuetur, parvi momenti esse ducit, gustare pomum. Sed quantum inde toti generi humano creatum est periculum?

Qui autem respicit ad praecipientem, hic profecto etiam in speciem vilissima ducet esse maxima. Papistae exiguum quid esse putant, gubernare politiam, esse conjugem, educare liberos. Sed practica ostendit, esse res maximas, quas humana sapientia nullo modo potest consequi, et videmus, etiam spiritualissimos non nunquam foede lapsos. Igitur si respiciamus ad praecipientem, facile apparebit, etsi, quae Deus praecipit, videntur communia et vilia, tamen summa esse, nec posse praestari aut impleri ab ullo homine, nisi divinitus adjuvetur.

Papistae igitur, qui, sicut vacca ostium, tantum externam larvam intuentur, hi oeconomica et politica opera extenuare possunt, et somniare, quod alia et perfectiora praestent. Sed profecto, quia sunt turpes adulteri, quia sunt blasphemi in Deum, quia sacrilegi sunt, et, quae ecclesiae sunt, turpiter prodigunt, contra se ipsos quasi vivum testimonium dicunt, quod illa exigua, vilia, communia, vulgata praecepta oeconomiae et politiae nullo modo possint assequi.

Qualis igitur sanctitas est, quam sic jactant? Nimirum, quod certis diebus abstinent a carnibus, quod adstringunt se certis votis, certa opera deligunt. Sed, quaeso te, dic: quis jussit, ut ista faceres? Nemo. Igitur quae Deus mandavit, et jussit, non curant; superordinant autem alia, de quibus Deus nihil mandavit.

Ergo haec regula retinenda est summo studio, ut spectemus, non quid mandetur, sed quis mandet.

Qui hoc non facit, hunc saepe offendet operis, ut sic dicam, vel tenuitas, vel absurditas. Tribuenda autem Deo sapientiae laus est et bonitatis, ac statuendum, quod, quicquid ipse praecipit, sit sapientissime et optime praeceptum, etiamsi ratio aliter judicat.

Huic sapientiae Dei Papistae detrahunt, dum opera divinitus praecepta tanquam vilia negligunt, et conantur aliquid melius, aut difficilius suscipere. Itaque Deus talibus operibus non placatur, sed magis irritatur, sicut exemplum Saulis ostendit. Hic, ac si Deus stultus, ignavus, crudelis esset, qui Amalechitas et res eorum omnes jusserat perdere, captabat mitius consilium, reservabat jumenta ad usum sacrificiorum. Hoc quid aliud fuit, quam se judicare sapientem, Deum autem stultum esse?

Recte igitur Moses hoc in loco commendat obedientiam Noah, cum dicit, eum fecisse omnia, quae Deus praeceperat. Hoc enim est Deo tribuere gloriam sapientiae et bonitatis. Non disputavit, sicut Adam, Heva, Saul cum suo magno malo de opere: praecipientis majestatem secutus est; ea sibi satis fuit, etsi absurda, impossibilia, inconvenientia facere juberetur. Haec scandala omnia oculis quasi clausis praetergreditur, et in eo uno resistit, quod Deus jusserat. Notus itaque textus est, quoad auditum, sed quoad factum et usum paucis notus et difficillimus.

SEPTIMUM CAPUT GENESIS.

Dixitque Dominus ad Noah: Ingredere tu et omnis domus tua in arcam.

Postquam jam illa incredibilis machina arcae exaedificata est, Dominus jubet, ut ingrediatur in eam Noah, quod tempus diluvii jam instabat, de quo ante annos centum et viginti Dominus praemonuerat. Pertinet autem totum hoc eo, ut intelligeret Noah, se Deo curae esse; nec id tantum, sed etiam, ut Petrus loquitur (2. Petr. 1, 19.), ut haberet copiosum verbum et abundans, quo sustentaretur et confirmaretur fides ejus in tanta difficultate. Nam cum amplius centum annis diluvium praedixisset, sine dubio varie a mundo exagitatus est.

Deinde, sicut jam saepius dixi, incredibilis illa ira fuit, nec potuit in animum humanum, praesertim in primo et originali mundo, in quo meliores homines fuerunt, quam nunc, includi, quod Deus totum humanum genus, exceptis tantum octo animabus, esset perditurus diluvio. Itaque Noah, vir sanctus, justus, clemens, misericors, saepius cum corde suo luctatus est, nec sine maxima perturbatione animi audivit vocem Domini, minantem certum interitum universae carni. Atque hanc ob causam necesse fuit copioso verbo consolari et confirmare fidem afflicti et perturbati hominis, ne dubitaret.

Quod igitur jubetur in arcam ingredi, perinde est, ac si dicat Dominus: Ne dubita: certo fiet, et jam in proximo adest tempus poenae infligendae incredulo mundo. Sed tu noli trepidare, noli metuere, (sicut fides etiam in sanctis non nunquam valde infirma est): curae mihi eris, tu et domus tua. No-

his quidem impossibilia haec fuissent credita, cum tamen statuere necesse sit, Deo omnia facta esse possibilia.

Retinet autem Moses hic quoque phrasin suam, quod dicit: „Dominus dixit“. Atque ego peculiariter ista cogitatione delector, ut statuam, ista verba Dei non quidem de coelo sonuisse, sed per ministerium humanum ipsi Noah dicta esse. Quanquam enim non negem, potuisse fieri, ut per Angelum haec revelarentur, aut per ipsum Spiritum sanctum: tamen, ubi commode dici potest, quod per homines Deus sit locutus, ibi ministerium honorandum est. Sic multa, quae Deum Moses locutum dixit, nos supra per Adamum dicta esse ostendimus. Nam verbum Dei, etiam cum ab homine pronuntiatur, vere est verbum Dei.

Quia autem Methusalah, avus Noah, in ipso diluvii anno mortuus est, non ineptum fuerit, si sentiamus, hanc Methusalae (nam Lamech, pater Noah, quinquennio ante diluvium mortuus fuerat) ad nepotem ultimam fuisse vocem, et quasi testamentum, ut moribundus diceret vale nepoti, et adderet: Mi fili, sicut hactenus obedivisti Domino, et exspectasti illam iram in fide, ac expertus es protectionem Dei, et fidelem custodiam contra impios: ita posthac quoque non dubites, Deo te curae fore. Nunc enim instat finis, non meus tantum, qui est finis gratiae, sed totius humani generis, qui est finis irae. Nam post septem dies incipiet diluvium, de quo tam diu admonuisti mundum, sed frustra. Ad hunc modum existimo, haec verba ab ipso Methusalah dicta esse; tribuuntur autem Deo, quia Spiritus Dei per ipsum locutus est.

Ita libenter haec refero ad honorem ministerii, ubi commode, sicut hoc in loco, potest fieri. Quis enim certum est, Methusalah ipso diluvii anno esse mortuum, sine periculo aliquo cogitari potest, hanc fuisse novissimam ejus concionem ad nepotem Noah, qui ejus vocem audivit, et accepit tanquam Dei vocem.

Iudaei quoque de his septem diebus habent suam peculiarem cogitationem, quod isti dies septem sint additi centum et viginti annis in honorem Methusalah, ut eum lugeret posteritas. Sed neque haec cogitatio aliquid periculi habet: non enim defuerunt officio suo, praesertim pii posteri.

Sed prior sententia de ministerio verbi non solum verisimilis, sed utilis quoque est. Certum enim est, Deum non solere miraculose et per revelationes singulares semper loqui, praesertim ubi adest legitimum ministerium, quod ideo instituit, ut per id cum hominibus loquatur, eos doceat, instituat, consoletur, excitet etc.

Ac primum commendavit verbum parentibus, sicut Moses saepe dicit: „Narrabis ea filiis tuis“, deinde doctoribus in ecclesia, sicut Abraham dicit, Lucae 16., (v. 29.): „Habent Mosen et Prophetas, eos audiant“. Non enim debemus exspectare revelationem vel internam, vel externam, ubi ministerium adest; alioqui omnes ordines vitae turbarentur. In ecclesia doceat minister, rempublicam gubernet magistratus, domum seu oeconomiam regant parentes: hominum enim haec sunt ministeria, instituta a Deo; itaque iis utendum, non ad alias revelationes respiciendum est.

Non tamen nego, quin etiam post Methusalae

mortem Noah Deum loquentem audierit. Deus enim dupliciter cum hominibus loquitur: primo et communiter per publicum ministerium, hoc est, per parentes et ecclesiae doctores; secundo per revelationem internam, seu per Spiritum sanctum. Sed hoc posterius tantum solet in specialibus negotiis, et rarissime. Id quod eo nosse utile est, ne omisso verbo cum fanaticis exspectemus novas revelationes; inde enim exsistunt erronei spiritus, qui postea orbem terrarum perturbant somniis suis: sicut Anabaptistarum exemplum probat.

Te enim vidi justum coram me in generatione hac.

Haec profecto horribilis pictura est primi mundi et originalis, sicut Petrus eum appellat (2. Pet. 2, 5.). Ac videtur ea appellatione aliquid singulare ei seculo tribuere prae nostri seculi hominibus. Quid enim potest dici horribilius, quam quod hic audimus, solum Noah justum fuisse coram Domino? Similis mundi pictura est in Psalmo 14. (v. 2. 3.), ubi Dominus dicitur de coelo prospexisse, si quem videret intelligentem, aut requirentem Deum. „Sed, inquit, omnes declinaverunt, inventi sunt inutiles, nec erat, qui faceret bonum, ne unus quidem".

Porro convenit hoc de mundo judicium cum sententia Christi; quia enim postrema tempora similia erunt temporum Noah, recte dicit Christus (Luc. 18, 8.): „Cum filius hominis veniet, putas, quod inveniet fidem?" Horribile itaque est in tam malo et impio mundo vivere. Hodie, Dei beneficio, cum lumen verbi habeamus, adhuc aureum seculum est. Sacramenta enim sunt in legitimo usu in nostris ec-

clesiis, pii doctores verbum pure tradunt, magistratus quoque etsi infirmus sit, tamen nondum desperata malitia est.

Sed Christi vaticinium ostendit durissima secula, cum dies Domini imminebit, fore, ut nulli usquam inveniantur sani doctores, oppressa ecclesia per impios; sicut etiam consilia adversariorum nostrorum minantur. Nam Papa et impii principes hoc omnibus viribus agunt, ut in universum tollatur ministerium verbi, et credat quisque, quod libet, veris ministris omnibus aut oppressis, aut corruptis."

Tanto nunc diligentius orandum erat pro posteris, ac agendum summa cura, ut purior doctrina ad eos transmitteretur. Si enim temporibus Noah plures fuissent pii doctores, etiam major justorum speranda copia erat; nunc, quia ad tantam paucitatem redacti sunt justi, ut unus Noah justus praedicetur, satis apparet, pios doctores aut occisos, aut ad haereses et idolatriam inflexos fuisse, relicto unico justitiae praecone Noah, sicut Petrus, 2. Pet. 2. (v. 5.) eum appellat. Magistratu autem verso ad tyrannidem, et oeconomia per adulteria et stupra perturbata, quomodo potuit abesse diutius poena?

Tale periculum etiam nos manet, si quidem postrema tempora temporibus Noah erunt similia. Ac sane Pontifices et Episcopi strenuam navant operam, ut evangelium opprimatur, et ecclesiae recte institutae vastentur. Ita nititur mundus magno conatu ad seculum simile seculo Noah, quo extincta luce verbi, omnes errent in tenebris impietatis. Sublata enim praedicatione non poterit consistere fides, non invocatio, non sacramentorum verus usus.

Talem hic Moses originalis mundi, tempore

Noah, faciem fuisse scribit, cum tamen illa ceu adolescentia mundi et optima pars fuerit, florentibus ubique summis ingeniis, et ob longaevitatem longo rerum usu instructissimis. Quid de nobis futurum est in illo quasi delirio mundi senescentis? Itaque posterorum cura non abjicienda, sed assidue pro eis orandum erat.

Sicut autem primus mundus fuit corruptissimus, ita quoque horribili poenae subjectus est, ut non tantum perirent adulti, qui malefactis suis irritaverunt Deum, sed etiam illa innocens aetas, quae nihil intelligit, neque inter dextrum et sinistrum judicare potest. Sine dubio autem multi simplicitate sua decepti sunt; sed hic nullum discrimen ira Dei facit: adultos cum infantibus, callidos cum simplicibus opprimit et perdit.

Hac tam horribili poena Petrus Apostolus quoque motus videtur, ut non aliter, quam fanaticus loquatur talia verba, quae ne hodie quidem a nobis intelligi possunt. Ita enim dicit 1. Pet. 3, (v. 19. 20.): „Christus spiritu vivificatus, et his, qui in carcere erant, spiritu veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabatur patientia Dei in diebus Noah, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animae salvae factae sunt per aquam" etc.

Mirabile profecto judicium, et vox paene fanatica, quam Apostolo horribile hoc spectaculum expressisse videtur. Constituit enim Petrus his ipsis verbis, fuisse quendam mundum incredulum, cui post mortem mortuus Christus praedicaverit. Si hoc ita verum est, quis dubitet, Christum secum ad illos vinctos in carcere adduxisse etiam Mosen et Prophe-

tas, ut faceret novum et credulum mundum ex incredulo? In hanc sententiam profecto Petri verba sonant, etsi ego de iis nihil pronuntiem.

Porro non dubium est, quin illi, quos incredulum mundum vocat, non sint impii contemtores verbi, et tyranni, de quibus certum est, quod damnati sunt, si in peccatis suis sunt oppressi; sed vocare videtur incredulum mundum, infantes et alios, quos simplicitas sua impedivit, ne possent credere, si quidem scandalis mundi non secus ac rapido fluvio accepti et in praeceps acti sunt, ut simul perirent, octo autem animae tantum salvarentur.

Ad hunc modum exaggerat Petrus magnitudinem horribilis irae, et tamen commendat etiam patientiam Dei, qui verbo salutis eos non privavit, qui tum non crediderunt, vel credere non potuerunt, quod exspectarent patientiam Dei, nec possent persuaderi, futurum, ut Deus simul totum mundum tam atrocibus poenis subjiceret.

Porro quomodo hoc factum sit, nescimus; hoc autem scimus et credimus, quod Deus est mirabilis in operibus suis, et omnia potest. Itaque qui vivis vivus praedicavit, etiam potuit mortuus praedicare mortuis; omnia enim eum audiunt, sentiunt, palpant, etiamsi humanus captus id non intelligat. Honorificum autem nobis est, etiamsi quaedam sacrarum literarum mysteria ignoremus. Habuerunt enim Apostoli suas singulares revelationes, de quibus disputare multum, arrogans et stultum est.

Talis fuit haec revelatio de Christo docente animas, si quae tempore diluvii perierunt, ad quam fortasse non inepte referemus articulum symboli de Christo ad inferos descendente. Talis fuit revelatio

Pauli de Paradiso, de tertio coelo et aliis quibusdam, quae ignorare non turpe est. Arrogantia autem est velle videri, quod scias. Sanctus Augustinus et alii quoque doctores varia imaginantur, cum de talibus locis disputant. Sed quis non credat, Apostolos habuisse revelationes, quas Augustinus et alii non habuerunt? Sed redeamus ad Mosen.

Profecto horribilis mundi pictura est, quod Deus testatur, se unum Noah vidisse coram se justum, et neque parvulorum meminit, neque aliorum, qui innocenter seducti sunt.

Notabimus autem particulam: „Coram me“; nam haec significat, Noah non tantum fuisse justum quoad secundam tabulam, sed etiam quoad primam tabulam, hoc est, credidisse in Deum, sanctificasse, praedicasse, invocasse nomen Dei, egisse Deo gratias, damnasse impia dogmata etc. Hoc enim coram Deo est justum esse, in Deum credere, et timere Deum, non sicut in Papatu docebant, missas legere, animas liberare ex purgatorio, fieri Monachum etc.

Pertinet autem etiam haec particula ad condemnationem istius mundi originalis, qui neglectis cultibus primae tabulae, etiam in secundae tabulae usu erat vitiosissimus. Nam et riserunt ipsum Noah tanquam fatuum, et damnabant ejus doctrinam tanquam haeresin; interim securi bibebant, comedebant, agebant festos dies. Igitur Noah coram mundo non fuit justus, sed damnatus peccator.

Consolatur igitur hoc verbo eum Dominus, seu Methusalah avus, ut judicia mundi caeca et impia negligat, neque curet, quid mundus sentiat, aut loquatur, sed ut oculos et aures claudat, et tantum in

Dei verbum et judicium sit intentus, ut credat, se coram Deo esse justum, hoc est, se probari Deo, et Deo acceptum esse.

Ac profecto magna fuit Noah fides, qui huic Dei voci potuit credere. Ego profecto non credidissem. Sentio enim, quam grave sit, si omnium judicia te solum impugnent et damnent, sicut nos damnamur non solum Papae, sed etiam Sacramentariorum, Anabaptistarum et mille aliorum judiciis. Sed ludus et jocus ista sunt, ad justum Noah collata, qui non invenit praeter liberos ex se natos et pium avum, unum hominem in toto mundo, probantem vel religionem vel vitam ejus. Nos habemus Dei beneficio multas ecclesias consentientes nobis, et nostri principes nullum recusant periculum, quod ob defensionem doctrinae et religionis suscipiendum est. Tales patronos Noah non habuit, et vidit adversarios altissima in pace agere otium et voluptuari. Hic si ego fuissem, profecto dixissem: Domine, si justus sum, si tibi placeo, illi autem sunt injusti, et displicent tibi, cur eos sic auges bonis? Cur cumulas omni genere beneficiorum? ubi contra ego cum meis varie divexor, et paene omni auxilio destituor? Quid multa? ego, nisi Dominus eum spiritum daret, quem Noah habuit, in tantis calamitatibus desperarem.

Est igitur Noah exemplum fidei illustre et magnificum, qui heroica animi constantia se mundi judiciis opposuit, et credere potuit, se justum, reliquum autem mundum totum injustum esse.

Ego saepe, cum de sanctissimis viris, Ioanne Huss et Hieronymo Pragensi cogito, cum summa admiratione hanc ipsam animi magnitudinem intueor,

qui

qui duo se totius mundi judiciis opposuerunt, Pontifici, Imperatori, Episcopis, principibus, collegiis et scholis omnibus per totum imperium.

Utile autem est saepe in talia exempla intueri; quia enim tale certamen a principe mundi acuitur, qui ignitis telis suis desperationem conatur excitare in animis, oportet, nos instructos esse, ne cedamus furori hostis, sed cum Noah dicamus: Scio, me esse justum coram Deo, licet me totus mundus damnet tanquam Haereticum et injustum, licet totus mundus a me deficiat. Sic enim deficiebant a Christo Apostoli, et relinquebant eum solum; sed dicit: „Ego non sum solus (Ioh. 16, 32.). Sic Paulum deserebant falsi fratres. Non igitur nova aut inusitata haec pericula sunt; itaque non est in eis desperandum, sed magno animo retinenda sana doctrina, utcunque eam damnet et exsecretur mundus.

Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, masculum et feminam. De animantibus vero immundis bina, masculum et feminam. Sed et de volatilibus coeli septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super faciem universae terrae.

Apparet, Deum delectari colloquio cum Noah; ideo non satis ei est, semel mandasse, quid faciat, sed repetit res easdem verbis quoque iisdem. Ratio hanc putat absurdam garrulitatem; sed animo, qui cum desperatione luctatur, nihil potest satis esse, aut nimium videri, quo de Dei voluntate docetur. Hunc affectum tentati animi videt Deus, et subinde repetit eadem, ut ex illo colloquio et confabulatione hac

tam copiosa intelligat Noah, se non solum non desertum esse, etsi totus mundus eum deseruerit, sed habere amicum et faventem Deum, qui in tantum amet, ut colloquio cum pio Noah non videatur exsatiari posse. Haec causa est, cur eadem hoc loco repetantur. Dixi autem supra, quomodo Deus cum Noah sit collocutus: non de coelo, sed per hominem.

Quod autem ad grammaticam attinet, testatur hic locus, הַבְּהֵמָה non tantum significare jumenta, hoc est, majora animalia, sed etiam minora, quae immolari solent, ut oves, caprae et similia. Non enim sacrificandi mos per Mosen primum institutus est, sed semper in mundo fuit, et quasi per manus a Patribus posteritati est traditus, sicut exemplum Habelis testatur, qui obtulit Domino primitias gregis.

Caeterum supra in fine sexti capitis diximus, quomodo conveniat, quod hic septena, istic autem bina tantum jubentur in arcam recipi. Ideo nihil opus est, ut ea repetamus. Quia autem Noah mirabiliter est servatus, judicavit, septimum individuum tribus paribus mundorum addendum esse, ut post diluvium Deo pro liberatione agerentur gratiae.

Nam post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terrae.

Hic vides, quanto studio Deus conetur ipsi Noah omnia quam certissima reddere. Praefinit septem dies; post hos dicit pluviam quadraginta dierum et noctium secuturam.

Utitur autem singulari emphasi, quod dicit: „Ego pluam"; non enim usitata pluvia fuit, sed et fenestrae coeli et fontes abyssorum aperti sunt, hoc est, et depluit de coelo magna copia, et ingens aquarum vis ex ipsa terra se effudit. Magna enim aquarum copia fuerit necesse est, quae summa montium cacumina superarit quindecim ulnis. Fuit igitur non usitata pluvia, sed pluvia irae Domini, qua Dominus delere voluit omnem substantiam super terram. Quia enim terra corrupta erat, corrumpit eam quoque Dominus, et quia impii pugnabant contra primam et secundam tabulam, ideo Deus contra eos pugnabat coelo et terra.

Itaque haec historia certum est argumentum, quod Deus, etsi longanimis et patiens est, non tamen ideo nunquam puniet impios. Nam sicut Petrus dicit (2. Pet. 2, 5.): „Si mundo originali non pepercit", quanto minus parcet vel Pontificibus, vel Caesaribus persequentibus verbum ejus? quanto minus nobis parcet blasphemantibus nomen ejus, dum indigne vocatione nostra et professione vivimus, dum contra conscientiam quotidie ultro peccamus? Discamus igitur timere Dominum, et cum humilitate amplecti verbum, ac parere verbo: alioqui nos quoque arripiet poena, sicut minatur Petrus.

Fecit igitur Noah omnia, quae mandaverat ei Dominus. Eratque Noah sexcentorum annorum, quando diluvii aquae inundaverunt super terram. Et ingrediebatur Noah et filii ejus, uxor et uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquas diluvii. De animantibus quoque mundis

et immundis, et de volucribus, et ex omni, quod movetur super terram, bina ingrediebantur in arcam ad Noah, masculus et femina, sicut praeceperat Dominus Noah. Cumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram.

Haec clara sunt ex praecedentibus. Et merito laudatur fides Noah, quod paruerit mandato Domini, et constanti fide sit ingressus in arcam cum suis filiis et eorum uxoribus. Poterat quidem Deus infinitis aliis modis eum servare. Non enim hac paene stulta ratione utebatur, quasi aliam nesciret. Nam qui Ionam in medio mari et in ventre ceti servavit ad triduum, huic quid putas impossibile esse? Commendatur autem hoc modo fides et obedientia Noah, quem non offendit illa salutis via divinitus ostensa, sed eam simplici fide complexus est.

Anno sexcentesimo vitae Noah, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes, abyssi magnae et cataractae coeli apertae sunt, et facta est pluvia super terram, quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

Videmus, Mosen hoc in loco valde exuberare verbis, et repetere ad fastidium usque res easdem. Quoties enim meminit animalium? quoties ingressus in arcam? quoties filiorum Noah, qui simul ingressi sunt? Hic judicium relinquendum est hominibus spiritualibus; hi soli norunt et vident, Spiritum sanctum nihil frustra repetere.

Alii tamen, qui infirmiores spiritu sunt, possunt cogitare, Mosen permotum magnitudine irae, cum scriberet ista, eadem saepius voluisse inculcare. Gratae enim repetitiones sunt animis perturbatis. Sic David 2. Sam. 18, (v. 33.) repetit querelam de filio Absalom. Ad hunc modum repetitio haec ostendit magnitudinem affectus, et perturbationem animi summam. Sic enim oculis atque auribus obversatur hoc exemplum irae, ut non possit non saepius, atque iisdem quoque verbis ejusdem rei meminisse.

Diversum faciunt poëtae et historici; hi affectus varios fingunt, multi sunt in amplificatione rerum, et verba magno numero cumulant. Sed Moses verbis utitur brevibus; repetit tamen ea saepius, ut ipse lector sic admonitus, de magnitudine rerum cogitet, et ipse sibi affectus fingat veros, non legat alienos.

Videtur autem, quod Moses assidua ista repetitione *non* tantum voluerit imaginem aliquam summe perturbati sui animi nobis proponere, sed etiam ipsius Noah, qui plenus Spiritu sancto, caritate ardens, commiseratione futurae calamitatis paene oppressus, postquam medicinam nullam afferri a se posse vidit, quid aliud faceret, quam quod deplorat illam calamitatem? Vidit enim, certum exitium imminere sapientissimis, nobilissimis et praestantissimis viris. Sic David cum revocare ad vitam Absalona non posset, luget. Sic Samuel, cum Saulis negotium desperatum esset, luget.

Non itaque haec otiosa tautologia seu repetitio est. Non enim est Spiritus sanctus otiose garrulus, sicut cogitant imperiti et saturi spiritus, qui semel atque iterum perlectis Bibliis, mox tanquam bene

cognita, in quibus nihil restet, quod discant, abjiciunt. Voluit hac ratione tanquam stimulos infigere in animos lectorum, ne de levi aliquo negotio institutam orationem cogitarent.

Et tamen Moses in his ipsis repetitionibus quaedam ostendit, quorum nihil simile invenitur in omnium gentium scriptis; sicut est, quod scribit, Noah ingressum in arcam anno aetatis suae sexcentesimo, mense secundo, et die secundi mensis decima septima.

Hic disputatio oritur de initio anni. De eo autem duplex opinio est. Prima est, quod initium anni sit conjunctio solis et lunae, quae aequinoctio vernali proxima est. Ideo a Mose is mensis vocatur primus in Exodo. Iam si diluvium venit secundo mense, et die decima septima, tum incidit fere in finem Aprilis, hoc est, in illud tempus, quo annus est formosissimus, et orbis quasi revirescit, cum aves cantillant, et exsultant pecudes, et nova quasi mundi facies post horrida hiemis tempora se aperit. Fuit autem profecto tanto plus terroris, quod tum ingruit mors et perditio omnium, cum speraretur initium laetitiae, et quasi novae vitae omnium. Ac convenit cum hac opinione etiam Christi vox Matth. 24, (v. 38.) comparantis tempora postrema mundi cum temporibus Noah, ac praedicentis comessationes, nuptias et alia laetitiae signa.

Secunda opinio de initio anni est, quod incipiat cum lunatione, quae aequinoctio autumnali est proxima, cum jam omnia ex agris collecta sunt. Ideo autem hic statuunt initium anni, quod Moses eum mensem appellat exitum anni. Atque hoc anni initium vocant initium anni civilis, illud autem aequinoctii verni vocant initium anni sacri. Nam caeremo-

niae Mosaicae et festa ab eo tempore usque ad autumnale aequinoctium durant.

Si igitur de hoc profano anno loquitur hic Moses, tum in Septembrem aut Octobrem diluvium incidit, in qua opinione Lyram quoque esse video. Ac sane verum est: autumnus et hiems pluviis sunt aptiores, propter humida signa. Deinde, quia infra scribit Moses, columbam emissam mense decimo, et retulisse ramum oleae florentis, videtur id quoque recte convenire, si initium diluvii Octobrem statuas.

Sed ego hanc Iudaeorum rationem non probo, qui statuunt duo anni principia. Cur enim non quatuor principia faciunt, cum quatuor distincta tempora sint secundum aequinoctia et solstitia? Igitur horum temporum etiam initia erunt distincta. Sed tutius est sequi ordinationem divinam. Secundum hanc primus mensis est mensis Aprilis, seu illa lunatio, quae aequinoctio verno est proximior. Nam quod Iudaei, quia aequinoctium autumnale exitus anni dicitur, etiam initium anni autumnale statuunt, id ex imperitia faciunt; non enim alia ratione exitum anni vocat, quam quod tum cessabant operae rusticae, et omnes fructus collecti erant ac deportati domum.

Sic sentio itaque, diluvium ingruisse tempore verno, cum spe novi anni omnium animi pleni essent. Talis enim est impiorum mors, ut, cum dixerint: Pax et securitas, tum pereant (1. Thess. 5, 3.). Nec impedit, quod de virenti ramo oleae infra scribitur. Nam quaedam arbores perpetuo virent, sicut buxus, abies, pinus, cedrus, laurus, olea, palma etc.

Sed quid est, quod Moses dicit de ruptis fontibus magnae abyssi? Item de apertis fenestris coeli?

Nam hujusmodi nihil legitur in omnium gentium literis, etsi hae magno studio naturae arcana scrutatae sint. Distinguenda autem haec sunt, ut statuas, aliud esse abyssos terrae, aliud cataractas, seu fenestras coeli, et aliud pluviam. Pluviae usitatae sunt; sed cataractas et abyssos aperiri plane est inusitatum et monstrosum.

Muti autem hic sunt fere interpretes omnes. Nos autem scimus ex sacris literis, quod Deus verbo suo constituit homini et animantibus reliquis locum habitandi in arida super aquas contra naturam. Contra naturam enim est, quod terra emergit in aquis posita. Si enim glebam in terram projicias, statim subsidit. Arida autem exstat in aquis, idque virtute verbi, quo positi sunt termini mari, sicut Salomon Prov. 8, (v. 27.) et Hiob. 38, (v. 11.) loquuntur. Ac nisi virtute verbi quasi intra septa continerentur aquae, effluerent, et omnia vastarent. Itaque singulis momentis custoditur vita nostra, et servatur miraculose per verbum. Sicut docent particularia diluvia, ubi non nunquam civitates aut regiones integrae merguntur, in testimonium, quod talia incommoda quotidie sentiremus, nisi divinitus nobis prospiceretur.

Sicut autem sunt aquae subter*) nos, et subter terram: ita quoque sunt aquae super nos, et super coelum; quae si pro natura sua descenderent, in momento omnia exstinguerentur aquis. Nubes quasi suspensae volant; quae cum non nunquam se demittunt, quantum terroris edunt? Quid autem fieret, si omnes ruerent? Sicut natura sua ruerent, nisi verbo quasi suspensae suo in loco supra nos manerent.

*) Edit. princ. subtus.

Sic undique cincti sumus aquis, nec habemus, quo muniamur, praeter lacunar seu testudinem, eamque ex mollissima materia, nempe ex aëre contextam, quem spiramus. Is portat nubes istas, et tantam aquarum molem, non quidem natura sua, sed praecepto Dei, seu virtute verbi sustentat.

Haec cum Prophetae considerant, admirantur. Utrunque enim contra naturam est, et volare tantam molem, et non ferri deorsum. Sed nos consuetudine tantarum rerum quotidiana quasi excaecati, nec videmus, nec miramur eas. Quod igitur non singulis momentis obruimur aquis tum superis, tum inferis, id debemus divinae majestati, quae ita mirabiliter ordinat et conservat creaturas, atque ideo etiam praedicari a nobis debet.

Et hanc ob causam Moses hoc in loco vigilanti et signato verbo dicit, abyssos ruptas. Vult enim ostendere, quod divina virtute fuerint clausae, et tanquam sigillo Dei consignatae, sicut adhuc hodie sunt, Deum autem non aperuisse eas clavi, sed violenter rupisse, ita ut Oceanus quasi ebulliens omnia aquis operiret.

Porro nemo cogitabit, Deum admovisse manum, quia rupisse abyssos dicitur. Loquitur enim scriptura secundum nostrum captum, et hoc modo significat permissionem divinam, quod non amplius tenuit, neque coërcuit aquas verbo, sed libere secundum naturam suam passus est eas grassari et emanare. Itaque Oceanus sic excrevit, ut ebullire videretur.

Sicut in salinis, quae nobis vicinae sunt, fons, qui a Germanis nomen habet, nisi hauriatur, tanta vi aquarum certis temporibus exundat, ut in immen-

sum aquae surgant et exundent. Ac narrant, olim oppidum Halam tali exundatione ejus fontis et tam vehementi periisse. Quodsi unus fons hoc potuit, quid putabimus, cum ad hunc modum Oceanus et omnia maria tantam aquarum vim ex se gignerent et effunderent? Itaque citius oppressi sunt homines, quam animadverterent periculum. Quo enim fugerent tanta vi undique se effundentibus aquis?

Sed hoc non solum accidit; etiam fenestrae coeli apertae sunt, quas hoc ipso verbo Moses ante hoc tempus significat clausas fuisse, sicut etiam hodie clausae sunt. Mundus quidem judicavit, apertiones illas impossibiles fore; sed peccata fecerunt, ut essent possibiles.

Porro fenestras Moses nihil aliud vocat, quam apertiones coeli. Nunc enim cum pluit, videtur aqua tanquam ex poris imbrium destillare. Sed tempore diluvii non per poros, sed per fenestras magna vi demissa est, sicut cum uno impetu aqua in vas conclusa effunditur, aut utres medii rumpuntur. Utitur autem hac figura Moses etiam propter apparentiam, sicut nobis videntur illa geri.

Undique ergo ingruit vis aquarum in terram, et de coelo et ex terrae imis partibus, donec tandem terra tota aquis tecta est, ac fertilis gleba, seu tota terrae superficies salsugine aquarum corrupta est. Hujusmodi nihil simile legitur in aliis literis; sola autem scriptura sancta est, quae ostendit, quod et acciderint haec mundo secure peccanti, et quod benignitate Domini adhuc hodie cohibeantur pendentes illae in nubibus aquae, quae sua natura aliud non possent, quam ut defluerent magna mole, sicut in diluvio.

In articulo diei illius ingressus est Noah et Sem et Ham et Iapheth, filii ejus, et uxor illius, et uxores filiorum ejus cum eis in arcam. Ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne, quod repit super terram, in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universae aves, omneque volatile ingressa sunt ad Noah in arcam; bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitae, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut praeceperat ei Deus.

Hic incipit Moses mirabiliter esse multiloquus, ita ut aures delicatas illa verbositas offendat, quod toties et, ut apparet, sine omni fructu eadem repetit; non satis ei est dixisse in genere: Omne volatile, sed tres avium species facit. Inter has צִפּוֹר fere passerem exponunt; sed satis ostendit hic locus, generis esse vocabulum, sine dubio sic appellatum a sono, zi, zi. Facit quoque tres species animalium.

Deinde de ipso diluvio etiam admodum verbosus est. Dicit, praevaluisse aquas, auctas esse, inundasse, operuisse terrae superficiem. Tandem, cum hujus inundationis effectum narrat, eadem copia utitur: „Exspiravit omnis caro, mortua est, deleta est" etc.

Sed dixi supra, easdem res ideo repeti a Mose contra morem suum, ut cogat quasi lectorem resistere, et diligentius tantam rem cognoscere ac expendere. Inaestimabilis enim ira haec est, qua non solum hominem, sed omnem ejus possessionem de-

let. Hac irae Dei cogitatione induratos et insensatos peccatores vult excitari.

Non igitur otiosa haec verba sunt, sicut siccis et nihil spiritus habentibus lectoribus apparet. Sed invitant ad timorem Dei, et quasi in rem praesentem ducunt, ut tantae irae cogitationibus quasi depressi, incipiamus serio timere Deum, et cessemus peccare. Nam neque Moses sine largis lacrymis scripsisse haec videtur. Ita enim totus in illud horribile spectaculum irae, oculis atque animo intentus est, ut non possit non saepe eadem repetere. Facit autem id sine dubio eo consilio, ut hos quasi aculeos timoris Dei piorum lectorum animis infigat.

Prodest autem, ut tanquam in rem praesentem cogitatione nos sistamus. Quid enim nos animi habituros fuisse credis, si in arcam essemus translati, si vidissemus, tanta vi undique ingruere aquas, et miseros mortales innatantes aquis miserabiliter sine ullo auxilio exstingui? Cogitabimus autem, Noah et filios ejus etiam fuisse carnem et sanguinem, hoc est, homines, qui, sicut ille (Ter. Heaut. 1, 1. 25.) in comoedia ait, nihil humanum a se alienum putarunt. Hi sederunt diebus quadraginta in arca, priusquam attolleretur de terra. In his diebus deletum est, quicquid in terra hominum et animalium vixit. Hanc calamitatem oculis suis viderunt; quod autem ea non extreme sint commoti, quis est, qui dubitet?

Porro arca natat in aquis diebus centum et quinquaginta, fluctibus et flatibus undique concussa. Ibi non potuit sperari portus aliquis, non ullius hominis consuetudo. Exsules igitur et quasi ex orbe expulsi, rapiuntur fluctibus et ventis hinc, inde. An non igitur miraculum est, quod octo homines isti

non sunt luctu et metu exanimati? Sed nos profecto saxei sumus, qui ista siccis oculis possumus legere.

Quanti clamores, quis dolor, qui ejulatus est, cum ex litore spectamus scapham eversam, et misere pereuntes homines? Ibi autem non una scapha, sed totus orbis terrarum in aquis periit, plenus non adultis solum, sed infantibus etiam, non solum facinorosis et impiis, sed etiam multis simplicibus matronis et virginibus, quae omnes perierunt. Hanc calamitatem credamus Mosi expressisse illam verborum redundantiam, qua nos quoque vocamur ad diligentiorem tantae rei inspectionem. Ac profecto ipsius Noah singularis fides fuit, qui se et suos illa spe promissi seminis consolatus est, et pluris fecit promissionem hanc, quam reliqui totius mundi interitum.

Et clausit post eum Dominus de foris. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram, et multiplicatae sunt aquae, et elevaverunt arcam in sublime a terra. Vehementer autem inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terrae. Porro arca ferebatur super terras, et aquae praevaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo coelo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Consumtaque est omnis caro, quae movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quae reptant super terram. Uni-

versi homines, et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt. Et delevit Deus omnem substantiam, quae erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile, quam volucres coeli, et deleta sunt de terra. Remansit autem solus Noah, et qui cum eo erant in arca. Obtinuerantque aquae terram centum quinquaginta dies.

Quadraginta diebus stetit arca in aliqua planitie; eo autem tempore ita creverunt aquae, ut arcam attollerent, quae postea centum et quinquaginta diebus natavit in aquis. Longa profecto navigatio, et quae plenissima luctu et lacrymis fuit. Et tamen sustentaverunt se fide, nihil dubitantes de Dei erga se benignitate, cujus curam in aedificanda arca, in comparando victu, in aliis ad hanc rem necessariis instruendis, tandem etiam in eo perspexerant, quod Dominus invalescente diluvio clausit arcam.

Sed hic quaestio nascitur, quomodo Deus sit verax, qui homini subjecit terram, ut eam coleret, et dominaretur ei? Non enim creavit Deus terram, ut jaceret deserta, sed ut habitaretur, et fructus suos daret homini. Sed cum hac voluntate conditoris quomodo convenit, quod totum humanum genus usque ad octo animas perdit?

Mihi quidem non dubium est, quin hoc argumentum tum Cainitas, tum impiam piae generationis posteritatem moverit, ne Noah praedicenti diluvium crederent. Quomodo enim convenit, quod ad Adam et Hevam dicit: „Vos dominabimini terrae"? Hic autem dicit ad Noah: „Aqua dominabi-

tur omnibus hominibus, et perdet omnes". Iudicaverunt igitur, praedicationem Noah impiam et haereticam esse.

Sicut Prophetarum libri testantur, illas comminationes de captivitate per Assyrios et Babylonios non creditas esse a sacerdotibus et regibus. Norant enim magnificas promissiones: „Haec requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam", Psalm. 132, (v. 14.). Item illam Esaiae: „Hic caminus et ignis meus", Esa. 31, (v. 9.). Ideo impossibile judicabant, ut aut civitas, aut templum a gentibus everteretur. Ac Iudaei, quantumvis miseri et exsules, adhuc hodie pertinaciter hanc promissionem retinent, quod sint populus Dei, et haeredes promissionum factarum Abrahae et Patribus.

Sic Papa inflatur promissionibus factis ecclesiae, Matth. 28, (v. 20.). „Vobiscum sum usque ad consummationem seculi". Ioh. 14, (v. 18.): „Non relinquam vos orphanos". Lucae 22, (v. 32.). „Petre, rogavi pro te, ne deficeret fides tua" etc. Etsi autem videat et sentiat iram Dei, tamen his promissionibus irretitus et captus, somniat cum suis, sedem et potentiam suam inconcussam mansuram. Ideo plenis buccis Papistae nomen ecclesiae nobis objiciunt, et sibi omnia promittunt felicissima, quasi Deum cogere possint ad talem ecclesiam constituendam, qualem ipsi somniant et cupiunt.

Quaestio igitur illa hoc loco recte movetur, quomodo conveniat diluvium, quo totum humanum genus periit, cum voluntate Dei, condentis humanam naturam, et quidem cum promissione, seu donatione illa dominii? Ac quod ad hanc quaestionem respondetur, idem recte respondetur ad illam de ec-

clesia. Nempe, quod Deus manet verax, et conservat ecclesiam, regit, gubernat, sed tali modo, qualem mundus nec videt, nec intelligit. Relinquit Pontificem Romanum cum suis in ea opinione, quod sit ecclesia, sinit, eum securum esse, et frui dignitate ac titulo. Sed revera excommunicavit et abjecit eum, quia verbum abjicit, et instituit idolatricos cultus.

Elegit autem Deus sibi aliam ecclesiam, quae verbum amplectitur, et idolatriam fugit, cruce et ignominia sic oppressam, ut non ecclesia, sed Haeretici et schola Diaboli aestimetur. Sic Paulus ad Romanos 2, (v. 17.) dicit, Iudaeos non metuere Deum, sed gloriari in lege et Deo, et tamen revera negare Deum, blasphemare et offendere. Atque hoc dum Iudaei faciunt, qui se populum Dei esse gloriantur, interim Deus sibi ecclesiam parat ex gentibus, qui vere in Deo gloriantur, et verbum ejus amplectuntur.

Quis autem Deum ideo mendacii arguet, quod ecclesiam conservat alio modo, quam homines vel cupiunt, vel norunt? Sic erant promissiones de Ierusalem et templo servando. Hae promissiones non tollebantur, cum Ierusalem et templum per Babylonium vastarentur. Nam Deus aliam Ierusalem et aliud templum tum statuebat in spiritu et per verbum, cum Ieremias (Ier. 29, 10. 11.) promitteret, post septuaginta annos populum rediturum, et tum templum, tum civitatem reaedificaturum. Iudaeis igitur templum et civitas tum erat destructa, sed Deo non, qui in verbo promittebat reaedificationem.

Verum igitur argumentum Iudaeorum est, quod Deus civitatem et templum non derelinquet. Sed hoc facit alio modo, quam Iudaei cogitabant, qui ideo

ideo putabant, civitatem non esse vastandam, quia promissio sonabat: „Haec requies mea in seculum seculi". Permittit autem Deus vastationem, ut puniat peccata sui populi, et tamen ecclesiam curat ac tegit, cum per regem Cyrum reducuntur pii, et templum denuo exstruunt.

Ad hunc modum in principio creationis dominium orbis terrarum homini datum est. Id hic in diluvio tollitur, non in perpetuum, sed ad tempus, et tamen non tollitur in totum. Etsi enim maxima pars mundi perit, tamen homo manet dominus rerum, et servatur illud dominium homini, si non in tanta multitudine, quantam putabat et volebat mundus, tamen in paucis personis, hoc est, in octo animabus, id quod mundus non putabat.

Non igitur promissio Dei mentita est; servavit Deus, quod promisit, sed non servavit eo modo, quo mundus servari volebat. Nam peccatores perdidit, justos autem servavit, quamvis pauci essent, et instar seminis, quod tamen postea Deus varie multiplicavit.

Hoc judicium Dei Papistae intueri debebant. Docet enim, quod Deus non multitudinem, non potentiam, non denique suam promissionem se impedire sinit, quo minus peccata puniat in impoenitentibus. Alioqui etiam primo mundo et Patriarcharum posteritati Deus parsurus erat, cui dominium terrae concesserat. Nunc perdit omnes, et tantum octo animas servat.

Quid igitur mirum est, si idem cum Papistis faciat? qui, etsi jactant praescriptionem, dignitatem, multitudinem, potentiam, tamen, quoniam verbum Dei conculcant et persequuntur, abjiciet eos Deus,

et deliget sibi aliam ecclesiam, quae humiliter se verbo submittat, et obviis ulnis beneficia Christi excipiat, quae Papae ecclesia superbe, fiducia proprii meriti, contemnit.

Non igitur confidendum est in res praesentes et possessas, etiam divino verbo promissas. In ipsum autem verbum respiciendum, et eo solo nitendum est. Qui hoc non faciunt, sed discedunt a verbo, et praesentibus rebus nituntur, hi etsi multi, magni, potentes sunt, tamen hanc defectionem a fide non ferent impune. Sicut diluvium ostendit, sicut ostendit captivitas Iudaeorum, et hodierna eorum calamitas: item septem millia virorum in regno Israel.

Haec satis fortis instantia est, quod multitudo non constituat ecclesiam. Neque etiam id spectandum est, quam sancta sit origo, qui majores, quae res possessae et a Deo traditae sint. In solum verbum respiciendum, et ex eo judicandum est. Qui enim id amplectuntur vere, hi sunt, qui sicut mons Zion non commovebuntur*) in aeternum, etsi numero paucissimi, et coram mundo contemtissimi sint, sicut Noah cum suis liberis fuit, per quos, etsi paucissimi essent; Deus conservavit homini illam veritatem de promisso dominio, etsi ne vestigium quidem pedis in terra haberet.

Adversarii nostri hoc argumentum valde urgent, quia, omisso verbo, tantum in numerum, speciem et personas spectant. Praedixerunt autem Apostoli, Antichristum fore inspectorem personarum, qui haereat in multitudine et antiquitate, qui oderit verbum, et promissiones Dei depravet, et occidat haerentes in verbo. Tales num judicabimus ecclesiam esse?

---

*) Edit. princ. commonebuntur.

Ecclesia enim est filia, nata ex verbo, non est mater verbi. Qui igitur verbum amittit, et ruit in acceptionem personarum, desinit ecclesia esse, et excaecatur, nec sublevat eum vel multitudo, vel potentia, sicut e contra, qui verbum retinent, sicut Noah cum suis, hi sunt ecclesia, etsi numero paucissimi sint, et octo tantum animae. Sic hodie praevalent nobis multitudine, et praecedunt nos dignitate Papistae: nos autem non tantum maledicimur, sed etiam patimur varie. Hoc ferendum est, donec judicium veniat, quo revelabit Deus, nos suam ecclesiam esse, Papistas autem esse ecclesiam Satanae.

Retinenda itaque hic regula est, quae est 1. Samuel 16, (v. 7.), ubi Dominus ad Samuelem dicit: „Ne respicias speciem ejus, neque altitudinem staturae ejus, quoniam rejeci eum. Nec enim, sicut homo videt, ego video. Homo enim videt ea, quae sunt ob oculos; Dominus autem intuetur cor".

Sic nos non curemus, quam magnus et potens Papa sit, qui jactat, se esse ecclesiam, praedicat successionem Apostolorum, et majestatem personalem. In verbum respiciamus; id si amplectitur, judicemus eum ecclesiam. Si autem persequitur, judicemus, esse Satanae mancipium.

Hoc est, quod Paulus dicit, 1. Cor. 2, (v. 13.), quod spiritualis omnia dijudicat. Si enim solus essem in toto orbe terrarum, qui retinerem verbum, solus essem ecclesia, et recte judicarem de reliquo toto mundo, quod non esset ecclesia. Etsi enim rem, seu officium habent, tamen habent sine verbo, et vere nihil habent. Contra nos, qui verbum habemus, etsi nihil rem habemus, tamen per verbum habemus omnia. Aut igitur accedant ad nos Papa, Cardina-

les et Episcopi, aut desinant jactare, quod sint ecclesia, quae sine verbo esse non potest, si quidem per solum verbum generatur.

Oneramur magna invidia, quod dicimur discessisse a veteri ecclesia; contra Papistae gloriantur, quod permanserint cum ecclesia, et ecclesiae judicio omnia velint permittere. Sed falso accusamur. Si enim verum profiteri volumus, discessimus a verbo, cum adhuc essemus in ipsorum ecclesia, nunc vero reversi sumus ad verbum, et desiimus esse apostatae verbi.

Etsi igitur titulo ecclesiae suo judicio nos privant, tamen retinemus verbum, et per verbum omnia ornamenta verae ecclesiae. Qui enim omnium creatorem habet, etiam ipsas creaturas habeat necesse est. Ad hunc modum Noah manet dominus orbis terrarum, etiamsi aquae praevaleant, et terra pereat. Etsi enim rem amittit, tamen, quia verbum retinet, quo omnia creata sunt, recte omnia retinere dicitur.

OCTAVUM CAPUT GENESIS.

Recordatus est autem Dominus Noah cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quae erant in arca cum eo.

Finita illa horribili ira, et deleta universa carne cum terra, incipit jam impleri illa promissio, quam supra ipsi Noah et ejus filiis Dominus fecit, ut essent futurum semen generis humani. Non au-

tem dubium est, quin valde anxie hanc promissionem expectarint. Nulla enim difficilior vita est, quam quae in fide vivitur, sicut Noah et filii ejus vixerunt, quos simpliciter a coelo pendere videmus; si quidem terra aquis tecta erat, nec habebant fundum, quo niterentur; solum verbum promissionis erat, quod fluctuantes in tanta mole aquarum sustinebat.

Caro cum extra periculum est, existimat, fidem vilem admodum rem esse, sicut etiam Papistarum disputationes ostendunt. Igitur deligit speciosa et laboriosa opera, in his sudat. Sed tu hic respice ad Noah, septum undique, et tantum non oppressum aquis; hunc non opera, sed sola fiducia misericordiae Dei, ad quam verbum promissionis eum vocabat, conservat.

Hanc difficultatem Moses obscure significat in verbo: „Recordatus est Dominus". Ostendit enim, Noah sic jactatum tam longo tempore in aquis, ut videretur Deus ejus plane oblitus. In tali paroxysmo cogitationum (cum radii divinae gratiae submoti sunt, et in tenebris, seu oblivione Dei versamur) qui vivunt, hi experiuntur, longe plus difficultatis esse vivere in solo verbo seu fide, quam esse Eremitam aut Carthusianum Monachum.

Non igitur otiosum verbum est, quod Spiritus sanctus dicit, Deum recordatum Noah. Significat enim, quod a die, quo Noah arcam est ingressus, nihil ei dictum, nihil revelatum sit, quod nullum radium gratiae viderit lucere, sed haeserit tantum in promissione, quam acceperat, furentibus interim aquis et fluctibus, tanquam in certa oblivione Dei. Idem periculum liberi, idem jumenta et alia animalia omnis generis sustinebant per totos centum et

quinquaginta dies in arca. Etsi autem, superante Spiritu, sanctum semen pericula illa vicit, tamen non vicit sine molestia carnis, sine lacrymis et ingenti pavore; quem etiam bruta animalia sensisse existimo.

Geminum igitur malum fuit, quo pressi sunt. Nam universalis illa inundatio, quae totum humanum genus hausit, non potuit sine ingenti dolore piorum abire, praesertim cum ad tantam paucitatem se viderent redactos.

Deinde grave fuit, toto fere semestri in aquis sine consolatione Dei jactari. Non enim extenuandum est, quod Moses dicit, recordatum Dominum Noah; quasi grammatica ea figura sit, qua significatur, Deum se habuisse in modum ejus, qui oblitus sit ipsius Noah, cum tamen revera Deus non possit oblivisci sanctorum. Nam ita vivere, ut sentias, Deum tui oblitum, hoc grammaticus, quid sit, non intelligit: perfectissimi sancti sunt, qui ista intelligunt, et Deum obliviosum, ut sic dicam, ferre in fide possunt. Ideo talium querelarum Psalmi et tota Biblia plena sunt, ubi exhortantur Deum, ut exsurgat, ut aperiat oculos, ut audiat, ut evigilet.

Ac paulo exercitatiores Monachi hanc tentationem aliquando experti sunt; vocarunt enim suspensionem gratiae. Nam etiam in levibus tentationibus sentiri potest. Illa enim flamma libidinis, quae in adolescentibus est, nisi verbo Dei et Spiritu sancto mitigetur, plane intolerabilis est. Sic in virili aetate impatientia et vindictae cupiditas, si Deus eam non eximat animis, superari nullo modo potest. Quanto proclive magis est in gravioribus tentationibus inci-

dere in istas tenebras desperationis, aut in laqueos praedestinationis, cum suspensio gratiae sentitur?

Non igitur praetereunda ista phrasis fuit, tanquam mere grammatica, sicut Rabini existimant; sed ad affectum respiciendum est, qui illum inenarrabilem gemitum cordis ostendit, ubi in ipso sensu desperationis tamen reliqua fidei scintilla est, et carnem vincit. Sicut igitur Paulus de angelo Satanae conqueritur, ita putabimus, ipsum Noah quoque similes stimulos in corde sensisse, ac secum saepe disputasse: Num putas, te solum sic a Deo diligi? Num putas, te servatum iri ad extremum, cum nullus sit aquarum modus, et illae ingentes nubes nunquam videantur posse exhauriri?

Porro hae cogitationes cum etiam mulierculaturum animos infirmos subierunt, quas ibi putamus fuisse vociferationes, querelas, lacrymas? Itaque oppressus paene tristitia et moerore Noah, illas tamen erigere et consolari paene contra suum cor coactus est.

Non igitur ludus nec jocus fuit, tam longo tempore conclusos in arca vivere, videre imbrium infinitas moles, jactari fluctibus et natare. Fuit hic sensus obliviosi Dei, sicut Moses ostendit, cum dicit, Dominum tandem recordatum ipsius Noah, et filiorum ejus. Etsi autem fide hunc sensum superarunt, tamen non superarunt sine ingenti molestia carnis, sicut juvenis, qui caste vivit, vincit quidem libidinem, sed profecto non sine summa molestia et labore. Quia autem hic majus periculum fuit, ubi omnes circumstantiae coegerunt, ut disputarent, num Deus propitius esse, et eorum recordari vellet: ideo, etsi vicerunt has difficultates, tamen non vicerunt sine

horribili molestia. Caro enim per se infirma nihil minus potest ferre, quam Deum, qui non recordatur nostri, sed oblitus est. Si enim natura tales sumus, ut, cum Deus nostri recordatur, cum successum dat, et favet nobis; inflemur et insolescamus, quid mirum est, cum Deus nos abjecisse videtur, et omnia adversa accidunt, ut frangamur animis, et desperemus?

Meminerimus igitur, nobis in hac historia proponi exemplum fidei, perseverantiae et patientiae, ut, qui promissionem divinam habent, non solum ei credere discant, sed etiam perseverantia sibi opus esse existiment. Perseverantia autem non constat sine magna pugna, et vocat nos ad eam Christus in novo testamento, cum dicit: „Qui ad finem usque perseveraverit, salvus erit" (Matth. 24, 13.).

Atque haec causa est, cur Deus ad tempus quasi abscondat se, ut nostri videatur oblitus esse, suspendendo scilicet gratiam, ut loquuntur in scholis. Sicut autem in hac tentatione non solum spiritus, sed caro etiam affligitur: ita postea, cum iterum meminisse nostri incipit, etiam in carne sensus gratiae est, qui tempore tentationis in spiritu tantum, et quidem infirmissimus erat.

Ergo verbum „recordatus" significat, magnam tristitiam in hominibus et animalibus fuisse toto illo tempore diluvii. Necesse igitur est, magnam patientiam, et insignem fortitudinem fuisse, qua Noah et alii tulerunt illam oblivionem Dei, quae carni sine spiritu simpliciter intolerabilis est, sicut etiam aliae quantumvis leves tentationes. Etsi autem verum est, quod Deus semper recordatur suorum, etiam cum eos deseruisse videtur, tamen Moses hic significat,

recordatum fuisse suorum etiam quoad sensum, hoc est, signo et manifesta ostensione ejus, quod antea in verbo et Spiritu promiserat. Hic principalis totius hujus capitis locus est.

Et adduxit Dominus spiritum super terram, et quieverunt aquae, et clausi sunt fontes abyssi, et cataractae coeli, et prohibitae sunt pluviae de coelo. Reversaeque sunt aquae de terra, euntes et redeuntes, et decreverunt post centum et quinquaginta dies.

Supra dixit Moses, tres fuisse modos, quo diluvium grassatum est. Nam et fontes abyssi rupti, et fenestrae coeli apertae sunt, et descendit etiam pluvia. Haec ubi desierunt centesimo et quinquagesimo die, rediit tranquillitas et memoria Dei, et recreatus est Noah, filii et uxores eorum cum animantibus post tantos et tam diuturnos pavores. Si enim bidui tempestas in desperationem navigantes adducit, quanto difficilius fuit, illam semestrem jactationem perferre?

Porro hic movetur quaestio, quomodo super terram sit adductus ventus, quae tota adhuc aquis tecta fuit? Nam illud non novum est, quod venti exsiccant, maxime orientales, quos nostri vocant holewind, Virgilius autem urentes vocat a siccitate, quam terrae inducunt, quorum Hoseas quoque meminit Cap. 13. (v. 15.).

Sed facilis responsio est. Dicit enim, ventum adductum super terram, hoc est, super aquae superficiem tantisper, donec aquae exsiccatae terram iterum ostenderent hominibus, sicut in Exodo mare rubrum

vento urenti exsiccatum dicitur. Etsi enim sine vento idem potuit Dominus, tamen libenter utitur mediis ad certum usum conditis.

Hactenus igitur in tenebris vixit Noah, nec aliud vidit, quam magna mole horribiliter ruentes et grassantes aquas. Nunc iterum ostenditur amabile solis lumen, nec temere ab omnibus partibus circumsonant venti; unus orientalis, ad minuendas aquas idoneus, spirat, et paulatim absumit aquas stagnantes. Accedunt alia media, quod Oceanus non amplius inundat in terram, sed aquas, quas evomuerat, resorbet, cataractae coeli quoque clauduntur.

Haec sunt externa et palpabilia signa, quibus Deus consolatur ipsum Noah, significans ei, quod non plane oblitus sit, sed recordetur ejus. Est autem haec utilis et necessaria doctrina, ut nos quoque in periculis constituti, exspectemus certo auxilium Dei, qui nos non deseret, si in fide permanserimus, et exspectaverimus promissionem Dei.

Requievitque arca mense septimo, decimo septimo die mensis, super montes Ararat.

Quadraginta diebus creverunt aquae, donec arca elevaretur super terram. Postea diebus centum quinquaginta innatavit aquis, fluctibus et ventis agitata in oblivione Dei; tandem coeperunt imminui aquae, et arca requievit. Hic Iudaei de numero mensium disputant. Sed cur in non necessariis rebus haereremus *) longius? praesertim cum, quae Rabini afferunt, parum erudita sint.

Illud magis necessarium est, ut, qui sint montes

*) Fort. haeremus

Ararat, inquiramus. Est autem communis sententia omnium fere, quod sint montes Armeniae, propter maximos montes Asiae minoris, Caucasum et Taurum. Sed mihi verisimilius videtur, significari principem omnium montium, Imaum, qui dividit Indiam. Ad hunc enim alii magni montes comparati sunt quasi verrucae. Nam quod arca in summo monte quieverit, argumento est, quod tribus totis mensibus fere decreverunt aquae, donec inferiores montes detegerentur, ut sunt Libanus, Taurus, Caucasus, qui Imai tanquam pedes aut radices sunt, sicut Alpium quasi brachia sunt montes Graeciae, et pertingunt usque ad nostram Herciniam silvam. Mirabilis enim montium quasi propago apparet diligenter eos consideranti.

Iosephus de montibus Armeniae satis mirabilia scribit, et meminit, reliquias arcae suo tempore ibi inventas; sed nemo opinor me ideo Haereticum judicabit, si de ejus fide alicubi dubitem.

At vero aquae ibant et decrescebant usque ad decimum mensem; decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.

Supra dixit, aquas septimo mense sic imminutas, ut arca quiesceret in montibus Ararat. Postea tertio mense coeperunt aperiri cacumina minorum montium, ut Noah ex montibus Ararat, tanquam ex specula, etiam reliquorum montium capita videret, Tauri in Asia, Libani in Syria etc. Haec omnia fuerunt signa recordationis divinae.

Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noah fenestram arcae, quam fecerat, dimisit corvum, qui egrediebatur et revertebatur, donec siccarentur aquae super terram.

Haec sunt historica. Allegoriam autem servabimus suo loco. Porro peperit hoc in loco quaestionem negligentia interpretis. Non enim in Ebraeo est, corvum non rediisse, sicut Hieronymus vertit; ideo nihil fuit opus fingere etiam causam, cur non reversus sit, quod scilicet invenerit omnia plena cadaveribus; itaque in leto et abundanti pastu fingunt eum non rediisse.

Moses contrarium dicit, nempe emissum corvum reversum esse, quanquam non passus sit, se apprehendi, et iterum concludi in arcam, sicut columba. Itaque ostendit Moses, Noah eo consilio dimisisse corvum, ut per eum intelligeret, num animalia possint jam figere pedem, et pastum habere. Sed corvus non est diligenter functus legatione hac, sed quasi exsultans, quod liberatus esset ex carcere arcae, avolat et revolat, gaudens libero coelo, et ipsum Noah jam contemnens.

Iudaei vero sicut porci ubique ostendunt impuros animos. Fingunt enim, corvum metuisse femellae, et habuisse suspectum de ea ipsum Noah. O impuros animos!

Emisit quoque columbam post eum, ut videret, si jam cessassent aquae super faciem terrae; quae cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum

in arcam. Aquae enim erant super faciem universae terrae. Extenditque manum suam, et apprehensam intulit in arcam.

Postquam Noah sua spe frustratur per corvum, qui petulanter circumvolat, nullum autem signum affert de conditione terrae, apprehendit columbam: eam putat rectius legatione hac functuram esse. Quanquam textus paene in eam sententiam nos cogit, ut statuamus, illas duas aves simul emissas eodem tempore, ut haberet Noah duos testes, ex quibus disceret, quod volebat. Sed corvus gaudens libero coelo, etsi circum arcam volitat, tamen in arcam redire non vult. Columba autem, refugiens cadavera et impura loca, redit, et se apprehendi sinit. Haec, sicut audiemus, concinnam allegoriam de ecclesia suppeditabunt.

Exspectans autem ultra septem diebus aliis, rursum emisit columbam ex arca. At illa venit ad eum vesperi, portans folium oleae decerptum in ore suo. Intellexit ergo Noah, quod cessassent aquae super terram, exspectavitque nihilo minus septem alios dies, et emisit columbam, quae non est reversa.

Columba est fidelis nuntia, ideo denuo mittitur. Ac Moses diligenter describit, quomodo successive decreverint aquae, donec tandem superficies terrae una cum arboribus aquis nudata est. Quod igitur columba affert folium oleae, id non putabimus, columbam ex sua industria fecisse, sed sic instruente Deo, qui paulatim clarius ipsi Noah voluit ostende-

re, quod retineat ejus memoriam, necdum plane ejus sit oblitus. Itaque folium hoc oleae ipsi Noah et reliquis in arcam, tanquam in carcerem, conclusis singulare signum fuit, quo erigerentur, et certam spem futurae liberationis conciperent.

Hic acriter disputant Iudaei, ubi columba oleam hanc invenerit. Ac alii, ut statuant singularem gloriam patriae, nugantur, ex monte oliveti in terra Israel desumtam, cui Deus pepercerat, ne periret diluvio, sicut reliqua terra. Sed saniores Iudaei recte nugas has confutant, cum arguunt, hoc si verum esset, non potuisse hanc olivam esse signum, ex quo Noah intelligeret, aquas decrevisse. Alii fabulantur, columbam intromissam in Paradisum, et inde attulisse frondem oleae. Sed supra aliquoties dixi meam de Paradiso sententiam, et indignae sunt hae nugae, quas refutemus diligentius.

Hoc igitur utilius est admonere, quod omnia haec miraculose et supernaturaliter sint gesta. Non enim columba tantum habet industriae, ut ramum decerpat, et eum ad arcam afferat, ut ex ea judicium faciat Noah de diminutione aquarum. Ordinatione divina haec gesta sunt; nam etiam aliae arbores tum habuerunt folia, praesertim quae proceriores sunt, et citius emerserunt ex aquis. Olea autem collatione reliquarum arborum brevis est; itaque apta ad id fuit, ut Noah decrementum aquarum intelligeret, et syllogismo practico concluderet, cessasse jam Dei iram, et rediisse terram ad suum statum, in quo ante diluvium fuerat. Id autem certius cognoscit, ubi tertio columba emissa non rediit; habuit enim non solum

pastum in terra, sed etiam potuit nidos figere, et inambulare in terra.

Igitur, sexcentesimo primo anno vitae Noah, primo mense, prima die mensis, desiccatae sunt aquae super terram. Et aperiens Noah tectum arcae, adspexit, viditque, quod exsiccata esset superficies terrae. Mense secundo, et die mensis vigesima septima arefacta est terra.

Hic videmus, quod Noah integro anno fuerit in arca et decem diebus. Nam secundo mense, die septima decima arcam ingressus, et circumacto anno, eodem mense, die autem vicesima septima arcam egressus est. Ergo amplius, quam toto semestri miser Noah cum liberis et mulierculis in arca, in summa tristitia et oblivione Dei vixit. Post paulatim aliis atque aliis signis ostendit ei Deus, quod non sit ejus oblitus, donec tandem circumacto anno et decem diebus iterum constituitur dominus terrae et maris. Nam hoc die secundi mensis terra non solum diluvio liberata, sed etiam arefacta est.

Haec est historia diluvii, et quomodo aquae iterum decreverint. Post hanc horribilem iram sequitur lux gratiae immensa, sicut ostendet concio ab ipso Deo ad Noah habita, quae jam sequitur.

Locutus est autem Dominus ad Noah, dicens: Egredere de arca tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum, cuncta animantia, quae apud te sunt ex omni carne, tam in volatilibus, quam in

bestiis et universis reptilibus, quae reptant super terram; educ tecum, et ingredimini super terram.

Hactenus tantum narratio rei fuit, seu descriptio operis divini. Quanquam autem opera Dei non muta sunt, sed loquuntur nobis, et quasi oculis exponunt voluntatem Dei spectandam, tamen multo fortius consolatur nos Deus, cum suis operibus etiam verbum vocale adjungit, quod non oculi vident, sed aures accipiunt, et cor ex motu Spiritus sancti intelligit.

Sicut igitur hactenus opere suo ostendit Deus, se placatum esse, et quasi mutatum ex irato Deo in misericordem, si quidem aquas reprimit, et terram siccat: ita nunc pergit hanc consolationem roborare verbo suo, et amice compellat ipsum Noah, ac jubet, ut egrediatur arcam cum reliquis hominibus et animantibus.

Atque hic locus est, quem in nostra doctrina crebro, et non sine causa urgemus, ut statuamus, non licere nobis quicquam instituere aut facere, praesertim coram Deo et in cultibus Dei, nisi praeeunte et jubente verbo. Sic supra Noah arcam ingressus est, cum juberetur a Deo ingredi: sic jam arcam egreditur, cum juberetur a Deo egredi. Non sequitur superstitiosas cogitationes, quales in Iudaeis videmus; hi semel jussi, ut temporale aliquid instituant, id in aeternum volunt retinere, tanquam ad salutem necessarium.

Ad hunc modum cogitare potuit Noah: Ecce mandato Domini arcam fabricatus sum, sum in ea servatus pereuntibus omnibus hominibus: manebo igitur in ea, aut habebo eam pro templo et loco cul-

tus

tus Dei; est enim sanctificata verbo Dei, et per inhabitationem sanctorum, seu ecclesias. Sed horum nihil facit pius vir, quia verbum jubebat, ut egrederetur. Obsequitur igitur, et cum jam functa tempore diluvii officio suo arca esset, relinquit eam, et sibi ac liberis suis terram habitandam esse judicat.

Ad hunc modum nos quoque nihil instituamus sine verbo Dei, sed incedamus in sancta vocatione, hoc est, quae verbum et mandatum Dei habet. Nam qui sine mandato Dei aliquid instituit, in vanum laborat.

Hic opponi potest exemplum Noah, quod paulo post sequitur, qui sine mandato Dei erigit altare, et in eo offert holocaustum Domino de animalibus mundis. Si igitur ipsi Noah hoc licuit, cur nobis quoque non liceat eligere certos cultus? Ac sane Papatus sine modo cumulavit opera et cultus in ecclesia pro arbitrio. Sed retinenda est sententia, quae Catholicum theorema est, quod, quicquid ex fide non fit, peccatum est (Rom. 14, 23.). Fides autem a verbo separari non potest, ergo, quicquid sine verbo fit, peccatum est.

Deinde manifestum in eo periculum est, si velis facta Patrum trahere in exemplum. Sicut enim personae, ita etiam officia sunt differentia, et pro diversitate vocationis diversa opera requirit Deus. Ideo epistola ad Ebraeos erudite refert diversa facta Patrum in unum fidem, ut ostendat, non opera, sed fidem Patrum imitandam esse singulis in sua vocatione. (Ebrae. 11.)

Igitur singularia illa sanctorum Patrum opera neutiquam in exemplum trahenda sunt, ut ea quisque putet sibi imitanda esse, sicut Monachi imitan-

tur jejunia Benedicti, vestem Francisci, calceos Dominici etc. Hoc enim est simias facere, quae imitantur gestus, sed sine mente: sic hi simulant opera, sed fidem nesciunt.

Abraham jubetur mactare filium. Id exemplum postea cum summa impietate sibi sequendum esse posteri duxerunt, et repleverunt terram innocenti sanguine. Sic serpentem aeneum adoravit posteritas, et immolavit coram eo. Utrique se exemplo majorum tueri voluerunt, sed quia sine verbo hos cultus instituerunt, juste damnati sunt.

Meminerimus igitur, ne quid instituamus sine mandato Dei. Quia enim officia diversa sunt, non possunt, nec debent singulorum eadem esse opera. Quam esset absurdum, si clamarem, mihi Caesaris exemplum sequendum, et reliquis a me leges praescribi debere? Quam esset impium, si contenderem, mihi judicis exemplum sequendum esse, et addicerem aliquos cruci, aut gladio? Non igitur in opera, sed in fidem singulorum respiciendum est. Est enim una generalis fides omnium sanctorum, cum opera sint diversissima.

Sic si Noah aedificavit altare, cave putes, tibi idem licere; fidem autem Noah imitare, qui judicavit dignum, ut tam clementi servatori ostenderet, se intelligere beneficia ejus, et pro iis gratum esse. Sic imitare Abrahamum non in eo, ut mactes filium, sed ut promissis Dei credas, et pareas mandatis ejus. Sicut hoc consilio epistola ad Ebraeos erudite exempla, seu facta Patrum ad fidem refert, ac eam nobis quoque imitandam esse ostendit.

Potest autem etiam hoc modo responderi ad hanc objectionem, quod Noah mandatum habuit de

exstruendo altari et offerendis hostiis. Nam hunc ritum sacrificandi approbavit Deus in eo, quod munda animalia, quae sacrificiis apta erant, jussit majore numero inferri in arcam. Nec licuit ipsi Noah sacerdotii munus abjicere, quod in priori mundo approbatum, per primogeniturae jus ad ipsum devenerat. Fuerunt enim sacerdotes Adam, Seth, Enos et alii. Ab his in ipsum Noah sacerdotis officium quasi derivatum est.

Non igitur habuit Noah libertatem tantum sacrificandi, tanquam sacerdos et propheta, sed etiam necessitatem, et ex vocatione fecit, quod fecit. Quia autem vocatio non est sine verbo, ergo secundum verbum, et mandante Deo altare exstruxit, et sacrificavit. Afferat igitur Monachus officium et vocationem, ut possit induere cucullum, ut possit invocare beatam Virginem, orare Rosarium, et similia facere: et laudabimus ejus vitam. Quia autem vocatio nulla est, quia non praecedit verbum, quia deest officium, recte damnantur et vita et opera omnia omnium Monachorum.

Ultimo, ut omnia alia desint, tamen hoc argumentum a posteriori restat, quod Deus approbat factum Noah. Quanquam autem ratio a posteriori non ita firma sit, tamen est aliquid in talibus heroicis et singularibus viris, qui, etsi videntur facere, de quibus mandatum nullum habent, tamen non abjiciuntur a Deo, sed approbantur. Ac sunt certi suo spiritu, quod non peccent, quanquam id non prius apparet, quam cum postea accedit approbatio. Talia exempla multa sunt, et videmus, Deum quaedam gentium facta approbasse.

Maneat ergo illa sententia firma, quod omnia

sint facienda secundum praeceptum Dei, ut possimus certo in conscientia statuere, quod a Deo jussi haec faciamus. In tali igitur statu vocationis, qui Deo placet, qui currunt, non currunt in vacuum, nec verberant aërem, sicut illi, qui non habent stadium, in quo decurrere jussi sunt. Itaque etiam brabeum nullum sperare possunt. 1. Corinth. 9, (v. 24.).

Sed redeo ad textum. Iubetur Noah et liberi cum uxoribus arca egredi, et educere animalia omnis generis in terram, ut scilicet omnia ejus opera sanctificarentur et comprehenderentur verbo. Ac de animalibus diserte jam additur:

Crescite et multiplicamini super eam. Egressus est ergo Noah et filii ejus cum eo, sed et omnia animantia et reptilia, quae reptant super terram, et volucria. Et egressa sunt de arca singula juxta familias suas.

Quia in nono capite Dominus de propagatione Noah et filiorum ejus loquitur, ideo sentio, Dominum hic tantum loqui de animantium brutorum propagatione. Lyra inepte hoc loco ex forma orationis colligit, tempore diluvii prohibitum concubitum, et jam ab egressione arcae iterum laxatum, seu concessum, si quidem dicit: „Egredere tu et uxor tua". Tales Monachorum cogitationes sunt, non Dei, qui non libidinem, sed propagationem spectat; ea enim est Dei creatura, libido est venenum Satanae per peccatum in naturam infusum.

Est autem Moses hic satis verbosus, ut hoc modo ostendat et pingat animos quasi ebrios gaudio,

postquam ex isto carcere arcae in terram ubique patentem redire jussi sunt. Retinet autem hic alium ordinem in recensendis animalium generibus, et distinguit eas quasi in familias, ut videas, Deum tantum spectare propagationem. Fuit autem sine dubio hoc jucundissimum spectaculum, quod omnes bestiae extra arcam positae, singulae suum socium animal agnoverunt, et postea in consuetum locum se receperunt, lupi, ursi, leones ad silvas et nemora, oves, caprae, porci ad campos, canes, gallinae, feles ad hominem.

Aedificavit autem Noah altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.

Hic manifestus textus est, qui ostendit, Mosen non primum instituisse sacrificia, sed tanquam rhapsodum congessisse, et deinde in ordinem redegisse a Patribus usurpata ac quasi per manus tradita. Sicut etiam lex circumcisionis non a Mose primum scripta, sed a Patribus accepta est.

Supra (4. v. 4. 5.) cum sacrificii Habel et Cain mentionem faceret, dat ei sacrificio nomen, quod fuerit מִנְחָה, seu oblatio: hic autem prima holocausti mentio est, quod totum incendebatur. Hoc, inquam, manifestum argumentum est, quod etiam ante Mosen lex sacrificiorum extiterit. Moses autem hoc fecit, ut istos ritus a Patribus observatos redigeret in ordinem.

Et odoratus est Dominus odorem suavitatis.

Hic significatur, quod sacrificium Noah approbaverit Dominus, quod tanquam sacerdos ex officio, ad exemplum sanctorum Patrum obtulerat.

Diligenter autem notanda est differentia phrasis. Nam de oblatione supra dixit, Dominum ad eam respexisse. Hic dicit, Dominum odorem suavitatis odoratum esse, ac saepe posthac Moses tali phrasi utitur. Et sunt eam imitatae gentes quoque, sicut Lucianus ridet Iovem nidore carnium captum.

Significat autem verbum non proprie odorem suavitatis, sed odorem quietis. Nam נִיחֹחַ, quies, venit a verbo נוּחַ *) quo supra (v. 4.) Moses usus est, cum dixit, arcam quievisse super montes Ararat. Ergo odor quietis est, quod Deus tum quieverit ab ira, quod dimiserit iram, et placatus sit, et, sicut vulgo dicimus, quod bene contentus fuerit.

Hic objici potest, cur non dicit: Respexit Deus ad Noah et ad holocaustum ejus, sed simpliciter dicit: „Est odoratus Dominus odorem quietis", quod profecto scandalose sonat, si quidem non personam laudat ob fidem, sed simpliciter ipsum opus? Respondetur autem fere in hanc sententiam, quod scriptura loquatur more humano de Deo; homines enim capiuntur suavitate odoris.

Sed mihi alia ratio hujus phrasis esse videtur, nempe quod Deus tam prope affuerit, ut odorem senserit. Vult enim significare Moses, Deo gratum fuisse hoc sacrum. Salomon dicit: „Odor suavis delectat animam" (Prov. 27, 9.). Ac medici non nunquam exanimes suavitate odorum revocant, sicut e

*) Edit. princ. Noah.

contra horribilis foetor vehementer offendit naturam, ac prosternit saepe.

Ad hunc modum dici potest, Deum horribili foetore impietatis offensum, nunc quasi recreari, cum videt, hunc unicum sacerdotem se accingere ad facienda sacra, ut specimen aliquod gratitudinis exhibeat, et publico opere ostendat, se non esse impium, sed habere et revereri Deum; huc enim proprie sacrificia pertinebant etc.

Sicut igitur hactenus delectatus fuit perdendo genus humanum, ita nunc delectatur, et gaudet id iterum augendo; propter nos igitur tali phrasi utitur Moses, ut apprehendamus gratiam, et discamus, Deum talem esse, qui gaudeat nobis benefacere.

Et dixit Dominus in corde suo.

Significat Moses, non perfunctorie, nec superficialiter haec a Domino dicta, sed ex intimis visceribus. Nam in Ebraeo sic sonat, quod Deus ad cor suum locutus sit.

Nequaquam ultra maledicam terrae propter hominem.

Loquitur Deus, ac si eum poeniteat poenae inflictae terrae propter hominem, sicut supra creationis, et reprehendat, quod ita saevierit in hominem.

Porro hoc non est eo modo accipiendum, quasi in Deum mutatio voluntatis possit cadere; sed ad consolationem nostram haec pertinent. Ideo enim accusat et reprehendit se, ut pusillum gregem excitet, ut certo statuat, Deum velle posthac propitium esse.

Hac consolatione admodum opus habebant ani-

mi, magnitudine irae Dei, quam grassantem viderant, territi. Quia enim fides non potuit non labefactari tantae irae consideratione, cogitur quasi Deus gestus et verba sic instituere, ut nihil, nisi gratiam et misericordiam animi exspectent. Ideo nunc loquitur cum eis, adest sacris ipsorum, significat, se illis delectari, reprehendit consilium suum, et promittit, se nihil unquam tale facturum. In summa, nunc incipit alius esse Deus, quam hactenus fuerat: non quod Deus mutetur, sed quod homines mutari cupit, jam quasi absorptos in illis irae cogitationibus.

At qui experti sunt tentationes spirituales, hi norunt, quam necessarium sit, certas et firmas consolationes animis subjicere; quibus tandem revocentur ad spem gratiae, et irae obliviscantur. Saepe non dies unus, saepe non mensis unus ad eam rem satis est: sed, sicut morborum decrementa longum tempus postulant, ita haec animorum vulnera non statim, nec uno verbo sanantur. Hoc cum Deus videat, varie conatur territos animos revocare ad certam spem gratiae; etiam se ipsum reprehendit loquendo ad cor suum, sicut Ierem. 18, (v. 8.), ubi promittit, se acturum poenitentiam de malo, quod cogitavit, si ipsi quoque poeniteant.

Porro notandum est, quod dicit: „Non ultra maledicam terrae“; loquitur enim de universali perditione terrae, non de particulari, cum agros, urbes, regna perdit. Hac enim utitur ad admonendos alios, sicut Maria dicit: „Quod deponit potentes de sede“. (Luc. 1, 52.)

Quoniam figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua.

Hic est insignis locus de peccato originali; quod qui extenuant, hi profecto, sicut caeci in sole, errant, et quae quotidie agunt et experiuntur, non vident. Nam incunabula nostra inspice, quam varie in prima aetate se prodit peccatum? Quanta mole virgarum opus est, dum quasi in ordinem redigimur, et retinemur in officio?

Huic aetati succedit adolescentia. Ibi major rebellio sentitur, et accedit indomitum malum, furor libidinis et concupiscentia. Si uxorem ducas, sequitur fastidium tuae, et furor in alienas; si reipublicae gubernatio commendatur, ibi demum uberrima vitiorum seges est, aemulatio, ambitio, insolentia, spes lucri, avaritia, ira, indignatio etc.

Itaque, sicut Germani proverbio dicunt, una cum annis etiam peccata crescunt: Ie laenger, je aerger, je aelter, je kaerger. Atque haec omnia ejusmodi vitia sunt, tam crassa et pinguia, ut judicari possint et intelligi. Quid dicemus de interioribus, quod crescit incredulitas, securitas, neglectus verbi, impiae opiniones?

Et tamen insignes theologi habentur et haberi volunt, qui peccatum originis sophistice extenuant. Profecto haec tot et tanta vitia non possunt extenuari. Non enim levis hic morbus seu defectus est, sed extrema ἀταξία, cujus simile tota reliqua creatura, exceptis daemonibus, non habet.

Sed habentne isti extenuatores testimonia scripturae, quibus nituntur? Mosen hic videamus. Is, sicut supra quoque in sexto capite admonuii, non li-

bidinem, non tyrannidem, non alia peccata vocat mala, sed figmentum cordis humani, hoc est, industriam, sapientiam, rationem humanam, cum omnibus viribus, quibus etiam in optimis actionibus ratio utitur. Nam etsi oeconomica et politica opera non damnamus, tamen ea ipsa bona opera vitiat cor humanum, cum iis utitur ad gloriam, utilitatem, tyrannidem, vel contra proximum, vel contra Deum.

Nec potest hic locus eludi, quod tales fuerint, qui perierunt diluvio. Generis vocabulo utitur Deus, et dicit, cor hominis tale esse. Erant autem tum homines non alii, quam qui in arca servati erant, et tamen dicit, figmentum cordis humani esse malum.

Ergo non excipiuntur hic ne sancti quidem. Nam in tertio filio Ham postea se figmentum hoc prodit, quale sit. Nec fuerunt alii fratres natura meliores: hoc tantum interest, quod alii per fidem seminis spem de remissione peccatorum retinent, et malo cordis figmento non indulgent, sed ei resistunt per Spiritum sanctum, qui ad hoc datur, ut pugnet contra hanc malitiam naturae, et eam vincat. Hanc naturam quia sequitur Ham, totus malus est, et etiam perit totus. Sem autem et Iapheth, quia spiritu contra eam pugnant, etsi etiam mali sunt, tamen non sunt toti mali; habent enim Spiritum sanctum, quo contra malum pugnant, et ideo sancti sunt.

Porro hic etiam inconstantiae videtur Deus accusari posse. Supra puniturus hominem causam consilii dicit, quia figmentum cordis humani malum est. Hic promissurus homini gratiam, quod posthac tali ira uti nolit, eandem causam allegat. Homini igitur

sapienti stulta haec videntur, et neutiquam convenire divinae sapientiae.

Sed ego sublimia libenter vito, et relinquo ea otiosis spiritibus. Itaque mihi satis est, quod haec dicuntur pro nostro affectu, ut scilicet Deus ostendat, se jam placatum esse, et non amplius irasci. Nam ita parentes quoque solent, postquam pro merito flagellarunt inobedientes liberos, tandem blanditiis eos iterum quasi conciliant sibi. Haec inconstantia non solum reprehendi non meretur, sed laudanda est. Prodest enim pueris, ne, dum virgam metuunt, etiam parentes odisse incipiant. Haec solutio mihi satis est: invitat enim nos ad fidem. Alii alia afferre possunt.

Diligenter itaque hic locus observandus est, qui aperte ostendit, naturam hominis corruptam esse. Haec enim corruptae naturae cognitio inprimis necessaria est; nec potest sine ea misericordia et gratia Dei recte intelligi. Itaque digni odio sophistae sunt, et non temere accusamus interpretem, qui huic errori occasionem dedit, dum vertit, cogitationem humani cordis non malam, sed ad malum pronam esse. Hac enim occasione depravant sophistae et eludunt locos Pauli, in quibus dicit, omnes esse filios irae (Ephes. 2, 3.), omnes peccare (Rom. 5, 12.), et sub peccato esse (Rom. 3, 9.). Sic enim ex hoc loco argumentantur: Moses non dicit, naturam esse malam, sed pronam ad malum. Haec sive proclivitas, seu inclinatio est in potestate liberi arbitrii, nec cogit hominem ad malum, seu, ut ipsorum verbo utar, non necessitat hominem.

Postea quaerunt causam hujus sententiae, et asserunt, in homine esse etiam post lapsum bonam

voluntatem et rectam rationem: nam naturalia mansisse integra, non in hominibus solum, sed etiam in Diabolo. Atque ad hanc sententiam detorquent tandem Aristotelis dictum, rationem deprecari ad optima.

Ac sunt harum opinionum semina etiam in Patribus, qui ex Psalmo quarto (v. 7.), ubi de lumine vultus Dei super nos signato loquitur, ponunt distinctionem portionis superioris, quae de Deo speculatur, et inferioris, quae exercetur in externis et politicis negotiis. Ac delectatur hac distinctione Augustinus quoque, sicut diximus supra, ubi de lapsu hominis disputavimus.

Sed si scintilla cognitionis Dei in homine mansisset integra, longe essemus alii, quam nunc sumus. Inaestimabilis igitur sophistarum caecitas est, qui manifestas Pauli sententias ita cavillantur. Nam si hunc ipsum locum, sicut in Latinis Bibliis habetur, recte aestimarent, et piam mentem afferrent, profecto desinerent patrocinari tam malae causae. Non enim exiguum aliquid dicit, qui sensus et cogitationem humani cordis ab adolescentia ad malum pronam esse dicit, praesertim cum supra sexto capite (v. 5.) dixerit Moses, cunctam cogitationem cordis intentam esse ad malum omni tempore, hoc est, studere malo, et esse in intentione, studio et conatu ad malum. Sicut adulter, cum ardet cupiditate, etsi occasio, locus, persona, tempus eum destituunt, tamen nihilo minus agitatur aestibus libidinis, nec potest cogitationibus suis in aliam rem incumbere. Talem naturam dicit Moses esse omni tempore ad malum. Num igitur naturalia sunt integra, si quidem ad malum homo semper intentus est?

Ergo si sophistae tam aequi essent sacrae doc-

trinae, quae propheticis et apostolicis scriptis prodita est, quam sunt aequi suis doctoribus, qui liberum arbitrium et merita operum statuunt, profecto non essent passi, tam levi occasione propter unam voculam se a vero abduci, ut statuerent contra scripturam, esse naturalia integra, hominem sua natura non esse sub ira, non sub damnatione; quanquam ipsi quoque hanc absurditatem animadvertisse videntur; etsi enim ponerent naturalia integra, tamen dixerunt, requiri gratiam gratum facientem, hoc est, docuerunt, Deum illa naturali bonitate hominis non esse contentum, nisi sit formata caritate.

Sed quid necesse est longius contra istorum amentiam disputare, cum sciamus, textum ex Ebraea veritate *) non dicere, quod sensus et cogitatio humani cordis sit prona, sed quod figmentum cordis humani malum sit ab adolescentia?

Vocat autem figmentum, sicut aliquoties supra dixi, ipsam rationem cum voluntate et intellectu, etiam tum, cum de Deo cogitat, cum honestissimis operibus exercetur, sive politicis, sive oeconomicis. Semper enim est contraria legi Dei, est in peccatis, est sub ira Dei, nec liberari ab hoc malo potest suis viribus, secundum sententiam Christi: „Liberi eritis, si vos Filius liberaverit" (Joh. 8, 36.).

Si igitur hominem voles vere definire, ex hoc loco definitionem sume, quod sit animal rationale, habens cor fingens. Quid autem fingit? Respondet Moses: „malum", contra Deum scilicet, seu legem Dei et homines. Tribuit igitur scriptura sancta homini rationem non otiosam, sed semper aliquid fingentem. Figmentum autem hoc vocat malum, im-

*) Fort. ex Ebraea veritate.

pium, sacrilegum, contra philosophi vocant bonum, sophistae vocant integra naturalia.

Ergo textus hic diligenter notandus, et contra cavillatores sophistas urgendus est, quod Moses dicit, figmentum cordis humani esse malum. Clare enim sequitur, si malum est, quod naturalia non sint integra, sed corrupta. Non enim Deus hominem malum condidit, sed integrum, sanum, sanctum, agnoscentem Deum, cum recta ratione et bona voluntate erga Deum.

Cum igitur clara testimonia extent, quod homo malus et a Deo aversus sit, quis tam est amens, ut dicere ausit, naturalia in homine mansisse integra? Hoc enim idem est, ac si dicas, hominis naturam adhuc integram et bonam esse, quam tot exemplis discimus et experimur, extreme esse vitiatam.

Ex hac prava sententia multa periculosa dicta nata sunt, quaedam etiam manifeste falsa et impia, ut, cum dicunt: Quando homo facit, quod in se est, tum Deus infallibiliter dat gratiam. Hoc quasi classico excitarant homines ad orationes, jejunia, afflictiones corporum, ad peregrinationes et alia similia. Sic enim persuasum fuit mundo, si homines facerent, quantum possent natura, mereri gratiam, si non de condigno, tamen de congruo. Meritum congrui autem eo retulerunt, quod opus non esset contra legem Dei, sed secundum legem Dei: nam malo non debetur meritum, sed poena. Condigni meritum tribuerunt non operi, sed qualitati operis, si fieret in gratia.

Tale etiam est Scoti dictum, quod homo ex puris naturalibus possit diligere Deum super omnia. Fundamentum enim dicti hujus est, quod naturalia

sint integra. Sic autem colligit: Homo puellam diligit, quae est creatura: sic autem perdite diligit, ut se et vitam suam pro ea in discrimen ponat. Sic mercator diligit opes, et quidem tam impense; ut mille mortis pericula subeat, dummodo lucrari aliquid possit. Si igitur tantus creaturarum amor est, quae longe infra Deum sunt positae, quanto magis amabit homo Deum, qui summum bonum est? Ergo ex puris naturalibus diligi potest Deus.

Bella consequentia, et digna Franciscano Monacho. Ostendit enim, quod nesciat tantus doctor, quid sit diligere Deum. Natura enim sic corrupta est, ut Deum non agnoscat amplius, nisi verbo et Spiritu Dei illuminetur; quomodo igitur sine Spiritu sancto amare Deum potest? Verum est enim, quod ignoti nulla sit cupido. Natura igitur Deum, quem nescit, amare non potest; amat autem idolum, et somnium cordis sui. Deinde in creaturarum amore ita implicita tenetur, ut Deum, etiam postquam ex verbo agnovit, tamen negligat, et contemnat verbum ejus: sicut exempla nostrorum hominum ostendunt.

Sunt igitur hujusmodi absurda et blasphema dicta certum argumentum, quod theologia scholastica plane degeneraverit in philosophiam quandam, quae nullam veram Dei cognitionem habet: sed quia verbum ignorat, etiam Deum ignorat, et versatur in tenebris. Sicut enim Aristoteles et Cicero, qui tamen in hoc genere summi sunt, multa de virtutibus docent, et eas magnifice commendant propter politicum finem, quod vident, et privatim et publice eas esse utiles; de Deo autem nihil docent, quod magis ejus voluntas et mandatum, quam vel privata vel publica commoda

spectanda sint (hanc enim voluntatem Dei, qui verbum non habent, ignorant) plane ad eum modum scholastici theologi philosophicis imaginationibus capti, neque Dei, nec sui veram agnitionem retinuerant: ideo in tam horribiles errores sunt prolapsi.

Ac sane facilis lapsus est, postquam a verbo discesseris. Nam ille splendor politicarum virtutum mirabiliter capit animos. Erasmus ex Socrate tantum non perfectum Christianum facit, et Augustinus immodice laudat M. Attilium Regulum ob fidem hosti servatam. Omnium enim virtutum veritas pulcherrima est, et accedit hoc in loco summa commendatio, quod conjunxit hanc virtutem cum amore erga patriam, quae ipsa quoque singularis et laude dignissima virtus est.

Invenias autem multos claros viros, qui hanc veritatis laudem non habent; sicut certe Themistocles eam non habuit, etsi heroicus vir esset, et patriae utilis. Itaque admiratur Attilium Augustinus; videt enim rationem et voluntatem rectam in summo gradu, hoc est, quanta in hanc naturam potest cadere. Quid igitur hic vitii est, aut quid est malum? Certe opus reprehendi non potest.

Primum in Regulo est ignorantia Dei, et quanquam recte facit, tamen vide, an non etiam finis a theologo reprehendi possit: cum hoc enim studio juvandae patriae etiam cupiditas gloriae conjuncta est; contemnit enim vitam, ut hoc modo sibi paret immortalem ad posteros gloriam. Si igitur hoc quasi somnium vitae, et externam hanc larvam consideres, pulcherrimum factum est. Sed coram Deo est foeda idolatria: sibi enim hujus facti gloriam arrogat. Et quis

quis dubitat, fuisse cum hoc gloriae studio etiam conjuncta alia vitia?

Ergo Attilius hanc summam virtutem veritatis et studii in patriam praestare non potest, nisi furens et insaniens ad malum. Malum enim est, quod gloriam Deo eripit, et sibi arrogat. Hoc spolium divinitatis ratio videre non potest.

Ergo discernendae sunt virtutes gentilium a virtutibus Christianorum. Verum est, quod utrinque impelluntur animi divinitus; sed hos divinos motus magnorum hominum corrumpit postea in ethnicis gloriae studium et ambitio. Si igitur rhetor accedat, qui causam efficientem amplificet, contra finalem hanc vitiosam causam dissimulet, quis non videt, duabus potissimis causis, formali et finali, dissimulatis, miseram hanc virtutis quasi umbram ab homine eloquente ornari posse?

Sed dialecticus facile deprehendet fucum: videt enim, deesse causam formalem, hoc est, rectam rationem, quia Deus non agnoscitur, nec est recta voluntas erga Deum. Causam autem finalem videt vitiosam esse; non enim spectatur verus finis, obedientia erga Deum, et dilectio proximi. Qualis autem haec virtus est, in qua paene omnes causae desiderantur, praeter naturalem, quae est tantum passio, hoc est, impetus, seu impulsus, quo movetur animus ad praestandam hosti fidem? Habent autem hos impetus, ut dixi, etiam impii. Igitur, si pro patria suscipiuntur, fiunt virtutes, si contra patriam, fiunt vitia, sicut Aristoteles erudite disputat.

Haec eo dico, ut hunc locum observent studiosi sacrarum literarum, qui diserte pronuntiat, naturam corruptam esse. Nam illa virtutum simulacra, quae

in gentibus sunt, diversum videntur probare, quod scilicet in natura aliquid integrum relictum sit. Accurato itaque judicio ad haec distinguenda opus est.

Quod addit Moses „ab adolescentia", ea ratione fit, quia hoc malum in prima aetate latet, et quasi dormit. Sic enim nobis transigitur pueritiae tempus, ut ratio et voluntas quasi dormiant, et tantum bestialibus motibus rapiamur, qui praetereunt, sicut somnus. Vixdum evasimus quintum annum, cum quaerimus otium, lusus, lasciviam, cupiditates; disciplinam autem fugimus, obedientiam conamur excutere, et odimus virtutes omnes, praecipue autem illas superiores, veritatem et justitiam. Evigilat enim tum quasi ex alto somno ratio, et videt quasdam voluptates, sed nondum veras, et mala quaedam, sed nondum summa, quibus capitur.

Ubi autem jam quasi adolevit ratio, ibi post confirmata aliquo modo caetera vitia, accedit etiam libido, et foedus carnis furor, helluationes, ludi, rixae, pulsationes, caedes, furta, et quid non? Sicut igitur apud parentes virga opus erat, ita nunc magistratus carcere et vinculis indiget ad coërcendam malam naturam.

Provectioris autem aetatis vitia quis non videt? Ibi enim uno agmine ingruunt avaritia, ambitio, superbia, perfidia, invidia etc. Sunt autem haec vitia tanto nocentiora, quanto ea aetas callidior est ad tegenda et ornanda ea. Igitur hic gladius magistratus non satis est: ignis Gehennae requiritur, quo tot et tanta flagitia puniantur. Recte igitur supra in sexto capite (v. 5.) dicitur, cor hominis, seu figmentum cordis esse tantum malum per singulos dies, seu omni tempore: et hic, esse malum ab adolescentia.

Etsi autem Latina translatio mitiore vocabulo utitur, tamen satis dicit, qui*) ad malum pronum dicit, sicut apud Comicum est, omnium hominum ingenium a labore ad libidinem proclive esse (Ter. Andr. 1, 1, 51.).

Qui autem hoc vocabulo abuti volunt ad extenuandum peccatum originale, hos convincit experientia omnium hominum, magis tamen gentilium, seu impiorum. Si enim homines spirituales, qui tamen habent adjutorium divinum de coelo, vix stare possunt contra flagitia, et contineri disciplina, quid faceret homo sine hoc auxilio? Si auxilium divinum militat et sudat contra captivitatem legis peccati (Rom. 7, 22. 23.), quae amentia est, somniare integra naturalia sine hoc auxilio divino?

Igitur ratio non dictat recta per se, nec voluntas per se recta vult, sicut caeca philosophia disputat, quae nescit, unde horribiles hi impetus ad peccatum in pueris, adolescentibus et senibus exsistant. Igitur excusat eos, vocat tantum affectus, seu passiones, non vocat malitiam naturae.

Deinde in magnis viris, qui moderantur hos impetus et gubernant, vocat virtutes. In aliis, qui relaxant cupiditatibus frena, vocat vitia. Hoc autem est vere ignorare, quod natura sit mala. Scriptura autem sancta consentit cum experientia, et dicit, cor hominis ab adolescentia esse malum. Sic enim experientia docet, quod etiam sancti aegre consistunt, sed saepe etiam in crassa peccata involvuntur, oppressi ista naturae malitia.

Vocabulum מִנְּעֻרִים significat eam aetatem, qua homo incipit ratione uti: id fere fit anno sexto; si-

*) Fort. quia.

cat etiam נְעָרִים vocant juvenes et pueros, aptos ad ministeria parentum et praeceptorum, usque ad virilem aetatem. Non autem inutile est, ut respiciamus ad eam aetatem singuli, et consideremus, quam libenter paruerimus mandatis parentum et praeceptorum, quam fuerimus in discendo seduli, quam patientes, quoties castigarunt petulantiam parentes. Quis enim fuit, cui non longe gratius fuerit deambulare, ludos agere, garrire, quam templa ex parentum jussu frequentare?

Etsi autem disciplina aut corrigi, aut frenari haec possunt aliquo modo, tamen non penitus possunt ex corde evelli, sicut testantur vestigia, postquam succrevimus. Verus enim versiculus ille *barbarus* est: Angelicus juvenis senibus satanisat in annis. Impellit quidem Deus quosdam ad naturales bonos motus; sed id fit supra naturam; sicut cum Cyrus impellitur ad restitutionem cultus Dei, et ecclesiae conservationem; sed haec non sunt naturae. Ubi enim Deus est cum suo Spiritu, ibi non amplius est figmentum cordis humani, sed figmentum Dei. Habitat enim ibi Deus per verbum et Spiritum Dei. De talibus Moses hoc in loco non loquitur, sed tantum de hominibus extra Spiritum sanctum; hi mali sunt, etiam cum sunt optimi.

Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.

Loquitur diserte de percussione generali, qualis per diluvium facta est. Sed ex hoc non sequitur, quod etiam particularem percussionem sit omissurus, et dissimulaturus peccata omnium. Habet quoque exceptionem suam extremus dies, in quo non

solum omne vivens percutietur, sed tota creatura abolebitur igni.

Cunctis diebus terrae sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non cessabunt.

Iudaei ex hoc loco dividunt annum in sex partes, singulis tribuentes duos menses; sicut etiam Lyra hoc in loco annotat. Sed mihi videtur Moses simpliciter loqui de promissione, quod universale diluvium amplius non sit metuendum. Nam diluvii tempore ea fuit confusio, ut non sementis, non messis tempus esset, ut in tanta caligine imbrium et nubium non bene discerni dies a nocte posset. Videmus enim, cum in coelo caliginosae nubes volant, terrae induci quasi caliginem. Quanto autem tum ea fuit major, cum aquae in terris, tanquam speculum subjectae nubibus, nubium caliginem in ora atque oculos intuentium quasi refunderent?

Ergo simplex sententia est, quod Deus hoc in loco promittit ipsi Noah, futurum, ut terra restituatur, ut iterum conseri agri possint, et vastitas illa desinat, quam diluvium fecerat, ut tempora currant consueta lege, et sementem messis, aestatem hiems, calorem frigus debito ordine sequatur.

Est autem hic textus bene notandus contra vulgatas opiniones de signis praecessuris extremum diem. Ibi enim nescio quot dierum eclipses fingunt, nugantur, toto septennio nullam mulierem parituram etc. Sed hic textus dicit, non quieturam noctem, non diem, non aestatem, non hiemem; ergo manebunt istae vices naturae, neque ulla unquam eclipsis totum diem hominum oculis adimet.

Nec otiosum est, quod dicit „Cunctis diebus terrae“. Subindicat enim, hos terrae dies aliquando cessaturos, et secuturos alios dies coeli. Stantibus igitur terrae diebus, terra stabit, et manebunt istae vices temporum. Sed cessantibus his diebus terrae, cessabunt ista omnia, et sequentur dies coeli, hoc est, aeterni dies, qui erunt sabbatum ex sabbato, ubi non occupabimur corporalibus laboribus ad parandum victum; erimus enim sicut Angeli Dei (Marc. 12, 25.). Sed nostra vita erit agnoscere Deum, delectari sapientia Dei, et frui praesentia Dei. Consequimur autem eam vitam fide in Christum, in qua aeternus pater, per meritum Filii sui et liberatoris nostri, Iesu Christi, regente et gubernante nos Spiritu sancto, clementer conservet, Amen, Amen.

NONUM CAPUT GENESIS.

Benedixit Deus Noah et filiis ejus, et dixit ad eos: Crescite et multiplicamini, et replete terram.

Haec profecto necessaria consolatio fuit, postquam totum humanum genus, servatis tantum octo animabus, diluvio perditum est. Hic enim Noah agnovit, Deum vere esse propitium, si quidem non contentus est illa prima benedictione, qua generi humano benedixit in creatione mundi, sed addit hanc novam, ut plane nihil dubitaret Noah de generatione futura multiplicanda. Tanto autem haec promissio laetior fuit, quod jam ante Deus diserte promi-

serat, se posthac tam dura poena in homines non grassaturum.

Primum igitur constituit hoc caput denuo conjugium, si quidem Deus verbo suo et praecepto conjungit masculum cum femina, idque ad certum finem, ut repleatur terra hominibus. Quia enim Deus peccato libidinis ante diluvium ad iram commotus erat, ideo nunc necesse fuit propter tam horribile irae exemplum, ostendere, quod Deus legitimam conjunctionem maris et feminae non oderit, nec damnet, sed velit, per eam propagari genus humanum.

Hoc certum argumentum ipsi Noah fuit, Deum revera amare hominem, et ei bene velle, ac nunc omnem abjecisse iram, si quidem vult homines propagari conjunctione maris et feminae, quos, si hanc conjunctionem legitimam non probasset, ex lapidibus potuit producere; sicut poëtae de Deucalione fabulantur. Pertinet igitur hic locus ad conjugii dignitatem, quod fons oeconomiae et politiae est, et seminarium ecclesiae.

Quod hic objicitur, Noah fuisse jam ea aetate, quae ad generandum non amplius apta esset: sicut etiam scriptura non meminit, quod postea susceperit aliquos liberos; frustra igitur hanc fuisse promissionem: respondeo: Non soli Noah promissio haec facta est, sed et filiis ejus, item toti humano generi, et pertinet posteritatis exspectatio etiam ad avum Noah.

Pertinet autem hic locus eo quoque, ut statuamus, prolem esse donum Dei, et tantum provenire ex benedictione Dei, sicut etiam Psalmus 127. (v. 3.) ostendit. Gentes, quae verbo Dei non sunt eruditae,

partim natura, partim casu propagationem humani generis accidere putant, praesertim cum saepe prole destituantur, qui ad generationem habentur aptissimi. Igitur non gratias agunt Deo pro dono hoc, nec tanquam Dei donum liberos amplectuntur.

Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae, et super omnes volucres coeli, cum universis, quae moventur super terram; omnes pisces maris manui vestrae traditi sint.

In abundantiam consolationis videtur hic dominium hominis augeri. Etsi enim post conditam creaturam omnia animalia homini subdita sint, tamen non legimus, bestias sic timuisse et fugisse homines, sicut hoc in loco Moses testatur. Causa autem est, quod hactenus animalia non fuerunt morti destinata, ut essent cibus homini; sed fuit homo tanquam civilis dominus bestiarum, non fuit occisor aut vorator.

Hic autem subjiciuntur homini tanquam tyranno, qui habeat potestatem absolutam mortis et vitae. Ideo, quia nunc gravior servitus animalibus imposita est, hominibus autem amplius et gravius dominium tributum, animalia terrore et metu hominum exercentur; sicut videmus, quod etiam, quae cicurata sunt, tamen non facile se manibus prehendi patiuntur. Sentiunt enim dominium hominum grave, et naturaliter periculo suo moventur. Id quod ante hanc Domini vocem non factum esse existimo; hactenus enim tantum ad operas suas animalibus aptis erant usi, et ad oblationes, non ad cibum et alimoniam.

Pertinet autem haec quasi augmentatio dominii

etiam eo, ut Deus ostendat singulari privilegio, quod Patriarchae non habuerant, se favere homini, et bene velle.

Non igitur extenuandum hoc beneficium est, quod homini hoc jus datur in bestias. Est enim singulare Dei donum, quod ethnici non norunt, qui verbo carent, ac nos maxime hoc dono fruimur. Nam cum ad Noah hoc verbum dictum, et hoc privilegium ei concessum est, nihil eo opus erat; pauci enim homines possidebant totam terram; itaque fructuum ex terra abunde fuit, nec necesse erat addere carnes bestiarum. Sed nos hodie fructibus terrae solis non possemus ali, nisi hoc ingens beneficium accessisset, ut carnibus bestiarum, volucrum et piscium vesci liceret.

Hoc igitur verbum constituit lanienam; affigit verubus lepores, gallinas, anseres, et omni genere ferculorum replet mensas. Ac necessitas industrios facit homines, ut non solum silvestria venentur, sed domi diligenti cura altilia foveant, ut inde cibos habere possint. Deus igitur hoc in loco se constituit quasi lanium; mactat enim et occidit verbo suo bestias aptas cibis, ut quasi compenset illum ingentem dolorem, quem in diluvio pius Noah habuit; ideo enim existimat, eum lautius nunc pascendum.

Non igitur fortuito haec accidere putabimus, sicut gentes, quae sentiunt; istum morem mactandi bestias semper fuisse: verbo Dei constituuntur, seu potius conceduntur ista. Non enim sine peccato occidi potuisset bestia, nisi Deus verbo suo id diserte permisisset. Magna igitur libertas est, quod homo impune occidere potest omnis generis bestias ad cibum aptas, et iis vesci. Si enim tantum unum be-

stiarum genus huic usui destinatum esset, tamen id magnum esset beneficium. Quanto autem majus judicandum est, quod in genere omnes bestiae cibo aptae homini conceduntur?

Non intelligunt haec impii et gentiles, philosophi etiam ignorant; putant enim, semper fuisse hunc morem. Sed nos profecto haec amplificare decet, ad tranquillandas conscientias nostras, et liberas faciendas in usu rerum a Deo creatarum, et etiam concessarum, quod scilicet ibi nulla lex sit, quae prohibeat iis vesci. Ergo etiam nullum in eorum usu potest esse peccatum, sicut scelesti Pontifices nefarie ecclesiam etiam hac in re onerarunt.

Auctum ergo hoc in loco hominis dominium est, et animalia bruta homini ad servitutem sunt subjecta usque ad mortem. Ideo metuunt et fugiunt hominem, propter hanc novam et hactenus in mundo inusitatam ordinationem. Nam Adae abominatio fuisset occidere aviculam ad cibum. Sed nunc, cum accedit verbum, intelligimus, singulare hoc beneficium esse, quod hoc modo instruxit Deus culinam omni genere carnium. Post de cella quoque instruenda curabit, cum culturam vitis ostendet homini.

Haec igitur sunt certa et excellentia testimonia, quod Deus non amplius oderit hominem, sed faveat homini. Utriusque igitur rei exempla haec historia ostendit, quod, sicut Dei ira, cum coeperit exaestuare, est intolerabilis, ita misericordia quoque, postquam relucere incipit, infinita, et sine modo est. Est autem ideo misericordia exuberantior, quia haec est de natura Dei, cum ira vere sit alienum Dei opus, quod contra naturam suam suscipit, cogente ita malitia hominum.

Et omne, quod movetur et vivit, sit vobis in cibum: quasi holera virentia tradidi vobis in cibum.

Hic quaestio nascitur. Supra (Cap. 7, 2.) ostendit Moses differentiam inter animalia munda et immunda, hic autem sine discrimine et in genere loquitur de omnibus animalibus. Num igitur Deus etiam immunda animalia homini concessit in cibum? Generale enim est, quod dicit: „Universa, quae reptant super terram".

Non desunt sane, qui sentiunt, tempore Noah indifferenter homines omnibus animalibus tum mundis, tum immundis usos ad cibum. Sed mihi videtur diversum. Quia enim supra mundorum et immundorum differentia constituta est, et ea in lege postea diligenter servatur, existimo, quod ad cibum attinet, hominem tantum mundis usum esse, hoc est, iis, quae offerebantur in sacris.

Ergo universalis cum distinctione intelligenda est: Omne, quod movetur et vivit, inter munda scilicet, hoc sit vobis in cibum. Natura enim abhorret a serpentibus, lupis, corvis, muribus, gliribus, quanquam alicubi invenias, etiam horum carnibus gentes aliquas oblectatas. Terror igitur et pavor hominis est super omnes bestias terrae, quod homini licet eas occidere; sed non ideo omnibus bestiis homo vescitur. Verisimile autem est, et Noah tantum mundis usum, quae sola norat Domino offerri posse.

Sed hic aliud incidit, quod magis offendit animos. Quomodo enim terror et timor hominis est super omnia animalia, cum lupi, leones, ursi, apri, tigrides vorent homines, et ideo hominibus terrori

sint, sicut etiam universum serpentum genus, quod visum statim omnes fugimus? Quid hic dicemus? Num verbum Domini mendax est?

Respondeo. Etsi nos nostro periculo admoniti, tales bestias fugimus et formidamus, tamen verum est, quod timor hominis manet super eas. Nam etiam ferissimae bestiae ad primum hominis conspectum expavescunt et fugiunt; sed irritatae tandem vincunt robore corporis.

Cur autem, inquis, expavescunt, cum fortiores sint? Respondeo: Norunt, hominem instructum ratione, quae praevalet omnibus bestiis. Nam etiam elephantes, leones, tigrides industria hominum domat. Quod igitur homo non potest viribus, hoc efficit arte et vi rationis. Alioqui quomodo esset possibile, ut puer decem annorum integra armenta ageret? ut equum, ferocia et robore singulari animal, quocunque vellet, flecteret, jam ad cursum incitaret, jam ad lentiorem gradum cogeret? Omnia haec industria humana, non viribus conficiuntur. Non igitur sunt obscura indicia, manere timorem hominis in bestiis, quae tamen hominem laedunt, cum irritatae sunt, et ideo ab hominibus quoque timentur.

Mihi autem non dubium est, quin tempore Noah et vicinorum Patrum hic terror in bestiis major fuerit, cum justitia floreret, et minus peccatorum esset. Itaque labente postea sanctitate vitae, et crescentibus peccatis, etiam benedictio haec coepit diminui, et bestiae fere coeperunt esse poena peccati; sicut Moses in Deuteronomio (32, 24.) minatur, Deum immissurum dentes bestiarum. Et in deserto quam horribilis plaga fuit serpentum ignitorum? (4. Mos. 21, 6.) Ursi laniarunt pueros, qui ridebant Prophetam

4. Regg. (2. Regg. 2, 24.). Hic cur non terror hominis mansit in bestiis? Cur saevierunt in homines? Nonne peccatum in causa fuit?

Sicut igitur supra quoque diximus, crescentibus novis peccatis, etiam poenae novae crescunt. Sicut nostro tempore inusitata genera morborum et calamitatum vulgata sunt; ut sudor Anglicus, locustae populantes late agros anno XLII per Poloniam et Silesiam etc.

Ad hunc modum promisit Dominus tempora sementis et messis, caloris et frigoris, et tamen non ideo connivet ad peccata nostra, quin non nunquam incommodis tempestatibus et sementis et messis tempora turbentur; sicut fuit ingens siccitas anno MDXL, et sequentibus duobus annis fere continuae pluviae. Cum igitur hodie pessimum seculum sit, quid mirum est, quod benedictio hoc modo aufertur a nobis, et succedit maledictio, ut bestiae, in quibus noster terror esset, si essemus boni, nunc nobis terrori sint, et noceant nobis?

Ager Sodomorum fuit tanquam Paradisus quaedam. Sed per peccatum factum est, ut sit lacus bituminis. Et dicunt, qui ea loca viderunt, quod ibi crescant pulcherrima poma; sed ea cum secantur, intus quasi cineribus plena sunt, et teterrimi odoris. Causa est, quia dona Dei benedicentis non agnoverunt, sed abusi sunt iis pro arbitrio. Deinde blasphemaverunt Deum et ejus sanctos, inflati illis commoditatibus, persecuti sunt. Igitur benedictio ablata, et omnia maledictione repleta sunt.

Et haec vera hujus quaestionis solutio est, quod, etsi sunt signa terroris in animalibus feris, tamen nos potius ea formidamus, et ipsa nocent nobis.

Mihi non dubium est, in hoc nostro territorio habitasse olim pessimos homines; unde enim ista terrae ariditas, et steriles arenae? Ac indicant nomina, Judaeos haec loca quondam habitasse. Ubi enim homines mali habitant, ibi etiam terra paulatim maledictione Dei perit.

Bruggae in Flandris fuit celeberrimus portus; sed a tempore, quo Maximilianum regem tenuerunt captum, discessit mare, et portus esse desiit. Idem de Venetiis hodie dicunt. Nec id valde mirum est, postquam ad infinita peccata, qualia potentum rerum publicarum sunt, etiam defensio idolatriae et persecutio evangelii accedit.

Carnem tamen cum sanguine animae non comedetis.

Oeconomica fuerunt, quae hactenus audivimus; nunc addit Dominus politicum mandatum. Quia enim tam non peccatum erat occidere bovem aut ovem ad cibum, quam non peccatum est decerpere florem aut herbam nascentem in agro, periculum erat, ne hac libertate, quam Dominus contra bestias concesserat, homines abuterentur, et progrederentur etiam ad sanguinem hominum effundendum. Itaque nunc ponit novam legem de non effundendo sanguine humano, et restringit quoque illam libertatem de carnibus vescendis; non enim vult vesci carnibus, nisi prius mundatis a sanguine.

Est autem textus in Ebraeo admodum obscurus; ideo etiam variae interpretum opiniones sunt, quas omnes recitare hoc in loco supervacaneum est. Ego perpetuo hanc regulam sequor, ut statuam, verba debere servire rebus, et non e contra res verbis.

Itaque eorum judicia nihil moror, qui verba interpretantur pro suo affectu, et volunt, ea servire cogitationibus, quas ipsi ad lectionem adferunt.

Primum igitur grammaticam videamus. נֶפֶשׁ proprie significat corpus animatum, seu vivum animal, sicut sunt bos, ovis, homo etc. Non enim corpus tantum, sed vivum corpus significat, ut, cum Christus dicit: „Pono animam meam pro ovibus meis" (Joh. 10, 15.). Hic animam nihil dicit aliud, quam vitam corporalem.

בָּשָׂר autem carnem significat, quae est crassioris elementi pars, et tamen inspiratur, et habet pulsum, non ex corpore, sed ex anima. Nam caro seu corpus per se et sine anima nihil est aliud, quam truncus aut lapis; cum autem inspiratur ab anima, tum moventur humores, et omnia, quae sunt in animali.

Iam prohibet Dominus hoc in loco, id corpus comedi, quod habet adhuc agitantem, moventem et viventem animam, sicut milvus pullos gallinarum, lupus oves vorat, non mactatas antea, sed vivas. Hanc crudelitatem hoc loco interdicit Dominus, et restringit illam mactandi licentiam, ne fiat beluino modo, ubi viva corpora, aut vivorum corporum partes vorantur; sed ut conservetur legalis mactatio, qualis ad aram, et in sacris solebat esse, ubi sine crudelitate mactabatur bestia, et bene abluta a sanguine tandem offerebatur Deo.

Hanc puto esse simplicem et veram sententiam, quam etiam Iudaeorum magistri quidam sequuntur, ne crudas carnes et adhuc palpitantia membra Laestrygonum aut Cyclopum more voremus.

Sanguinem quoque animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis: de manu cujuslibet requiram animam fratris sui.

Hic plus obscuritatis in Ebraeo textu est, quam in superiore. Ac Lyra hic quatuor caedium genera ex Rabinorum sententia ponit. Nam distinguit hanc sententiam in duas, et ambas bifariam exponit.

Primam partem accommodat ad eos, qui sibi ipsis manus violentas afferunt. Ea sententia si vera est, statuitur hoc in loco immortalitas. Quomodo enim Deus posset in eum vindicare, qui jam in morte positus, nihil est? Ergo significantur hic poenae peccatorum post hanc vitam. Sed videtur mihi grammatica huic sententiae repugnare. Etsi enim non mihi arrogo perfectam linguae Ebraeae notitiam, tamen omnino judico, verba hanc sententiam non ostendere. Secundam speciem caedium facit, cum objiciuntur homines bestiis, sicut in theatris olim fiebat, profecto barbarum spectaculum, et ab omni humanitate alienum. Tertia species, cum aliquis subornat percussorem. Quarta, cum propinqui occiduntur etc.

Non omnino displiceret haec divisio, si posset probari ex litera. Sed est Iudaicum figmentum natum ex odio Romanarum legum.

Simplicior igitur sententia est, si intelligas, in genere hunc locum de prohibitione caedium, secundum quintum praeceptum, quod dicit: „Non occides". Vult enim Deus, ne bestiam quidem occidi, nisi religiose, hoc est, vel ad sacra, vel ad usum hominum. Multo minus vult, occidi hominem, nisi auctoritate divina, sicut sequitur.

Primum ergo prohibetur occisio, seu caedes arbitraria et profana. Ad disciplinam enim pertinet, non temere occidere animalia quoque, et carnes earum non vorari crudas. Postea prohibet, ne homo hominem occidat quocunque tandem modo. Nam si de manu bestiae occidentis hominem Deus requiret sanguinem, quanto requiret eum gravius de manu hominis? Pertinet itaque locus hic ad quintum praeceptum, ne quis fundat sanguinem hominis.

Quicunque effuderit sanguinem humanum, illius sanguis effundetur per hominem.

Reprehendenda hoc in loco interpretis negligentia est, qui admodum necessariam particulam omisit בָּאָדָם, per hominem. Ostendit enim differentiam temporum ante diluvium et post diluvium. Cain enim occiderat fratrem Habel, sed eam reverentiam humano sanguini tum habuit Deus, ut ei, qui Cain occideret, septuplam poenam minaretur Deus. Noluit itaque, ne quidem publico judicio homicidam occidi. Itaque Adam etsi graviter peccatum filii nempe excommunicatione punivit, non tamen mortem ei irrogare est ausus.

Hic autem novam legem instituit Dominus, et vult, homicidas ab hominibus occidi. Id quod in mundo hactenus non fuerat usitatum; nam totum judicium sibi Deus sumserat. Ideo cum videret, mundum quotidie magis ac magis corrumpi, tandem diluvio poenas ab impio mundo exegit. Hic autem communicat suam potestatem Deus cum homine, et tribuit ei potestatem vitae et mortis inter homines, sic tamen, si sit reus effusi sanguinis. Qui enim

non habet jus occidendi hominis, et occidit tamen hominem, hunc subjicit Deus non solum suo judicio, sed etiam gladio hominis. Itaque si occiditur, etsi hominis gladio occiditur, tamen a Deo recte dicitur occisus esse. Si enim absque hoc Dei mandato esset, tam non liceret occidere homicidam, quam non licuit ante diluvium.

Hic igitur fons est, ex quo manat totum jus civile et jus gentium. Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam et mortem, profecto etiam concedit potestatem super id, quod minus est, ut sunt fortunae, familia, uxor, liberi, servi, agri. Haec omnia vult certorum hominum potestati esse obnoxia Deus, ut reos puniant.

Nam hic inter Dei et hominum potentiam haec differentia retinenda est: Deus habet potestatem occidendi nos, etiam si mundus accusare nos non possit, sed coram mundo innocentes simus. Nam peccatum, nobiscum natum, omnes nos coram Deo reos statuit. Homines autem tum demum potestatem occidendi habent, cum coram mundo rei sumus, et de peccato constat. Ideo instituta judicia sunt, et certus actionum modus praefinitus, quibus crimen inquiratur et probetur, priusquam feratur sententia de capite.

Ergo locus hic diligenter notandus est, quo Deus magistratum constituit, non tantum, ut de vita judicet, sed etiam de inferioribus, seu infra vitam positis, ut magistratus puniat inobedientiam liberorum, furta, adulteria, perjuria, in summa, ut puniat omnia peccata, quae in secunda tabula prohibentur. Qui enim vitae judicium concedit, etiam inferiorum rerum judicium permittit.

Insignis igitur hic textus est, et dignus observatione, quod Deus magistratum instituit, et ei gladium dat in manus, ut restringat licentiam, ne tum saevitia, tum alia peccata progrediantur in infinitum. Hanc divinam potestatem nisi Deus contulisset hominibus, qualem, quaeso, viveremus vitam? Quia igitur praevidet, semper maximam malorum copiam futuram, hoc externum remedium instituit, quod mundus hactenus non habuerat, ne licentia immodice cresceret. Atque hoc tanquam septo, his tanquam parietibus muniit vitam et res nostras Deus.

Est igitur hoc quoque non vilius argumentum summi amoris Dei erga hominem, quam quod promittit, non amplius grassaturum diluvium, et concedit usum carnium ad sustentandam hanc vitam.

Quoniam in imagine Dei fecit Deus hominem.

Haec est insignis ratio, cur nolit hominem occidi privato arbitrio, quia sit nobilissima creatura, non condita sicut caetera animantia, sed ad Dei imaginem, quam etsi, ut supra diximus, per peccatum amisit homo, tamen ejusmodi est, ut reparari possit per verbum et Spiritum sanctum. Hanc imaginem vult, ut alii in aliis revereamur, non vult, ut per tyrannidem fundamus sanguinem.

Qui autem non vult revereri imaginem Dei in homine, sed vult parere irae et dolori, pessimis consultoribus, ut quidam dixit, hujus vitam Deus magistratui concedit, et jubet, ut ejus quoque sanguis fundatur.

Ad hunc modum constituit hic locus politiam in mundo, quae ante diluvium non fuit. Sicut Cain et

Lamech exemplum ostendit, qui non occisi sunt, cum tamen arbitri seu judices essent publicarum actionum sancti Patres. Hic autem jubentur, qui habent gladium, ut gladio utantur contra eos, qui fuderunt sanguinem.

Solvitur itaque hic argumentum, quod Platonem et omnes sapientes exercuit. Hi enim concludunt, imperia sine injustitia administrari non posse. Ratio est, quia homines inter se aequali dignitate et conditione sint. Cur enim Caesar imperat orbi? Cur alii ei parent, cum aeque, ut alii, sit homo nihilo melior, nihilo fortior, nihilo durabilior? Omnibus enim humanis conditionibus subjectus est, sicut alii homines. Videtur igitur tyrannis esse, cum aliis hominibus sit similis, quod usurpat imperium in homines. Si enim similis est aliorum hominum, summa injuria et injustitia est, quod non vult similis aliorum esse, sed per tyrannidem aliis se anteponit.

Ad hunc modum ratio colligit, nec potest habere, quod opponat. Sed nos, qui habemus verbum, videmus, opponi debere mandatum Dei, qui sic ordinat et instituit. Igitur nostrum est divinae ordinationi parere, et eam ferre, ne ad reliqua peccata etiam hoc accedat, ut in hac parte simus inobedientes voluntati Dei, quam tamen tot modis videmus huic nostrae vitae esse utilem.

Concedit igitur hic locus religiosam et civilem mactationem animalium, caedem autem hominum in totum prohibet, quia homo est conditus ad imaginem Dei. Huic voluntati qui non parent, hos tradit magistratui occidendos.

Vos autem fructificate et multiplicamini, producite prolem in terra, et multiplicamini in ea.

Concessa mactatione pecudum, non tantum ad hostias, sed etiam ad cibum, et prohibito homicidio, sequitur hic ratio, quare tantopere execretur Deus homicidium. Quia vult homines multiplicari in terris; homicidia autem vastant terram, et inducunt solitudinem, sicut in bellis videmus. Sic quia terram Deus non frustra condidit, sed ut habitaretur, sicut Esaias dicit (45, 18.), et ideo etiam fecundat eam pluvia et sole: igitur odit eos, qui habitatores de terra auferunt. Voluntas enim ejus est vita, et non mors, Psalm. 30, (v. 6.).

Haec et similia Prophetarum dicta accepta sunt ex talibus promissionibus, qualis haec est, quod jubet Deus, hominem crescere. Ostenditur enim clare, quod pronior sit ad vivificandum et benefaciendum, quam ad iram, et ad occidendum. Cur enim alioqui tam severe prohiberet caedes? Cur essent tam rarae pestes? Vix enim decennio pestis aut lues generalis incidit. Quotidie autem nascuntur homines, crescunt animalia, proveniunt fruges infinitae.

Omnia haec testantur, quod Deus non amet mortem, sed vitam; sicut etiam initio hominem condidit, ut non moreretur, sed ut viveret: „Per invidiam autem Diaboli intravit mors in mundum.“ (Sapient. 2, 24.). Et tamen post peccatum reliquiae benedictionis sic custodiuntur, ut non possit Dei voluntas erga nos esse obscura, quod plus amet vitam, quam mortem. Utile autem est, multum esse in talibus cogitationibus; sic enim vere, ut Salomon dicit (Prov. 18, 22.), hauriemus voluptatem a Domino.

Haec quoque dixit Deus ad Noah, et ad filios ejus cum eo: Ecce ego statuo pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos, et cum omni anima vivente, quae vobiscum est, tam cum volatilibus, quam cum jumentis et pecudibus terrae, cunctisque, quae egressa sunt de arca, et universis bestiis terrae: statuo autem pactum meum vobiscum, ut nequaquam ultra interficiatur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.

Quae causa tantae copiae sit, supra aliquoties diximus. Non enim Spiritus sanctus frustra est verbosus; itaque qui considerant, in quanto pavore, metu, tristitia, periculis Noah cum suis fuerit, hi judicabunt, summam fuisse necessitatem, ut eadem saepius repeteret et inculcaret Deus.

Porro quia pactum, de quo hic loquitur, non ad hominem tantum pertinet, sed complectitur omnem animam viventem, non est intelligendum de promissione seminis, sed de hac corporali vita, qua nobiscum fruuntur etiam bruta, quod eam posthac diluvio Deus non velit perdere.

Dixitque Deus: Hoc est signum foederis, quod do inter me et vos, et omnem animam viventem, quae est vobiscum in generationes sempiternas: arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram; cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor foederis

mei vobiscum, et cum omni anima vivente in omni carne. Et non erunt ultra aquae diluvii ad delendam universam carnem, sed erit arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor foederis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universae carnis, quae est super terram.

Particula: „In generationes sempiternas" diligenter notanda est. Comprehendit enim non tantum homines praesentes et bestias praesentes, sed omnem posteritatem, quae erit usque ad mundi finem.

Porro hic locus etiam nos docet, quomodo Deus solet cum promissione semper conjungere signum. Sicut etiam supra in tertio capite admonuimus de tunicis pelliceis, quas nudis hominibus circumdedit in signum, quod eos tueri, defendere et servare vellet.

Nec inepta allegoria est, quam quidam afferunt, quod, sicut pellis mortuae oviculae calefacit corpus, ita Christus mortuus, calefacit nos Spiritu suo, et in extremo die excitabit et vivificabit. Alii dicunt, additas pelles in signum mortalitatis. Sed hoc non valde erat opus, cum tota vita mortalitatis admoneat nos. Illud magis opus erat, ut haberent signum vitae, in quo discerent benedictionem et favorem Dei. Haec enim propria signorum natura est, ut consolentur, non ut terreant, et in hunc finem etiam signum arcus institutum, et promissioni additum est.

Sicut igitur supra (8, 21. 22.) Deus apud se loquitur, quod poeniteat tam horribilis poenae, et promittit, se non usurum posthac tali poena, quod figmentum cordis humani ab adolescentia pravum sit. Si igitur vellet

punire malum, quotidie novo diluvio esset opus. Ita hic verbo prolato ad hominem vel per Angelum, vel (sicut possibile est) per os Noah promittit, nullum posthac diluvium venturum super terram.

Quod autem toties eadem res repetitur, signum est eximii affectus erga hominem, cui Deus persuadere conatur, ne talem poenam posthac metuat, sed ut speret benedictionem, et summam clementiam.

Tali consolatione Noah cum suis valde opus habuit. Nam homo humiliatus a Deo, non potest oblivisci vulneris et doloris; longe enim pertinacius haeret offensa, quam beneficium. Sicut etiam in pueris videmus; hos castigatos virga, etsi blanda mater crepitaculis et aliis illecebris *) conatur sedare, tamen ita haeret animo dolor, ut non possit non saepius ingemiscere, et acerbos singultus emittere. Quanto autem difficilius conscientia consolationem admittit, quae iram Dei et terrores mortis experta est? Hi postea ita fixi haerent, ut etiam ad beneficia et consolationes animi trepident et paveant.

Ideo Deus hic se tam varie ostendit benevolum, et cum laetitia singulari effundit misericordiam, tanquam mater adblandiens filio et palpans, ut tandem lacrymarum obliviscí, et arridere matri incipiat.

Rhetorica igitur et verbosa haec consolatio est, et varie amplificata, pro necessitate miserorum hominum, qui integro anno inaestimabilem Dei iram viderant grassari. Itaque uno aut altero verbo non potuerunt revocari ab illo pavore et metu: magna copia opus fuit ad reprimendas lacrymas, et mitigandum dolorem. Etsi enim sancti fuerunt, tamen fuerunt simul caro, sicut nos quoque.

*) Edit. princ. illebris.

Est autem nobis quoque necessaria haec consolatio hodie, ut in tanta tempestatum varietate non dubitemus, quin verbo Dei cataractae coeli et fontes abyssorum sint clausi. Ideo enim adhuc hodie apparet iris, ut sit certum signum, universale diluvium posthac non venturum. Igitur hanc fidem etiam promissio haec a nobis exigit, ut credamus, Deum, misertum generis humani, generali diluvio posthac in nos non grassaturum.

Porro disputatur hic, num in iride naturales causae sint, quae hoc significent? Ac notum est, quid disputent philosophi, praecipue Aristoteles in Meteoris, de colore iridis, de qualitate nubis, in qua gignitur, de rotunditate. Nec inepte additur similitudo speculorum, in quibus reflectitur imago, sicut radii solis reflectuntur, et faciunt iridem, cum incidunt in nubem roridam et concavam. Videt enim ratio in talibus, quid maxime sit verisimile, etsi veritatem ubique videre non potest. Hoc enim non creaturae, sed creatoris est. Sed ego nulli unquam libro minus credidi, quam illi de Meteoris, quod hoc fundamento nititur, quasi omnia ex naturalibus causis oriantur.

De iride autem certum est (etsi dicunt, praesagium esse triduanae tempestatis, quod facile permitto); quod significat, nullum diluvium venturum esse. Et tamen significat hoc non ex aliqua naturali causa, sed tantum ex verbo Dei, quia Deus sic statuit et definit per verbum suum. Sicut enim circumcisio signum fuit, quod ille populus Dei esset populus: significavit autem hoc circumcisio non per se, sed tantum per verbum, quod additum fuit; item, sicut pelliceae vestes significabant vitam et

conservationem, non quod sua natura hoc praestare possent, sed quia Deus ita promiserat: ita arcus in nubibus non ex naturali causa significat, diluvium amplius non venturum, sed propter verbum Dei.

Cogitationes et speculationes naturales de his rebus non prorsus contemno; sed quia demonstrationes non sunt solidae, non nimium eis fido. Ac rationes, quas Aristoteles assignat de nube rorida et cava, non sunt certae, quia possunt tales nubes exsistere, etsi iris non fiat. Sicut ex medio vel crassiore vel subtiliore iris aut major, aut arctior fieri potest. Ac vidi ego hic Vittenbergae iridem circulariter rotundam et undique clausam, non ita praecisam in superficie terrae, sicut communiter apparet. Cur igitur alio modo aliter fiunt irides? Excogitabit, credo, aliquid philosophus; turpe enim ducet sibi, non omnium rerum posse reddere causas. Sed profecto mihi nunquam persuadebit, ut credam, vera dicere.

Una firma et certissima demonstratio est, quod omnes illae impressiones, ut vocant, sint opera Dei, vel etiam Daemonum. Sicut ego non dubito, saltantes capras, volantes dracones, lanceas et similia esse effectus malorum spirituum in aëre sic ludentium, ut aut terreant, aut decipiant homines. Gentes flammas in navibus apparentes judicarunt Castorem et Pollucem esse; et apparet aliquando luna super aures equorum. Haec omnia certum est esse ludibria Daemonum in aëre, quanquam Aristoteles sentit, esse aërem incensum, sicut de cometa quoque disputat, esse incensum vaporem.

Mihi longe tutius et certius esse videtur, ut a priore definiamus ista, nempe quod, cum Deus vult,

ardet cometa in signum terroris; sicut, cum vult, refulget in coelo iris signum gratiae. Quis enim causas omnes complecti poterit, cur tali pulchritudine mixtorum colorum, et tam absoluta semicirculari rotunditate appareat iris? Nubium dispositio profecto haec non sic exacte finget. Stat igitur arcus hic ex divino beneplacito per voluntatem et promissionem Dei, ad certificandum tum hominem, tum bestias, quod diluvium nullum ullis unquam temporibus futurum sit.

Ac debebamus hoc signo admoniti, Deo agere gratias. Quoties enim iris apparet, quasi viva voce concionatur toti mundo de ira, qua Deus per diluvium totum mundum olim perdidit. Et consolatur, ut statuamus, Deum nobis porro bene velle, nec usurum posthac tam horribili poena; ita simul timorem Dei et fidem docet, summas virtutes, quas philosophia ignorat, et tantum disputat de materiali et formali causa: hanc finalem causam tam pulchrae creaturae non novit, sed theologia eam ostendit.

Disputatur quoque hoc in loco, an fuerit arcus etiam ante diluvium? Et agitur negotium magno conatu. Quia enim supra (2, 2. 3.) scriptum est, Deum in diebus sex creasse coelum et terram, et postea quievisse ab omni opere, concludunt, iridem fuisse ab initio; alioqui sequeretur, Deum aliquid novi extra illos sex dies condidisse. Hoc autem tempore Noah factum esse, ut Deus iridem apprehenderet a principio creatam, et novo verbo poneret eam in certum signum, cum antea fuisset quidem, sed nihil significasset. Atque ad hujus sententiae confirmationem etiam Salomonis dicto usi sunt: „Nihil novi sub sole“ (Eccle-

sinst. 1, 9.). Ergo post sex dies nullam creaturam de novo creatam dicunt.

Sed mihi contrarium videtur, quod iris antea nunquam fuerit, et nunc primum creata sit. Sicut tunicae pelliceae, quibus Deus vestivit primos homines, profecto non sunt conditae in illis sex diebus, sed post lapsum primorum hominum; igitur fuerunt nova creatura. Non enim, quod Deus quievisse dicitur, ita intelligendum est, quod nihil posthac condiderit. Nam Christus dicit: „Pater meus operatur adhuc, et ego operor" (Ioann. 5, 17.).

Sententia autem illa Salomonis: „Nihil novum sub sole", etsi varie torsit theologos, tamen quis non videt, eam non de operibus Dei loqui, *sed de* peccato originali, quod eadem ratio, quae fuit in Adam post lapsum, eaedem disputationes de moribus, de vitiis, de virtutibus, de alendis corporibus, de gubernandis negotiis, etiam nunc sit in hominibus? Sicut in alia sententia Comicus dicit: Nihil dictum est, quod non dictum sit prius. Revera enim in operibus et studiis nihil novi est; eadem enim dicta, cogitata, studia, iidem affectus, dolores, amores, casus sunt, qui fuerunt semper. Ineptum igitur est ad opera Dei et creaturas sententiam hanc referre.

Sentio igitur, iridem fuisse novam creaturam, hactenus mundo non visam, ut admoneretur mundus de praeterita ira, cujus iris vestigia ostendit, et confirmaretur etiam de misericordia Dei. Est enim tanquam liber, seu picta tabula, in qua et praeterita ira, et praesens gratia ostenditur.

De coloribus quoque disputatur, quos aliqui quatuor faciunt, igneum, gilvum, viridem et aqueum

seu caeruleum. Sed ego tantum duos esse judico, igneum et aqueum; ac igneus superior est, nisi cum reflectitur iris; ibi enim, sicut in speculo, convertuntur superiora imis. Ubi autem igneus et aqueus color coeunt seu miscentur, resultat gilvus color.

Colorum autem ratio a Deo sic ordinata est certo consilio, ut non solum aqueus color esset memoria praeteritae irae, sed etiam igneus nobis pingeret futurum judicium. Interior superficies, quae aquae colorem habet, finita est; sed exterior, quae ignis colorem habet, est infinita. Sic primus mundus diluvio periit, sed habuit modum ira; nam reliquiae servatae sunt, et exstitit postea alius mundus, sed finitus tamen. Cum autem igni mundum perdet Deus, non restituetur haec corporalis vita, sed mali ferent aeternum judicium mortis in igne, pii autem excitabuntur in novam et aeternam vitam, non corporalem, licet in corporibus, sed spiritualem.

Discamus igitur hoc signo admoniti, Deum timere et ei confidere, ut, sicut diluvii poenam effugimus, ita etiam illam ignis effugere possimus. Haec cogitatio utilior est, quam illae philosophicae disputationes de materiali causa.

De allegoriis.

Finivimus tandem historiam diluvii, satis prolixe a Mose descriptam, quod horribile sit exemplum immensae et paene infinitae irae Dei, quam nulla oratio satis potest complecti. Reliquum autem est, ut etiam aliquid dicamus de allegoria, quanquam saepe testatus sim, allegoriis me non valde delectari, quibus tamen juvenis ita capiebar, ut judicarem, omnia in allegorias vertenda esse, inductus exemplis Orige-

nis et Hieronymi, quos tanquam summos theologos admirabar; quanquam Augustinus quoque non raro allegoriis utitur.

Sed dum horum exempla sequor, tandem cum magno meo detrimento sentio, me sectatum inanem umbram, et succum scripturae ac medullam neglexisse. Itaque allegorias postea odisse coepi. Delectant quidem, praesertim cum habent jucundas allusiones (itaque picturis non inelegantibus eas comparare soleo); sed quanto corporum nativus color praestat picturae, etsi, ut apud poëtam (stat. silv. V, 1, 5.) est, Apelleis et proxime ad naturam accedentibus coloribus ornatae, tanto ipsa historia praestat allegoriae.

Ac nostro seculo indoctum Anabaptistarum vulgus immodico studio allegoriarum non minus, quam Monachi, tenetur. Ideo obscuriores quoque libros, ut apocalypsin Iohannis, figmentum inane sub Esdrae nomine, duobus posterioribus libris explicatum, tantopere amant. Ibi enim licentia est fingendi quaevis. Muntzerum quoque, seditiosum illum spiritum, meminimus in allegorias omnia vertere. Sed revera, qui sine judicio aut fingit allegorias, aut ab aliis fictas sequitur, non decipitur solum, sed etiam laeditur gravissime, sicut ostendunt exempla.

Aut igitur omnino vitandae, aut cum summo judicio instituendae sunt, et ad regulam Apostolis usitatam applicandae, de qua paulo post dicam. Ne exemplo non solum theologistarum, sed etiam Canonistarum, seu potius Asinistarum in foedas et perniciosas absurditates incidamus; sicut testantur decretales et decreta exsecrabilissimi domini Papae.

Porro sic accipienda haec sunt, ne tamen allegorias in genere omnes damnemus. Nam et Chri-

stum et Apostolos allegoriis interdum videmus usos esse. Sed haec ejusmodi sunt, ut sint analogae fidei, secundum regulam Pauli Rom. 12, (v. 7.) jubentis, ut Prophetia seu doctrina fidei analoga sit.

Nos autem cum damnemus allegorias, de iis loquimur, quae proprio spiritu et ingenio, sine scripturae auctoritate finguntur. Nam aliae, quae ad fidei analogiam referuntur, non solum ornant doctrinam, sed etiam consolantur conscientias.

Sicut Petrus hanc ipsam diluvii historiam ad pulcherrimam allegoriam detorquet, 1. Pet. 3, (v. 21. 22.) cum inquit: „Figurae diluvii respondet Baptismus, et nos salvos facit. Abluuntur enim eo non sordes carnis, sed conscientia bene respondet apud Deum, per resurrectionem Christi a mortuis", qui est ad dextram Dei, devorans mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur, „profectus in coelum, subjectis sibi Angelis, et Potestatibus, et Virtutibus" etc. Haec vere theologica, hoc est, fidei consentiens, et consolationis plena allegoria est.

Talis est illa Christi Iohann. 3, (v. 14.) de serpente exaltato in deserto, et sanatis a morsu serpentis, qui adspiciebant eum. Item illa Pauli (1. Cor. 10, 4.): „Bibebant Patres nostri omnes de spirituali petra" etc. Hae allegoriae ejusmodi sunt, ut non solum belle consentiant cum re, sed etiam doceant animos de fide, et sint utiles conscientiis. Sed Hieronymi, Origenis et Augustini pleraque vide; hi enim non de fide cogitant, cum allegorias condunt, sed philosophicas sententias quaerunt, neque ad mores nec ad fidem utiles: taceo, quod etiam satis ineptae et plenae absurditatis sunt.

Supra audivimus Augustini allegoriam de viro

ex femina condita, quam applicat ad superiorem et inferiorem partem hominis, hoc est, ad rationem et affectus. Sed, quaeso te, quis hujus figmenti usus est?

Sed Papa merito laudem pietatis et eruditionis in allegoriis auffert, qui ad hunc modum ex sublimi tonat: Fecit Deus duo luminaria magna, solem et lunam. Sol est Papalis dignitas, a qua lumen suum imperatoria majestas, tanquam luna a sole mutuatur. O temerariam impudentiam, et scelestam ambitionem.

Simile est, quod in hac historia arcam comparant suae ecclesiae, in qua Papa cum Cardinalibus, Episcopis et Praelatis est. Laici autem natant in mari, hoc est, sunt impliciti mundanis negotiis, nec salvarentur, nisi isti gubernatores arcae seu ecclesiae porrigerent natantibus aut tabulas, aut funes, quibus eos in arcam ad se pertrahunt. Tali enim pictura Monachi passim ecclesiam pinxerunt.

Origenes sanior est, quam Pontifices, qui fere ad mores allegorias accommodat. Sed Pauli regula servanda erat, qui analogiam fidei in Prophetia servandam esse praecipit; haec enim aedificat, et vere ad ecclesiam pertinet. De moribus etiam gentilium philosophi praecipere possunt, quanquam fidem plane ignorant.

Sic Paulus in epistola ad Corinthios (1. Cor. 10, 4.) dicit: „Israelitas babtisatos sub Mose in nube et mari". Hic si solum mores et verba spectes, etiam Pharao baptisatus est, sed sic, ut cum suis periret, Israel autem salvus et illaesus pertransiit. Sicut Noah et filii ejus servantur in hoc baptismate

di-

diluvii, reliquus autem totus mundus extra arcam hoc baptismate diluvii perit.

Haec apte et erudite dicuntur. Nam Baptismus et mors in scriptura sunt termini convertibiles. Ideo Paulus Rom. 6, (v. 3.) dicit: „Quicunque baptisati sumus, in mortem Christi baptisati sumus". Item Christus Luc. 12, (v. 50.): „Baptismo habeo baptisari, et quomodo angor, usque dum perficiatur". Et ad discipulos: „Baptisabimini baptismate, quo ego baptisor" Matth. 20, (v. 23.).

Secundum hanc significationem mare rubrum vere est baptismus, hoc est, mors et ira Dei, sicut in Pharaone apparet; et tamen Israel, qui tali baptismate baptisatur, pertransit illaesus. Sic diluvium vere est mors et ira Dei, et tamen servantur in medio diluvio fideles. Sic mors totum genus humanum haurit et absorbet; procedit enim ira Dei sine discrimine super bonos et malos, super pios et impios. Sicut non aliud erat diluvium, quod patiebatur Noah, et quod mundus patiebatur; non erat aliud mare rubrum, quod ingrediebatur Pharao et Israel. In eo autem postea differentia oritur, quod credentes in illa ipsa morte, quam cum impiis subeunt, servantur, impii autem pereunt. Sicut Noah servatur, quia habet arcam, hoc est, promissionem et verbum Dei, in quo vivit, impii autem, qui non credunt verbo, destituuntur.

Hanc differentiam voluit Spiritus sanctus ostendere, ut pii hoc paradigmate admoniti, crederent, et sperarent salutem per misericordiam Dei, etiam in media morte. Habent enim Baptismum conjunctum cum promissione vitae, sicut Noah arcam habebat. Etsi igitur eadem sit mors sapientis et stulti (mori-

tur enim Petrus, moritur Paulus non secus, quam postea Nero moritur et alii impii), tamen credunt, se in morte servatos iri ad aeternam vitam. Nec vana haec spes est; habent enim susceptorem spiritus Christum, qui in extremo die etiam corpora credentium excitabit ad aeternam vitam.

Haec allegoria habet magnum usum, et pertinet ad consolandas mentes, si quidem discrimen ostendit eventuum. Si carnis oculos sequaris, vera Salomonis sententia est (Eccles. 2, 16.), quod moritur simul sapiens et stultus, quod justus moritur, ac si Deo non sit dilectus. Sed huc spiritus oculi vertendi sunt, et observandum discrimen, quod Israel ingreditur mare rubrum, et servatur, Pharao, cum Israelis vestigia sequitur, immergitur fluctibus, et perit. Eadem igitur mors est, qua pii et impii pereunt, et quidem fere semper piorum mors ignominiosa, impiorum autem splendida et superba est; sed in oculis Dei mors peccatorum est pessima, sanctorum autem mors est pretiosa. Est enim per Christum consecrata, per quem fit initium aeternae vitae.

Sicut enim diluvium, sicut mare rubrum est seu minister, ut Noah et Israel ex morte liberentur, et in vita serventur, plane ad eum modum nostra mors, si permanserimus in fide, est occasio vitae. Cum enim filii Israel in extremo periculo essent positi, subito se aperit mare, et stat a dextris et sinistris tanquam aeneus murus, ut sine periculo transiret Israel. Cur autem hoc? Nimirum, ut sic mors serviret vitae. Est enim haec divina potentia, qua franguntur Satanae impetus. Sicut in Paradiso; nam ibi quoque hoc agebat, ut suo veneno universum genus humanum occideret. Sed quid fit? Hac vere felici

culpa, sicut ecclesia canit, efficitur, ut Filius Dei in nostram carnem descendat, et nos a tantis malis liberet.

Ad hunc modum allegoria haec pulchre docet, consolatur et erigit, ut neque mortem, nec peccatum metuamus, sed contemnamus pericula omnia, gratias Deo agentes, quod sic sumus vocati, et Deus sic nobiscum agit, ut ipsa mors, qua totus mundus perit, cogatur servire vitae, sicut diluvium, quo reliquus mundus peribat, erat occasio, ut Noah servaretur, et mare rubrum, quo Pharao tollebatur, serviebat saluti filiorum Israel.

Applicanda autem haec sunt ad alias quoque tentationes, ut discamus pericula contemnere, et spem habere, etiam ubi nulla spes videtur esse reliqua, ut, cum vel mors, vel aliud periculum ingruit, erigamus nos et dicamus: Ecce, hic est tuum mare rubrum, diluvium tuum, baptismus tuus et mors tua. Hic vita tua, (sicut philosophus de navigantibus dicebat) vix una palma distat a morte; sed noli metuere: periculum hoc est ceu pugillus aquae, contra habes per verbum diluvium gratiae; non igitur perdet te mors, sed erit impulsio et sublevamen ad vitam etc. Tantum enim abest, ut possit mors Christianum perdere, ut nullum ex morte sit praesentius effugium. Nam mors corporis proxime praecedit liberationem spiritus, et carnis quoque resurrectionem. Sicut ipsum Noah in diluvio non terra, non arbores, non montes portant, sed ipsum diluvium, quod tamen reliquos homines omnes occidit.

Merito igitur Prophetae ista mirabilia Dei facta toties celebrant, sicut transitum maris rubri, exitum ex Aegypto et similia. Ibi enim mare, quod natura

sua aliud non potest, quam obruere et perdere hominem, cogitur stare, et tegere hominem, ne fluctibus involvatur. Quod igitur natura sua nihil est, quam ira, fit credentibus gratia, quod nihil, quam mors est, fit vita. Quicquid igitur calamitatum est, quas haec vita tamen infinitas habet, quibus et res et corpora nostra infestantur, hoc totum, si in arca es, hoc est, si credis et apprehendis promissiones in Christo factas, vertetur in salutem et gaudium, adeo ut mortem, quae te abripit, necesse sit in vitam verti, et infernum, qui te haurit, in viam ad coelum.

Ideo Petrus dicit 1. Petri 3, (v. 21.), nos *quoque* per aquam salvari in Baptismo, qui per diluvium significatus est. Quia aqua, qua obruimur, seu ipsa submersio est mors. Et tamen ex ista morte seu submersione exsistit vita, propter arcam, in qua servamur, hoc est, propter verbum promissionis, in quo haeremus. Hanc allegoriam canonicae scripturae ostendunt; non solum autem tutum, sed in omnes partes quoque utile est, ut eam diligenter consideremus. Insignem enim consolationem etiam in extremis periculis suppeditat.

Patres ad hanc allegoriam etiam aliam addiderunt sumtam a forma et proportione arcae geometrica; humanum enim corpus a vertice usque ad plantam sexies longius est, quam latius. Iam arca in latitudine habebat cubitos quinquaginta, altitudo autem sexies erat major, nempe cubiti trecenti. Dicunt igitur, per arcam significari hominem Christum, in quo omnes promissiones haerent. Itaque qui in eum credunt, salvantur, et in diluvio, hoc est, ipsa morte vivunt.

Non inerudita nec invenusta haec cogitatio est, et, quod maxime probo, est fidei analoga. Itaque etsi in applicatione esset error, tamen fundamentum certum et firmum est. Ac non dubium est, Spiritum sanctum varie pinxisse promissiones per Christum exhibendas, et miraculosam rationem salvandi humani generis per fidem in Christum. Qui igitur ad hunc modum allegorias fingit, etsi minus propriae sint, non tamen sunt impiae aut scandalosae.

Sic si quis dicat, solem esse Christum, lunam autem ecclesiam, quae illuminatur gratia Christi, is, posito casu, quod erret, tamen ejusmodi error est, qui non nitatur erroneo, sed solido fundamento. Sed cum Papa dicit, solem esse Papalem dignitatem, lunam autem Caesarem, ibi non solum applicatio inepta et stulta, sed etiam fundamentum perniciosum et impium est. Non igitur a Spiritu sancto, sed a Diabolo et mendacii spiritu tales allegoriae excogitatae sunt et inventae.

Ad promissiones enim et fidei doctrinam allegoriae applicandae sunt, ut consolentur et confirment animos. Sicut Petri exemplum nos docet. Quia enim videt, Noah liberari in media morte, et arcam esse instrumentum vitae, recte arca applicatur ad Christum. Nam divina virtus sit necesse est, quae in media morte servat, et ad vitam traducit; sicut scriptura vocat Deum, qui eripit e morte Psalm. 68, (v. 21.) et facit, ut mors sit occasio, vel etiam adjumentum ad vitam.

Ex hoc eventu natae sunt illae phrases in sacris literis usitatae, quibus afflictiones et pericula comparantur calici inebrianti, insignis profecto tapinosis. Sicut Christi passio Psalm. 110, (v. 7.) ap-

pellatur potatio ex torrente, ac si quis dicat, esse medicinalem potum, seu syrupum, qui etsi amarus sit, tamen sua amaritudine sanet, et sua mortificatione vivificet. Valent autem hae extenuationes ad consolandos nos, ut mortem et alia pericula discamus contemnere, et alacriore animo subeamus ea.

Habet quoque Satan suum calicem, sed suavem et inebriantem ad vomitum: eum qui ebibunt, amittunt vitam, ista suavitate illecti, et moriuntur aeterna morte. Talis fuit calix, quem ebibit Babylonius, sicut est apud Prophetam (Ierem. 25, 15—27.). Nos igitur etiam cum gratiarum actione calicem salutaris *) accipiamus, sicut Paulus dicit (Rom. 5, 3.), gloriari fideles in tribulationibus.

Sed postquam hanc arcae quasi picturam, et diluvii significationem ex canonicis scripturis ostendimus, etiam de reliquis historiae partibus aliquid dicendum est, de corvo non redeunte, et de columbis, quarum prima rediit, nondum inveniens locum, in quo posset consistere, altera rediit et reportavit oleae ramum, tertia non rediit, quod terra jam nudata esset aquis.

Ac in historiae tractatione diximus, facta haec esse in consolationem Noah et filiorum ejus, ut certificarentur de ira Dei finita, et quod placatus jam esset. Non enim per industriam suam columba attulit ramum oleae; divina ea virtus et miraculum fuit: sicut serpens in Paradiso non ex sua industria locutus est, sed ex inspiratione Diaboli, a quo obsessus fuit. Sicut igitur ibi Satana movente serpentem, serpens locutus et homo in peccatum inductus est: ita hic columba non sua industria aut natura ramum

*) Fort. salutis.

oleae attulit, sed movente Deo, ut Noah certam consolationem ex hoc jucundissimo spectaculo hauriret. Nam oleae fructus non est cibus columbae; delectatur tritico, siligine aut viciis.

Certum igitur est, nonnullam significationem miraculosum hoc factum habere, praesertim cum Prophetae quoque non raro columbarum meminerint in Prophetiis de regno Christi, sicut Psalm. 68, (v. 14.) et Esaias cap. 60, (v. 8.). Salomon quoque in Canticis nomine columbae singulariter videtur delectatus. Non igitur haec pictura, quam allegoria ostendit, contemnenda plane, sed dextre et proprie tractanda est.

Notum autem est, quam de corvo allegoriam finxerint doctores. Quia enim corvi gaudent cadaveribus, judicaverunt, similitudinem esse hominum carnalium, qui delectantur carnalibus voluptatibus, et eis indulgent, sicut Epicurei. Bona quidem sententia, sed non sufficiens, quia tantum moralis et philosophica est, quales fere ad Origenis exemplum Erasmus solitus est fingere.

Nos autem theologicam decet quaerere. Primum enim non observant morales isti, quod corvo eam laudem tribuit scriptura, quod non sua sponte arcam deserat, sed a Noah quasi nuntius dimittitur, ut investiget, num aquae cessarint, et ira Dei finita sit. Sed corvus non redit, nec est tam laeti ominis nuntius; manet enim extra arcam, et quamvis it ac redit, tamen non patitur, se apprehendi a Noah, sed manet extra arcam.

Haec omnia pulcherrime conveniunt cum ministerio legis. Nam et nigredo, quam peculiarem habet, tristitiae signum est; et sonus oris insuavis est.

Tales sunt omnes doctores legis, qui docent operum justitiam; sunt enim ministri mortis et peccati, sicut Paulus ministerium legis, ministerium mortis appellat (2. Cor. 3, 6.). „Lex occidit" (Rom. 7, 10.). „Lex iram operatur" (ibid. 4, 15.). „Lex facit, ut peccatum sit excellenter peccatum" (ibid. 5, 20.).

Et tamen Moses cum ista doctrina divinitus mittitur, sicut corvum dimittit Noah. Vult enim Deus, doceri homines de moribus et sancta vita, vult, annuntiari iram et poenas certas transgressoribus legis. Et tamen tales doctores nihil sunt, quam corvi, qui oberrant circa aream, nec afferunt certum judicium placati Dei.

Lex enim talis est doctrina, quae non potest certas facere, erigere et consolari conscientias pavidas, sed magis terret, siquidem nihil aliud agit, quam ut doceat, quid Deus exigat a nobis, quid velit a nobis fieri. Dicit autem contra nos testimonium conscientia nostra, quod non solum non praestiterimus voluntatem Dei in lege revelatam, sed etiam diversum fecerimus.

Recte igitur de doctoribus legis dicitur, quod in quinto Psalmo (v. 10.) est: „Nihil certi est in ore eorum". (Nostra translatio habet: „In ore eorum non est veritas"). Nam cum perfectissime docent, dicunt: Si hoc feceris, si illud feceris, salvus eris. Itaque Christus quoque per ironiam scribae respondet magnifice legis doctrinam efferenti (Luc. 10, 28.): „Hoc fac et vives". Ostendit enim ei, quod doctrina sancta et bona sit; sed cum nos vitiosi simus, culpa in nobis est, qui eam non praestamus, nec praestare possumus.

Recte igitur pronuntiamus, quod operibus le-

gis, non caeremonialibus, sed illis summis, dilectione Dei et proximi, non justificamur. Ratio est, quia ea praestare non possumus.

Merito autem adversariorum impudentiam arguimus, qui, cum nos justitiam operum negamus, clamant, nos bona opera prohibere, et damnare legem Dei. Hoc faceremus, si non agnosceremus, corvum ex arca a Noah emissum. Sed dicimus, corvum esse ex arca dimissum; hoc autem negamus, quod aut corvus non sit, aut columba sit. Omnes autem adversariorum clamores, convicia, blasphemiae nos ad hoc mendacium volunt cogere, ut ex corvo columbam faciamus.

Atqui inspice libros eorum, considera diligenter doctrinam: nonne tantum operum doctrina est? Hoc pulchrum, hoc honestum est, dicunt, id facito; illud foedum et turpe est, igitur fugito. Haec cum docent, putant, se theologos et doctores veros esse. Sed da demonstrandi, ubi sit, qui aut fecerit, aut facturus sit illa omnia, praesertim, si non tantum, ut illi, secundam tabulam, sed primam quoque accurate proponas.

Qui igitur consistit in hac doctrina legis, vere nihil est, quam auditor, nec discit aliud, quam ut sciat, quid sit faciendum. Itaque satis fuerit, si nihil aliud volentibus discere, proponas Catonis carmen, aut Aesopum, quem meliorem morum magistrum esse judico. Atque ideo utiliter ambo proponuntur juvenibus: adultiores Ciceronem discant, cui miror, quod quidam in morali disciplina Aristotelem anteponunt: hoc quasi curriculum rationis est. Itaque quod ad ipsa praecepta morum attinet, non potest Ethnicorum industria et diligentia reprehendi. Sunt

tamen omnes infra Mosen, qui non tantum mores, sed etiam Dei cultum ostendit. Et tamen verum est, quod, qui apud Mosen consistit, nihil habet, quam corvum oberrantem extra arcam; de columba et ramo oleae nihil habet.

Ergo haec pictura est non solum legis divinitus traditae, sed universae rationis et prudentiae humanae, omnium legum et totius philosophiae. Tantum enim dicunt, quid faciendum sit, non autem suppeditant facultatem faciendi. Igitur judicium Christi Lucae 17, (v. 10.) verum est: „Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi sumus inutiles“.

Emittitur quidem corvus; vult enim Deus, *doceri* legem, et eam revelat divinitus, imo omnium hominum mentibus eam inscribit, sicut Paulus probat, Rom. 2, (v. 15.). Et sunt ex hac ipsa naturali cognitione omnes philosophorum saniorum libri nati, sicut Aesopi, Aristotelis, Platonis, Xenophontis, Ciceronis, Catonis. Recte igitur proponuntur rudibus et ferocioribus naturis, ut aliquo modo disciplina hac corrigantur vitiosi impetus.

Sed revera, si de conscientia pacanda, et certa spe vitae aeternae quaeras, sunt tanquam corvus, qui circa arcam hic oberrat, pacem foris non invenit, intus autem in arca non quaerit. Sicut Paulus de Iudaeis dicit, Rom. 9, (v. 31.): „Israel sectando justitiam legis, ad justitiam non pervenit“. Ratio est, quia lex est sicut corvus, est ministerium mortis et peccati, aut facit hypocritas.

Iam qui vult, amplificet hanc allegoriam, et quaerat proprietates hujus avis. Impurum est animal, nigro et funesto colore, duro rostro, insuavi voce

t ferali. Officit cadavera, quantumvis per longinuum spatium, ac horrent ideo homines vocem ejus, anquam certum omen futuri funeris. Pascitur cadaveribus, gaudet iis locis, quae publicis suppliciis oeda sunt.

Haec omnia et singula etsi legi non accommodamus, tamen quis non videt, bellissime convenire Papistis, Sacrificulis, Monachis, qui non solum ex occisis conscientiis per falsam doctrinam splendide sunt pasti, sed etiam mortua cadavera ad victum suum transtulerunt, dum vigiliis, anniversariis, lustralibus aquis ad sepulcra, ipso Purgatorio quoque ad parandos numos usi sunt. Ac sane ista mortuorum cura plus eis profuit, quam vivorum.

Vere igitur corvi sunt, victitantes cadaveribus, et iis insidentes cum feralibus vociferationibus. Haec Papistis cum corvis belle conveniunt, sed vere totum ministerium Papatus, ubi est optimum, nihil aliud facit, quam quod excarnificat et occidit conscientias. Ad veram justitiam non perducit, sed tantum hypocritas facit, sicut lex quoque.

Apud Ezechielem cap. 13, (v. 19.) extat inter reliqua Pseudoprophetarum peccata etiam hoc, quod propter pugillum hordei et fragmentum panis interficiant animas, quae non moriuntur, et vivificent animas, quae non vivunt.

Id proprium est corvorum, seu doctorum legis. Nam eos justificant, qui ad praescriptum legis vivunt, sed hi vere sunt animae, quae non vivunt; contra eos damnant, qui traditiones violant; sicut Pharisaei damnabant discipulos vellentes spicas, non lavantes, non jejunantes. Haec feralis vox et fu-

nosta est, cujus nos corvi admonere debent, insidentes cadaveribus.

Graeci imprecatari malum, proverbio dicebant: ἐς κόρακας. Idem Germani imitantur, cum jubent corvorum escam fieri, Das dich die Raben fressen. Hanc imprecationem si ad allegoriam transferimus, profecto longe gravissima est. Quid enim potest esse pestiferum magis, quam tales doctores habere, qui, cum optime docent, tantum occidunt, et involvunt conscientias in inexplicabiles difficultates.

Haec de corvo allegoria ad ministerium translata, etsi quis non dicat esse propriam; tamen vera est, et convenit cum fundamento, ac ad docendum non solum aptissima, sed etiam utilissima est.

Sed quae de columba Moses commemorat, ea vero suavissimum simulacrum evangelii referunt, praesertim si proprietates columbae diligenter sequaris, quas decem numerant. 1. Caret felle. 2. Ore non laedit. 3. Ungue non nocet. 4. Grana pura legit. 5. Alienos nutrit foetus. 6. Gemit pro cantu. 7. Ad aquas residet. 8. Gregatim volat. 9. In tuto nidificat. 10. Velox volatu. Hae decem proprietates his sex versibus comprehensae sunt:

Felle columba caret, rostro non laedit, et ungues
Possidet innocuos, granaque pura legit.
Estque frequens ad aquas, pennaque per aëra fertur
Praepete, pro cantu lugubre voce gemit.
Educat alterius pullos, volitatque gregatim,
Et studet in tutis nidificare locis.

Ac novum testamentum (Matth. 3, 16.) ostendit, specie columbae Spiritum sanctum apparuisse. Itaque recte transferimus allegoriam ad ministerium gratiae.

Ostendit autem Moses, columbam non oberrasse circa arcam, sicut corvum, sed emissam, postquam non invenit, ubi sederet, rediisse ad arcam, et apprehensam esse a Noah.

Haec columba est sanctorum Prophetarum imago, qui quidem missi sunt, ut docerent populum; sed diluvium, hoc est, legis tempus nondum abierat. Sic David, Elias, Esaias, etsi tempus gratiae seu novi testamenti non attigerunt, tamen missi sunt, ut essent nuntii diluvii finiendi, etsi nondum finitum esset. Itaque functi legatione sua redierunt ad arcam, hoc est, justificati et salvati sunt sine lege per fidem in semen benedictum, in quod credebant et exspectabant.

Post hanc columbam emittitur alia, quae invenit terram desiccatam, et non solum montes, sed arbores quoque nudatas aqua. Sed haec uni oleae insidet, et decerptum ramum ad Noah affert.

Hanc allegoriam scriptura etiam ostendit, quae non uno in loco comparat oleum gratiae, seu misericordiae, seu remissioni peccatorum. Hanc columba in ore affert, ut significetur externum ministerium, seu verbum vocale. Non enim Spiritus sanctus (sicut enthusiastae et Anabaptistae, vere fanatici doctores, somniant) docet per novas revelationes extra ministerium verbi. Ideo voluit Deus, ramum virentis oleae in ore deferri ad Noah, ut intelligeremus, Deum in novo testamento, cessante diluvii seu irae tempore, per vocale verbum misericordiam suam mundo velle ostendere.

Hujus verbi nuntii sunt columbae, hoc est, homines sinceri, et sine felle, pleni Spiritu sancto. Ideo Esaias quoque (60, 8.) comparat ministros evange-

lii seu gratiae „columbis volantibus ad notas fenestras". Et Christus etsi jubet eos, Matth. 10, (v. 16.) imitari simplicitatem columbae *), hoc est, esse sinceros et sine virulentia, tamen hortatur, ut sint prudentes sicut serpentes, hoc est, sint intenti in falsos et insidiosos, et cauti, ut serpens dicitur singulari arte caput tegere in dimicatione.

Quod autem olea viret, convenit id quoque cum verbo evangelii, quod in aeternum manet, et nunquam est sine fructu. Ideo Psalmus quoque (1, 3.) comparat homines verbi studiosos arbori, cujus folia non defluunt. Nihil simile audivimus supra de corvo ad arcam oberrante. Igitur haec columba, quae secunda emittitur, est typus novi testamenti, ubi aperte, per sacrificium Christi, promittitur remissio peccatorum et gratia. Ideo Spiritus sanctus in novo testamento in specie columbae etiam apparere voluit.

Tertia columba non rediit. Impleta enim promissione evangelii, quod per os columbae orbi terrarum annuntiatur, nihil restat, non exspectatur alia nova doctrina. Sed simpliciter exspectatur revelatio eorum, quae credidimus. Igitur pertinet hoc eo quoque, ut habeamus certum testimonium, doctrinam hanc duraturam usque ad finem mundi.

Textus quoque diserte addit de tempore, quod post columbam primo emissam, septem dies exspectarit Noah. Igitur isti septem dies sunt tempus legis, quod oportuit praecedere tempus novi testamenti.

Similiter meminit de altera columba, quod sub vesperam redierit ad arcam, portans ramum olivae.

---

*) Fort. columbarum vel simplicitate columbae.

Nam evangelio illa quasi postrema mundi aetas destinata est. Nec debet exspectari aliud doctrinae genus, sicut Christus evangelium ideo coenae comparat. Matth. 22, (v. 2.). Lucae 14, (v 16.).

Fuit quidem doctrina evangelii in mundo, jam inde usque a lapsu primorum parentum, ac variis signis promissionem hanc confirmavit Deus Patribus. Priora tempora nescierunt iridem, nescierunt circumcisionem, nescierunt alia divinitus postea instituta. Sed norunt omnia saecula benedictum semen. Id cum exhibitum sit, nihil restat, quam ut, quae credimus, revelentur, et ut cum tertia columba avolemus in aliam vitam, nunquam ad hanc miseram et calamitosam vitam reversuri.

Haec mea cogitatio est de hac allegoria, quam breviter volui indicare. Non enim, sicut in historiis et fidei articulis, longius eis immorandum est.

Origenes, Hieronymus, Augustinus, Bernardus in allegoriis multi sunt. Sed hoc incommodi habent: dum diutius eis insistunt, avocant animos ab historia et fide, et quasi fugere faciunt; cum tamen allegoriae sic tractandae, et in id instituendae sint, ut excitetur, augeatur, illustretur et confirmetur fides, quam historiae ubique ostendunt. Hanc autem qui in historiis non quaerunt, nihil mirum est, quod allegoriarum umbras tanquam amoena diverticula quaerunt, in quas exspatientur.

Sicut igitur in Papatu videmus, musicos modos ecclesiasticorum carminum esse suavissimos, cum verba non solum plerunque inepta, sed etiam impia, et scripturae contraria sint: ita bonum historiae sensum, et ad fidem utilem, saepius ineptis allegoriis doctores depravarunt.

At saepe dixi, qualis theologia esset, cum ego primum hoc genus studii ingrederer. Literam dicebant occidere (2. Cor. 3, 6.). Igitur oderam ego prae omnibus interpretibus Lyram, quod tam diligenter literalem sententiam persequeretur. Sed nunc hanc ipsam ob commendationem omnibus fere scripturae interpretibus eum antepono.

Et moneo vos, quanto possum studio, ut in historiis aestimandis velitis diligentes esse. Sicubi autem allegoriis vultis uti, hoc facite, ut sequamini analogiam fidei, hoc est, ut accommodetis eas ad Christum, ecclesiam, fidem, ministerium verbi. Sic enim fiet, ut, etsi allegoriae minus sint propriae, tamen non aberrent a fide. Hoc fundamentum igitur stet firmum, stipulae autem pereant. Sed redeamus ad historiam.

Coepitque Noah vir agricola exercere terram, et plantavit vineam; bibensque vinum inebriatus est, et nudatus est in tabernaculo suo. Videns igitur Ham, pater Canaan, patrem suum nudum, indicavit id duobus fratribus, qui foris erant.

Qualis fuerit Noah in diluvio, satis ostendit ipsa diluvii historia. Qualis autem fuerit ante diluvium, paucis verbis ostendit Moses, cum dixit, justum et perfectum fuisse. Aliud de tanto viro nihil memoratur, nisi quod mirabilis et paene incredibilis continentia ejus obscure indicatur et commendatur, cum dicitur, quingentesimo primum anno generasse. Ac arguit hoc ipsum, naturam hominis tam multo fortiorem et meliorem, Spiritum sanctum autem efficaciorem et copiosiorem fuisse in sanctis viris origina-

lis

lis mundi, quam in nobis hodie est, qui sumus quasi faex et finis mundi.

Ac sane magna commendatio Noah est, quod justus et integer coram Deo fuisse commemoratur, hoc est, plenus fide et Spiritu sancto, ornatus castitate et omnibus bonis operibus, purus in cultu et religione, multas perpessus tentationes a Diabolo, mundo et se ipso, quas omnes tamen vicit et triumphavit. Talis fuit ante diluvium Noah.

Post diluvium autem, etsi pauca commemorat Moses, tamen quis non videt, quoniam trecentos et quinquaginta circiter annos post diluvii tempus vixit, tantum virum non potuisse otiosum esse, sed occupatum gubernatione ecclesiae, quam solus instituit et gubernavit?

Ergo primum Episcopi munere functus est, et, quia variis tentationibus vexatus fuit, praecipua ejus in eo cura fuit, ut Diabolo se opponeret, et tentatos consolaretur, errantes in viam reduceret, dubitantes confirmaret, desperantes erigeret, impoenitentes excluderet ex sua ecclesia, poenitentes paterno gaudio reciperet. Haec enim fere sunt, quae per ministerium verbi ab Episcopo geri debent.

Deinde etiam habuit suas politicas occupationes, constituendis rebus publicis, figendis legibus, sine quibus libido hominum non potest constringi. Ad haec accessit propriae domus gubernatio, seu oeconomica cura.

Tot et tam variis occupationibus cum ratio ostendat Noah post diluvium esse districtum, tamen nihil horum a Mose commemoratur. Hoc unum Mosi necessarium visum est, quod indicaret, quomodo coe-

perit plantare vineam, et inebriatus jacuerit in tabernaculo nudus.

Atqui stulta et plane inutilis haec historiola est, si ad caeteras res ab eo praeclare tanto annorum numero gestas conferas. Aedificare enim alia potesant, et servire ad vitam recte instituendam, si commemorarentur. Haec autem historia etiam scandalo occasionem dare videtur, et patrocinari ebriosis, ac postea per ebrietatem peccantibus.

Sed quod Spiritus sancti consilium sit, notum est ex doctrina nostra. Voluit enim pios, qui agnoscunt infirmitatem suam, et ideo dejiciuntur animis, consolari commemoratione et scandalo lapsuum in sanctissimis et perfectissimis Patriarchis, ut in *illis* nostrae infirmitatis certa argumenta deprehenderemus, et ideo humili confessione nos abjiceremus, non solum ad petendam, sed etiam ad sperandam veniam. Haec vera et theologica causa est, cur Spiritus sanctus, aliis maximis rebus omissis, commemoret de insigni lapsu tanti viri.

Lyra excusat Noah, quod ignorarit vim vini, et deceptus sit bibendo plusculum. Sed ego primum existimo, sive vinum antea fuerit, sive ingenio Noah ex divino instinctu primum plantatum sit, non ignorasse Noah hujus succi naturam, et antehac una cum suis saepe usum vino, tum pro suo corpore, tum in sacrificiis etiam seu libationibus. Sed dum voluit aliquando recreationis causa vino uti, plus adbibisse credo.

Hoc autem neutiquam excuso. Nam qui hoc vellet, gravioribus posset uti rationibus, quam Lyra, quod homo aetate gravis, et multitudine quotidianorum negotiorum et curarum exhaustus, vino, cui as-

suetus jam erat astrictus sit. Nam facilius eos vincit vinum, qui aut laboribus exhausti, aut senio graves sunt. Contra homines firmi aetate, et soluto animo, plurimum vini capere possunt, sine insigni laesione rationis.

Sed qui ad hunc modum excusant Patriarcham, volentes hanc consolationem, quam Spiritus sanctus ecclesiis necessariam judicavit, abjiciunt, quod scilicet etiam summi sancti aliquando labuntur.

Etsi enim hic lapsus perexiguus videtur, tamen magnum excitat scandalum. Offenditur non solum Ham, sed etiam fratres reliqui, forte etiam uxores. Non autem est, ut putemus, Ham fuisse puerum septennem; natus enim est quingentesimo Noah anno. Igitur, ut minimum, centum annorum fuit, et jam ipse quoque unam aut alteram prolem habuit.

Non igitur ex quadam puerili levitate Ham risit patrem Noah, quemadmodum pueri, cum in plateis ebrium rusticum circumsistunt, et ludos ex eo faciunt. Nam vere offensus est illo lapsu patris, visus sibi justus, sanctus, religiosus prae patre. Non igitur sola scandali species hic est, sed ipsa res et verum scandalum, si quidem filius Ham ita offenditur illa patris ebrietate, ut et judicet patrem, et in isto ejus peccato delectetur.

Nam si de peccato Ham recte volumus disputare, ad peccatum originale respiciendum, hoc est, cordis pravitas intuenda est. Nunquam enim vino victum patrem filius risisset, nisi prius ejecisset animo illam reverentiam et opinionem, quae in liberis de parentibus ex mandato Dei exsistere debet.

Sicut igitur Noah ante diluvium a maxima mundi parte pro stulto habitus, pro Haeretico damnatus,

et tanquam furiosus homo contemtus est: ita hic filius eum tanquam stultum ridet, ut tanquam peccatorem damnat. Ac quia et ecclesiam, et rempublicam, et oeconomiam solus Noah sua diligenti cura et labore gubernabat ac sustinebat, quis dubitat, multa ab eo facta, quae superbum et arrogantem filii animum offenderent? Sed dissimulavit hanc animi malignitatem filius hactenus, quae nunc in manifesto patris peccato erumpit.

Ad hunc quasi fontem hujus peccati respiciendum est: tum primum atrocitas rei recte patescet. Nemo fit adulter, nemo caedem facit, nisi prius timorem Dei ejecerit ex animo. Sic discipulus non insurgit contra magistrum suum, nisi prius omnem reverentiam, praeceptori debitam, deposuerit.

Sic Psalmus decimus quartus (v. 2.) primo dicit, Dominum despexisse de coelo, ut videret, si esset, qui aut intelligeret, aut requireret Deum. Postquam autem neminem esse videt, addit, non fecisse, quod bonum esset, inutiles fuisse, peccasse lingua, peccasse manu, timuisse, ubi non erat timor etc.

Ad hunc modum Ham sibi visus est sapiens et sanctus, et suo judicio multa censuit a patre male aut stulte facta. Haec non solum arguunt animum contemtorem parentis, sed etiam mandati divini. Itaque nihil restat maligno filio, quam ut occasionem captet, qua uti tanquam testimonio possit, ad traducendam patris stultitiam. Non igitur sicut puer ebrium patrem ridet, non tanquam ad ridiculum aliquod spectaculum fratres convocat. Evidens hoc vult esse testimonium, quod Deus deseruerit patrem, et se receperit. Itaque hoc peccatum patris cum volup-

tate superavit annis plures; non enim, sicut antea dixi, septennis puer, sed, ut minimum, centum annorum Ham est.

Haec pravitas propria est peccati originalis, quod facit arrogantes, superbos et sapientes ultra mensuram, cum, sicut Paulus Rom. 12, (v. 3.) monet, „sapiendum sit cum moderatione, seu sobrie, secundum mensuram fidei, quam singulis distribuit Deus“. Sed in hoc gradu peccatum originale non patitur consistere ipsum Ham; itaque arrogat sibi ultra suam mensuram judicium in patrem.

Idem videmus in Absalone. Priusquam seditionem movet contra patrem David, inique judicat de ejus gubernatione. Hanc displicentiam, ut sic vocem, quam ex patris gubernatione haurit, sequitur postea manifestus contemtus, et aperta vis ad opprimendum patrem. Hoc veneno cum cor Ham plenum esset, quod, tanquam araneus, ex patre, ceu optima rosa, collegit, sequitur talis fructus.

Monent autem haec exempla, et docent nos de pugna, quae ab initio mundi fuit inter ecclesiam et Satanam ac Satanae membra, hypocritas, seu falsos fratres. Itaque hoc factum Ham non est transferendum ad aliquem puerilem lusum, sed ad acerbissimum odium Satanae, quo inflammat sua membra contra veram ecclesiam, et praecipue contra eos, qui sunt in ministerio, ut intenti in omnes occasiones, observent, si quid in calumniam potest rapi.

Sic videmus, Papistas hodie nihil aliud agere, quam ut observent totam nostram conversationem hoc calumniandi studio. Si quid igitur aliquando humani patimur, sicut profecto infirmi sumus, et patimur etiam nostra incommoda, ibi demum tanquam

quodam immedicabili, sicut Ham, qui amissa pietate in Deum et patrem, dum ecclesiam se rectius gubernare posse credit, et patrem tacitus aut ridet, aut damnat, hic in tale spectaculum incidit, ut istam de patre malam et irreverentem opinionem confirmet etiam coram aliis.

Hujus impietatem alii duo fratres, Sem et Iapheth, non sequuntur, sed manent in reverentia Dei et patris. Vident quidem scandalum, quod pater sit ebrius, quod jaceat nudus, sine omni pudore, sicut puer, intelligunt, quam hoc non deceat gubernatorem ecclesiae et politiae: sed non patiuntur, ideo sibi excuti reverentiam parenti debitam: devorant scandalum hoc, tegunt et quasi ornant hanc infirmitatem, dum aversi oculis accedunt patrem, et veste eum operiunt. Hanc externam, et profecto jucundam reverentiam patri non habuissent, nisi intus in corde veram de Deo opinionem habuissent, et patrem judicassent, divina potestate constitutum pontificem et regem.

Horribile igitur exemplum in Ham proponitur, qui cum paucis in diluvio servatus, omnis pietatis obliviscitur. Utile autem est diligenter considerare, quomodo hic casus ei accidat. Nam externa peccata, quae corpore admittimus, prius in animo fiant necesse est, hoc est, priusquam peccatur opere, cor discedit a verbo et timore Dei, non intelligit, nec requirit Deum, sicut Psalm. (14, 2.) dicit. Tale postquam cor esse coepit, ut negligat verbum, et contemnat ministros et Prophetas Dei, sequitur ambitio et superbia, obruuntur odiis et detractionibus, quos obsistere cupiditatibus nostris videmus, donec etiam post contumelias etiam caedes sequuntur.

Ergo, qui gubernaturi sunt vel ecclesias vel politias, omni studio hoc agant, et quotidianis precibus a Deo flagitent, ut maneant in humilitate. Ad hanc enim curam hujusmodi historiae nos excitare debent. Quae occasio tam horribilis lapsus in Ham sit, videmus.

Igitur cum videmus, sanctos labi, non offendamur, multo minus superbiamus in aliorum infirmitate, aut gaudeamus, quasi nos fortiores, sapientiores, sanctiores simus: sed potius feramus, tegamus, etiam ornemus et excusemus, quantum possumus, talia errata, cogitantes, quod, quae ille hodie passus est, fortasse nos cras patiemur. Sumus enim una massa, et omnes de una carne nati; quare regulam Pauli (1. Cor. 10, 12.) potius discamus, ut „qui stat, videat, ne cadat".

Ad hunc modum reliqui duo fratres ebrium parentem adspexerunt. Cogitarunt: Ecce pater noster lapsus est; sed mirabilis Deus in sanctis suis, quos sinit aliquando labi, nobis ad consolationem, ne circumventi simili infirmitate desperemus. Horum sapientiam nos quoque imitemur. Non enim aliorum peccata nobis faciunt potestatem judicandi eos; „stant et cadunt suo Domino" (Rom. 14, 4.). Deinde si nobis displicet aliorum ruina (sicut profecto excusari multa nec debent nec possunt), caveamus tanto studiosius, ne quid tale nobis accidat, non autem superbe et arroganter judicemus. Hoc enim peccati originalis vitium est, velle sapere ultra mensuram, et justitiae laudem ex aliorum erratis venari.

Sumus nos profecto infirmi peccatores, et libenter confitemur, sicut homines, non semper carere conversationem nostram scandalis. Sed cum hoc no-

his cum adversariis commune sit, facimus tamen officium nostrum diligenter plantando verbum Dei, docendo ecclesias, emendando vitiosa, monendo recta, consolandis infirmis, objurgandis praefractis, et si quid aliud ministerium nobis divinitus mandatum exigit.

E contra adversarii nostri, sicut nihil venantur, quam hypocrisin et speciem sanctitatis, ita ad communem infirmitatem addunt gravissima peccata, quod non insistunt vocationi, occupantur cura dignitatis et opum. Ecclesias negligunt, et misere patiuntur collabi, sanam doctrinam damnant, et docent idolatriam. In summa, foris sapiunt, domi extreme desipiunt. Hoc malum in ecclesia perniciosissimum est.

Haec est prima pars historiae, quam solam Moses voluit scribere, cum certum sit, justum Noah multis et heroicis virtutibus ornatum fuisse, ac maximas res tum in ecclesia, tum republica gessisse. Non enim sine summa industria politiae constitui, et ecclesiae institui possunt. Et habent haec duo genera vitae (de oeconomia nihil dico) plurimorum periculorum occasiones. Nam Satan, qui mendax et homicida est, acerbissime odit tum ecclesiam, tum politias.

Sed haec vera κατορθώματα omnia Moses praeterit, ac ne verbo quidem attingit. Hoc unum commemorat, quomodo Noah inebriatus et a juniore filio ludibrio habitus sit, tanquam insigne exemplum, ex quo pii discant confidere misericordiae Dei: contra superbi, religiosuli, sanctuli, sapientuli discant timere Deum, et abstineant a temeritate judicandi alios. Deus enim est mirabilis in sanctis suis, et terribilis, sicut Manassé rex dicit (Manasse v. 5.) „su-

per impios et peccatores". Sicut exemplum Ham ostendit, qui non hoc primum tempore periit, sed diu aluit hoc in patrem odium, postea etiam mundum idolatria replevit.

At vero Sem et Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, et aversi ingredientes operuerunt nudata verenda patris sui aversa facie, ne viderent pudenda patris sui. Et evigilavit Noah a vino, et cognovit, quae fecerat ei filius suus minor, et ait: Maledictus Canaan; servus servorum erit fratribus suis.

Profecto insigne et memorabile exemplum reverentiae in patrem Moses hoc loco commemorat. Potuissent filii sine peccato accedere, et tegere patrem non aversi. Quale enim peccatum esset, si quis casu incideret in hominem nudum, et videret, quae invitus videret? Sed hoc duo filii non faciunt; cum audiunt ex superbo et ridente fratre, quid patri acciderit, imponunt pallium ambo in humeros, et aversi (mira res) ingrediuntur tabernaculum, ac pallium aversi demittunt, atque ita patrem tegunt.

Hic quis non videt animum respicientem ad voluntatem et verbum Dei, et reverentem patriam majestatem, quam Deus vult honore affici, non vult contemni aut rideri a liberis?

Itaque significat Deus, se hanc habere pro gratissimo sacrificio, pro cultu et obsequio summo, ubi contra extremo odio odit Ham, qui videre poterat, quae vidit, si quidem casu incidit in id spectaculum, si modo texisset, si modo tacuisset, et non peccato patris delectari se ostendisset. Sed contemtor Dei,

verbi et ordinis divinitus instituti non solum patrem sua veste non tegit, sed etiam ludos ex eo facit, et ita nudum relinquit.

Significat igitur Moses in descriptione facti duorum fratrum insignem malitiam Ham, quod Satanicum et acerbissimum odium in eo fuerit contra patrem. Nam quis nostrum hominem ignotum et alienum, vino oppressum et nudum, saltem ipsius veste in via non tegeret ad cavendam turpitudinem? Quanto autem magis hoc patri faciendum erat? Sed Ham non solum hoc non praestat patri et tum summo principi orbis terrarum, quod humana ratio, alienis ut faciamus, docet; sed etiam cum gaudio *prodit*, ebrio patri insultat, et fratribus tanquam laetum *nuntium* peccatum patris ostendit.

Moses igitur Ham proponit tanquam horribile exemplum in ecclesia diligenter inculcandum, ut discat juventus revereri majores, magistratus, parentes. Non enim propter Noah, non propter Ham, sed propter posteros et nos omnes haec historia scripta est, et Ham, contemtor Dei et parentis, foedissimis coloribus depictus.

Ac praecipue diligenter praemium ostensum est tantae impietatis. Nam Noah in oculis filii stultus, delirus et ridiculus senex, nunc prodit in majestate prophetica, ac praedicat filiis revelationem divinam de futuris eventibus. Verum igitur est, quod Paulus (2. Cor. 12, 9.) dicit: „Virtus in infirmitate perficitur". Nam illa certitudo, qua hic concionatur Noah, argumentum est, quod plenus sit Spiritu sancto, cum tamen filius eum riserit ac contemserit, tanquam omnino a Spiritu sancto derelictum.

Omitto hic disputationem, quam supra attigi de

ordine filiorum Noah, quis primogenitus, quis ultimus natu fuerit. Hoc magis utile est, et observata lignum, quod Spiritus sanctus tam ingenti ira commoveatur contra inobedientem et contemtorem filium, ut ne nominare quidem proprio nomine velit, sed Canaan appellat a filio. Quidam dicunt: Quia Deus voluit Ham in arca cum aliis quasi benedictum servare, ideo Noah non voluit eum maledicere, sed filium ejus Canaan: tamen maledictio filii redundat in patrem, qui meruit. Perit igitur hic nomen Ham, si quidem id Spiritus sanctus odit, quod profecto grave odium est. Sicut in Psalmo quoque dicitur: „Perfecto odio oderam eos" (Psalm. 139, 22.). Quando enim Spiritus sanctus odisse et irasci incipit, sequitur aeterna mors.

Etsi autem multa filius Ham in patrem peccavit, hoc tamen maxime insigne fuit, in quo fluctus primi peccati et malitia Satanica ostensa est per occasionem istam, quod pater ebrius nudus jacuit. Hoc peccato cum reliqua quasi absoluta et completa sunt, damnat eum Spiritus sanctus, et in terrorem aliorum minatur et aeternam servitutem.

Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, et sit Canaan illi in servum.

Sunt hae duae magnae et insignes prophetiae, et bene considerandae. Nam etiam ad nostra secula pertinent; quanquam a Iudaeis insigniter depravatae sint. Vident, Ham ter maledici; id rapiunt in suae gentis gloriam, et promittunt sibi corporalem dominationem, seu imperium.

Sed alia repetitae toties maledictionis causa est, quod scilicet Deus non potest oblivisci tantae irreverentiae

in parentes, nec sinit eam impune esse. Vult enim coli parentes et magistratus; vult honorem deferri majoribus natu; sicut jubet, ut assurgatur cano capiti (3. Mos. 19, 32.). Et de ministris ecclesiae dicit: „Qui vos spernit, me spernit" (Luc. 10, 16).

Manifestum igitur signum imminentis maledictionis et calamitatis est inobedientia erga parentes; sicut etiam contemtus ministerii et magistratus. Cum enim inciperent Patriarchae in primo mundo ridere, et auctoritatem eorum contemnere, sequebatur diluvium. Cum in populo Juda inciperet puer tumultuari contra senem, sicut Esai. 3, (v. 5.) est, ruit Hierusalem, et concidit Juda. Haec morum corruptela omen certissimum est futuri mali; itaque Germaniae quoque merito timemus, in tanta disciplinae dissolutione.

Notanda autem hic regula est, quam et experientia et sacrae literae ostendunt. Quia enim Deus differt poenas, quas minatur, ideo ridetur, ideo mentiri judicatur. Hanc regulam et hoc tanquam sigillum omnibus prophetiis debemus addere. Audit Ham, se maledici; sed quia non statim maledictionem sentit, secure contemnit eam, et ridet.

Sic primus mundus risit Noah vaticinantem de diluvio. Si enim credidisset, tantas poenas imminere, num potes, ita secure perrexisset, ac non potius emendasset vitam, et egisset poenitentiam? Ad hunc modum Ham si judicasset vera, quae ex patre audierat, confugisset ad misericordiam, et deprecatus esset crimen admissum. Sed neutrum facit: discedit potius superbe a patre in Babylonem; ibi occupatur cum sua posteritate aedificanda urbe et turri, ac totius majoris Asiae dominum se constituit.

Hujus securitatis quae causa est? Haec nimirum, quod prophetiae divinae tantum sunt credibiles, non sunt sensibiles, nec experimentales; idque in utramque partem, sive sint promissiones, sive comminationes. Ideo semper contrarium videtur carni verum esse.

Maledicitur Ham a patre; sed tenet maximam partem orbis terrarum, et constituit amplissima regna. Contra Sem et Iapheth benedicuntur, sed si hos cum Ham conferas, vere mendici sunt cum posteritate sua.

Ubi igitur manet veritas hujus vaticinii? Respondeo: Vaticinium hoc et alia omnia, sive promissiones sint, sive comminationes, sensu sunt incomprehensibilia, ac fide tantum intelligibilia. Differt enim Deus tum poenas, tum praemia; itaque perseverantia opus est. „Qui enim perseveraverit usque in finem, salvus erit“: sicut Christus Matth. 24, (v. 13.) dicit.

Et est piorum vita omnis tantum in fide et spe. Nam si sensum, si res, si exempla mundi sequaris, omnia sunt in contrarium. Maledicitur Ham, et tamen solus dominatur; benedicuntur Sem et Iapheth, sed hi soli ferunt maledictiones, et varie affliguntur. Igitur quia Deus in longum tum promittit, tum minatur, fide exspectandum est. „Etsi enim, ut Habacuc (2, 3.) dicit, moram fecerit, tamen veniens veniet, et non tardabit“.

Magna igitur ira Spiritus sancti hoc in loco proponitur, cum de Ham dicit: „Sit servorum servus“, hoc est, infimus et vilissimus servus. Sed si historiam inspicias, videbis, eum dominari in Canaan, Abraham autem, Isaac, Iacob et alios posteros, qui

benedictionem habent, tanquam servos inter Cananaeos habitare. An, quia Aegyptii Ham posteri sunt, quorum miserabili servitute Israel ibi opprimitur?

Quomodo igitur verum est, quod Ham maledictus, et Sem benedictus sit? Sic scilicet, quod expectanda fuit veritas promissionis et comminationis divinae. Fit autem dilatio haec ideo, ut et impii impleant mensuram suam, et Deus non possit argui, quasi non dederit spatium poenitentiae. Pii autem dum opprimuntur ab impiis, et vere servis serviunt, tentantur et exercentur in augmentum fidei et caritatis erga Deum, ut per multas vexationes et tribulationes erudiantur, et sic eruditi consequantur tandem promissionem. Nam cum tempus impletum esset, non potuit tanta esse posteritatis Ham potentia, quin cogerentur posteris Sem cedere. Tum igitur maledictio, ab ipso Ham et tota ejus posteritate tam longo tempore magnifice contemta et non credita, impleta est.

Non dissimilis ratio hodie nobiscum est. Habemus veram doctrinam et verus cultus. Itaque gloriari possumus, quod simus vera ecclesia, habentes promissiones benedictionum spiritualium in Christo. Quia autem doctrinam nostram Papae ecclesia damnat, sentimus, eam non Christi, sed Satanae esse ecclesiam, et vere, sicut Ham, „servum servorum". Et tamen res ostendit, Papam dominari, nos autem servos et περιψήματα esse, ut Paulus vocat (1. Cor. 4, 13).

Quid igitur faciemus miseri et oppressi nos? Nimirum consolamur interim animos nostros dominio spirituali, hoc est, quod scimus, nos habere remissionem peccatorum, et placatum Deum per Christum,

stum, donec etiam veniat corporalis liberatio in extremo die. Quanquam corporalis liberationis particulam etiam in hac vita aliquam sentimus; dum enim tyranni pertinaciter se opponunt evangelio, exciduntur radicitus de terra.

Sic post omnia mundi regna etiam Romanum imperium periit; verbum autem Domini et ecclesia manet in aeternum. Sic Papae potentiam paulatim infringit Christus: ut autem penitus tollatur, et fiat servus servorum cum impio Ham, ad hanc rem fide et exspectatione opus est. Interim exclusus est ex regno Dei, et possidet ad tempus regnum mundi, sicut Papa ab ecclesia Dei exclusus est, et tenet ad tempus regnum corporale, sic tamen, ut tandem non maneat.

Hic est processus divini juris, ut pii habeant regnum, sed in fide, contenti spirituali benedictione, quod habent propitium Deum, et certam spem regni coelorum. Interim relinquant impiis possessionem regnorum mundi, donec Deus etiam corporaliter eos dispergat, nos autem omnium haeredes constituat per Christum.

Porro haec prophetia ostendit, ipsum Noah insigniter a Spiritu sancto illuminatum esse, quod vidit primum, posteritatem suam mansuram in aeternum, deinde Ham generationem, etiamsi ad tempus esset dominatura, tamen perituram tandem, ac praecipue carituram benedictione spirituali.

Id autem sic intelligendum est, sicut supra de Cain posteris dixi. Non enim existimo, in universum omnes damnatos, sed qui conversi ad fidem et salvati sunt, non ex certa promissione ipsis facta, sed vaga gratia (ut sic dicam) salvati sunt. Sicut Gibeo-

nitae et alii servati sunt, cum terram Canaan populus Israel occuparet. Sic Hiob, sic Naaman Syrus, sic Ninivitae, sic Sareptana vidua, sic alii ex gentibus, non ex promissione, sed ex vaga gratia sunt salvati.

Sed quae causa est, quod non dicit: Benedictus Sem, sed: „Benedictus Dominus Deus Sem"? Respondeo: Fit hoc propter excellentem benedictionem. Non enim loquitur hic de corporali benedictione, sed de benedictione futura per semen promissum. Eam tantam videt esse, ut explicari verbis non possit; ideo se vertit ad gratiarum actionem. Ac imitatus hunc ipsum locum videtur Zacharias, Lucae 1, (v. 68.), cum in eodem argumento dicit: „Benedictus Dominus Deus Israel".

Ideo vertit benedictionem in modum gratiarum actionis in ipsum Deum. „Deus, inquit, est benedictus, qui est Deus Sem", quasi dicat: Non est necesse, ut extendam benedictionem meam super Sem, quia jam ante benedictus est benedictione spirituali: Iam ante est Dei filius, et propagabitur ex eo ecclesia, sicut ante diluvium ex Seth propagata est. Nam mire significans est, quod Deum cum filio suo Sem ita conjungit, et quasi desponsat.

Magna igitur lux in corde Noah fuerit necesse est, qui sic discernit inter filios: Ham cum posteritate sua reprobat, Sem autem ponit ad lineam sanctorum et ecclesiae, quod super eum benedictio spiritualis, in Paradiso de semine facta, quietura sit; ideo enim sanctus vir Deum benedicit, et agit ei gratias.

Blande loquetur Deus cum Iapheth, et habitabit in tabernaculis Sem; Canaan autem erit servus horum.

Mirabilis haec prophetia est ob singularem verborum proprietatem. Sem non benedicit, sed Deum Sem, ut agat Deo gratias, quod Sem complexus sit, et ornaverit spirituali promissione, seu benedictione de semine mulieris. Cum autem ad Iapheth ventum est, non utitur ea phrasi, qua de Sem. Ad ostendendum nimirum mysterium, de quo Paulus agit, Rom. 11, (v. 11.), et Christus, Ioh. 4, (v. 22.), quod salus ex Iudaeis sit, et tamen hujus salutis gentes etiam fiunt participes. Quanquam enim solus Sem vera radix et stirps sit, tamen in hanc stirpem inseruntur gentes, ceu alienus surculus, ac fiunt socii pinguedinis et succi, qui est in electa arbore. Hanc lucem Noah per Spiritum sanctum videt, et quanquam obscure, tamen admodum proprie praedicit regnum Christi ex stirpe Sem, et non Iapheth propagandum in mundum.

Iudaei nugantur, Iapheth esse vicinas gentes circa Ierusalem, quae fuerunt admissae ad templum et cultus. Sed Noah non templum Hierosolymitanum, non tabernaculum Mosi admodum curavit; majores res complectitur. Agit enim de tribus Patriarchis, qui repleturi erant orbem terrarum, ac de Iapheth dicit, non quidem esse eum ex radice populi Dei, qui habeat promissionem de Christo, et tamen vocandum per evangelium in societatem istius populi, qui habet Deum et promissiones.

Hic igitur ecclesia gentium et Iudaeorum depicta est. Ham enim reprobus est, nec admittitur ad

benedictionem spiritualem de semine, nisi in quantum id fit per vagam gratiam. Iapheth autem; etsi promissionem de semine non habet sicut Sem, tamen spes ei fit, futurum, ut inseratur in societatem ecclesiae. Ad hunc modum nos gentes, qui sumus filii Iapheth, non quidem habemus promissionem nobis factam, et tamen includimur in promissionem Iudaeis factam; praedestinati enim sumus ad consortium sanctorum populi Dei. Haec non propter Sem et Iapheth, sed magis propter posteros eorum scripta sunt.

Videmus autem hic, quae sit causa, cur Iudaei sic superbiant et glorientur. Vident enim, suum patrem Sem solum habere promissionem benedictionis aeternae, quae est per Christum. Sed postea in eo falluntur, quod putant, promissionem contingere ex successione carnali, et non potius ex fide, sicut Paulus hunc locum egregie tractat in Romanis (9, 6.), quod filii Abrahae non sint, qui secundum carnem ex Abraham nati sunt, sed qui credunt, sicut Abraham credidit (Gal. 3, 7.).

Idem occulte hic indicat Moses, cum diserte dicit: „Benedictus Dominus Deus Sem"; significat enim, benedictionem non esse, nisi ubi est Deus Sem. Igitur neque Iudaeus hujus promissionis erit particeps, nisi habeat Deum Sem, hoc est, nisi credat, neque Iapheth erit particeps promissionis, nisi habitet in tabernaculis Sem, hoc est, nisi ejusdem fidei sit socius.

Est igitur insignis promissio haec, quae pertinet usque ad finem mundi. Sicut autem eam diximus tantum contingere habentibus Deum Sem, seu credentibus, ita maledictio quoque tantum ad eos perti-

est, qui manent in impietate Ham. Quia enim non Noah, seu homo, ex sua autoritate et sensu, sed ex Spiritu Dei haec loquitur, non tantum de maledictione temporali, sed spirituali et aeterna loquitur; ac intelligendum est, maledictio non solum coram mundo, sed magis coram Deo.

Sicut etiam supra diximus de maledictione Cain. Nam si rem spectes, habuit Cain benedictionem corporalem majorem, quam Seth. Ita enim Deus ecclesiam vult in hoc mundo esse, ut videatur translata in eam maledictio impiorum; contra ut impii videantur esse benedicti. Itaque primus Cain aedificat civitatem Hanoch, cum Seth habitaret in tabernaculis.

Sic Ham aedificavit civitatem et turrim Babel, ac late dominatus est, cum e contra Sem et Iapheth egerent, viventes misere in tabernaculis. Ita eventus arguit promissiones et maledictiones divinas esse intelligendas, non carnaliter de praesenti vita, sed spiritualiter. Pii enim etsi in mundo oppressi sunt, tamen sunt certissimi haeredes et filii Dei; contra impii, etsi ad tempus florent, tamen succiduntur tandem, et arescunt; sicut Psalmi saepe monent.

Est autem paene similis tum factum, tum fortuna Ham cum Cain. Cain occidit fratrem. Hoc factum satis arguit, nullam erga parentem reverentiam fuisse in corde ejus. Excommunicatur autem a patre, discedit ab ecclesia, quae habebat verum Deum et veros cultus, et aedificat civitatem Hanoch, ac occupatur totus civilibus curis. Ad hunc modum Ham peccat irreverentia in patrem. Cum autem postea audit sententiam maledictionis, qua excluditur a promissione seminis et ecclesia, quia in persona sua

non maledicitur, sed tantum in filio, securus discedit a Deo et ecclesia, et vadit in Babylonem, ac ibi aedificat civitatem regiam.

Valde autem illustria sunt haec exempla, et ecclesiae necessaria. Turca et Papa hodie sinunt nos gloriari de benedictione coelesti et perpetua, quod habemus evangelii doctrinam, et sumus ecclesia. Sciunt praeterea nostrum de se judicium, quod pro vere Antichristo tum Papam, tum Turcam habemus ac damnamus. Sed quam secure hoc judicium contemnunt, freti opibus et potentia, quam habent, deinde etiam nostra tum imbecillitate, tum paucitate? Idem plane in Cain et Ham maledictis et excommunicatis *) videmus.

Erudiunt autem haec nos, ut discamus, non quaerendam esse civitatem seu certum locum in hac corporali vita, sed in ista varietate casuum et fortunae, quam haec vita habet, respiciendum esse ad spem aeternae vitae, promissam per Christum. *Hic* demum portus est, ad quem tanquam solliciti et diligentes nautae debemus in tanta tempestatum vi remis velisque contendere.

Quid enim est, si Turca totum orbem terrarum subjiciat suo imperio, quod tamen nunquam futurum est? Nam Michael opem feret populo sancto seu ecclesiae, secundum Danielem (10, 13.). Quid est, si Papa totius mundi opes ad se transferat, id quod multis seculis jam summo studio egit? Num ideo effugient mortem, aut stabilem in hac vita sibi parabunt gradum? Quid igitur ista corporali benedictione eorum, imo, quid nostra calamitate et periculis offendimur, si quidem ejecti sunt a consortio

*) Edit. princ. maledictus et excommunicatus.

sanctorum, nos autem aeternis bonis per filium Dei fruemur?

Si igitur Cain et Ham tanquam majores, et Papa cum Turca tanquam eorum posteri propter brevem et exiguam in hac vita fortunulam judicium verae ecclesiae possunt contemnere, cur non nos vicissim ipsorum potentiam et judicia contemnimus, qui certam aeternorum bonorum possessionem habemus? Nam Ham non movet illa patris maledictio; indignatur ei, et contemnit eum tanquam delirum senem, ipse autem abit, et se armat potentia mundi: hanc pluris facit, quam si a patre cum Sem benedictus esset.

Pertinet igitur historia haec ad nos confirmandos, cum experimur hodie eadem. Pontifices et Episcopi egregie nos contemnunt. Quid, inquiunt, mendici Haeretici facerent? Inflantur enim opibus et potentia. Sed nos feramus insolentiam hanc impiorum aequo animo, sicut eam tum Noah tulit in filio, et consolemur nos spe ac fide benedictionis aeternae, qua scimus eos carere.

Supra dixi, Spiritum sanctum sic commotum peccato Ham, ut ne nominare quidem eum sustineret in maledictione. Ac verum est, sicut etiam poena ostendit, graviter peccasse Ham. Sed etiam haec causa non inepta est, ut supra quoque dixi, quod Noah, postquam vidit, divina voce vocatum et receptum Ham in arcam, ac cum reliquis etiam conservatum, voluit ei parcere, cui pepercerat Deus in diluvio. Ideo maledictionem, quam Ham peccato suo meruerat, in filium ejus Canaan transfert, quem Ham sine dubio voluit secum manere.

Iudaei aliam causam tradunt; Canaan filium pri-

tum vidisse, quod Noah avus jaceret nudus, ac nuntiasse id patri, qui ipse quoque idem vidit; fuisse itaque Canaan hujus peccati auctorem patri. Sed quantum hoc valeat, judicet lector.

Sed hic etiam grammatica quaestio agitanda est; certant enim grammatici, cur interpretes omnes vertant: Dilatet Deus Iapheth, cum tamen Ebraea dictio non patiatur hanc translationem? etsi magno consensu non solum Ebraei, sed Chaldaei quoque interpretes vocabulum יַפְתְּ pro dilatare accipiunt. Habent autem non nunquam magnam utilitatem hujusmodi grammaticae disputationes, et ostendunt proprietatem sententiae.

Quidam igitur deducunt Iapheth a verbo יָפָה, quod significat pulchrum esse, sicut Psalm. 45, (v. 3.): יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם: „decorus fuisti prae filiis hominum". Sed hi facile convinci possunt de errore. Nam vera origo ejus est פָּתָה, quod significat persuadere, benignis verbis decipere. Ut apud Mosen 2. Mos. 22, (v. 15.): כִּי־יְפַתֶּה אִישׁ בְּתוּלָה, id est: „Si quis blandis verbis deceperit puellam, det ei dotem". Et apud Ieremiam cap. 20, (v. 7.): פִּתִּיתַנִי יְהוָֹה וָאֶפָּת *): „Seduxisti me, Domine, et seductus sum". Proverb. 1, (v. 10.): אִם־יְפַתּוּךָ: „Si lactaverint te peccatores". Sed non opus exemplis est pluribus; nam passim hoc vocabulum est obvium, nec mihi dubium est, quin ab eo Graecum πείθω sit factum: idem enim prorsus significat.

Sed ad quaestionem: Cur verterunt omnes: Dilatet Dominus Iapheth, cum tamen sit non פָּתַח, quod dilatare significat seu aperire, sed פָּתָה? Mihi non dubium est, quin absurditate interpretes moti sint. Quia enim haec promissio est, durum visum

*) Edit. princ. Pithisani.

est statuere, quod dicat Noah: Decipiat Dominus Iapheth; haec maledictionis, non benedictionis vox esse videtur. Itaque mitiorem sententiam, quanquam contra grammaticam secuti sunt, et quoniam parva differentia est inter פָּתַח et פָּתָה, unum pro altero acceperunt, sic, ut ipsis videbatur, urgente circumstantia, quod haec promissio est.

Sed non opus est, ut ad hunc modum depravemus textum, et vim faciamus grammaticae; praesertim cum aptissimam sententiam verbum פָּתָה*) ostendat. Est enim μέσον, sicut apud nos suadere, ac potest in bonam et malam partem accipi. Non igitur contumeliosum Deo est, si hoc verbum ei applices: sicut illustre exemplum est Oseae 2, (v. 14.), ubi Dominus sic dicit: „Ideo ecce ego מְפַתֶּיהָ, persuadebo seu blanditiis alliciam eam, et traham in desertum, et loquar ad cor ejus"; lactabo eam, suaviter cum ea loquar, et ita quasi decipiam eam, ut mihi assentiatur, se mecum conjungat ecclesia etc.

Ad hunc modum hoc quoque in loco recte accipitur pro lactare, persuadere, amicis verbis et blandis inducere. Lactet, persuadeat ac decipiat persuasionibus Deus Iapheth, ut ipse Iapheth quoque secundum nomen suum, persuasus, amanter invitatus et deceptus quoque sit.

Sed inquies: Quae haec sententia erit? aut cur decipiendus, cur persuadendus Iapheth est, ac a Deo quidem? Respondeo: Noah in hac prophetia arripit occasionem ex nominibus. Agit Deo gratias, quod Sem sic collocavit, ut stet ceu firma radix, ex qua nascatur Christus. Nam verbum שׂוּם, significat ponere, collocare, constituere.

De Iapheth autem orat, ut sit verus Iapheth.

*) Edit. princ. Pasah.

Quia enim erat maximus natu, ad quem ordinarie pertinebat jus primogeniturae, rogat, ut Dominus eum amanter persuadeat, primum, ne invideat fratri honorem, et impatientius ferat hanc praerogativam sibi ademtam, et translatam in fratrem: deinde, quia hoc tantum ad ipsam personam Iapheth pertinet, involvit totam ejus posteritatem, ut, quanquam promissio soli Sem facta est, Deus tamen ab ea posteritatem Iapheth non excludat, sed ei amanter loquatur per evangelium, ut ipsa quoque fiat יַפְתְּ, et persuadeatur voce evangelii. Haec divina et ex Spiritu sancto persuasio est, non carnis, non mundi, non Satanae, sed sancta et vivificans. Hac phrasi Paulus utitur, cum dicit Galat. 1, (v. 10.): „Iam enim Deum suadeo, an hominem?“ Et 3, (v. 1.): „Quis fascinavit vos τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι*)“; quod non acquiescitis veritati, quod, quae vera sunt, non patimini vobis persuaderi? Ad hunc modum Iapheth significat, quem nos proverbio simplicem vocamus, qui facile credit, facile sibi persuaderi aliquid sinit, non est contentiosus, non pertinax, sed captiva sensum suum Domino, et acquiescit verbo ejus, manet discipulus, non vult esse magister in verbis et factis Dei.

Suavissimum igitur votum hic proponitur, ut Deus persuadeat Iapheth, hoc est, ut blande cum eo loquatur, ut, quanquam non loquitur ad eum ex promissione, sicut cum Sem, tamen ex gratia et divina bonitate cum eo loquatur.

Pertinet autem hoc votum Noah ad invulgationem evangelii per totum orbem terrarum. Sem est ceu stirps; nam ex ejus posteritate seu linea natus est Christus. Ecclesia enim Iudaeorum est, qui ha-

*) Edit. princ. πείθεσθε.

buerunt Patriarchas, Prophetas, Reges. Et tamen Deus ostendit hic ipsi Noah, quod etiam miserae gentes habitaturae sint in tabernaculis Sem, hoc est, venturi ad societatem bonorum, quae Filius Dei attulit in hunc mundum, remissionem scilicet peccatorum, Spiritum sanctum et vitam aeternam. Vaticinatur enim clare, quod etiam Iapheth secundum nomen suum audiat blandum sermonem evangelii, ut, quanquam non habeat nomen, quod Sem, qui positus est, ut sit stirps, ex qua nasciturus sit Christus, tamen habeat suadelam, hoc est, evangelium.

Paulus igitur fuit, per quem prophetia haec impleta est; nam fere solus generationem Iapheth doctrina evangelii instituit. Sicut dicit Rom. 15, (v. 19.): „A Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevi evangelium Christi". Nam tota Asia fere, exceptis orientalibus populis, cum Europa pertinet ad posteritatem Iapheth. Gentes igitur non acceperunt, sicut Iudaei, regnum et sacerdotium a Deo, non legem, non promissionem: tantum acceperunt ex Dei misericordia illam blandam evangelii vocem, seu suadelam, quam ipsum nomen Iapheth ostendit.

Hanc proprietatem interpretes non viderunt, quos Deus ad hunc modum errare passus est, et tamen non longe discesserunt a sententia vera. Nam verbum הִרְחִיב, quod dilatare significat, Ebraica phrasi significat consolari, sicut in antithesi etiam in Latina lingua angustiae significant dolores, pericula, calamitatem. Sic Psalm. 4, (v. 2.) est: בַּצָּר הִרְחַבְתָּ, in angustia fecisti mihi dilatationem." Vera autem et unica seu dilatatio, seu consolatio est verbum evangelii.

Ita conveniunt sententiae, si commode interpre-

teria. Sed prima sententia de persuasione vera et propria est, ac insignem lucem affert, quod nos gentes, etsi promissio ad nos non est facta, tamen divina providentia sumus vocati ad evangelium. Promissio enim tantum ad Sem pertinet; sed Iapheth habet suadelam, et sicut Paulus (Rom. 11, 17.) dicit, „tanquam oleaster inseritur in oleam, et fit socius nativae pinguedinis seu succi oleae". Nam in scriptura sancta concordant priora cum novissimis, et quod temporibus Noah promisit Deus, hoc nunc ipsa re facit.

Ham significat calentem et ferventem. Id nomen puto ei inditum a patre propter insignem spem, quam de minimo natu conceperat, quasi reliqui *duo* frigeant ad hunc collati. Sicut Heva magnos triumphos agit (1. Mos. 4, 1.) cum Cain nascitur; eum enim putat reparaturum, quicquid incommodi accidisset. Sed primus est, qui generi humano novo modo nocet, si quidem fratrem occidit.

Ad hunc modum Deus suo incomprehensibili consilio mutat etiam sanctorum hominum consilia. Ham enim, quem natum pater divinabat insigni *zelo* prae reliquis fratribus ad juvandam ecclesiam inflammatum iri, postquam adolevit, est quidem fervens et calidus, sed in diversum; incenditur enim contra parentem et Deum, sicut factum ejus ostendit. Fatale igitur nomen gerit, quanquam pater, cum id ei poneret, non eo modo intellexit.

Haec est prophetia Noah de suis filiis, qui orbem terrarum repleverunt. Quod igitur ex Dei misericordia Germaniae illuxit verbum evangelii, id beneficio hujus prophetiae de Iapheth fit; itaque hodie impletur, quod Noah tum praedixit. Etsi enim non

sumus de semine Abrahae, tamen habitamus in tabernaculis Sem, et fruimur promissionibus de Christo impletis.

Vixit autem Noah post diluvium trecentis quinquaginta annis; et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

Historia ostendit, Noah mortuum quinquagesimo octavo anno post natum Abraham. Itaque tam bono et praeclaro magistro usus Abraham usque in quinquagesimum annum, potuit aliquid in religione proficere. Ac non dubium est, quin Noah Spiritu sancto plenus hunc nepotem singulari studio et amore complexus sit, tanquam unicum haeredem promissionum Sem.

Floruit autem eo tempore posteritas Ham, quae propagavit idolatriam in orientales regiones. Hanc vidit Abraham, sed non sine scandalo; servatus tamen est per Noah, quem ipse paene solus admiratus est, tanquam reliquias primi mundi. Reliqui obliti irae, quae in diluvio grassata erat, pium senem etiam riserunt, praesertim autem posteritas Ham inflata opibus et potentia. Haec etiam insultavit patri Noah, et successu dementata, tanquam deliri senis somnium derisit maledictionem de servitute.

